DES. ERASMI ROT.

MORIÆ ENCOMIUM,

Cum Gerardi Listrii Commentariis.

Epistolæ aliquot in fine additæ.

Unà cum ERASMI responsione adversus MARTINI LUTHERI Epistolam.

OXONIÆ,

Typis *W. Hall*, Impensis *F. Oxlad* sen. & *F. Oxlad* Jun. Anno 1663.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

3 Bh

GERARDUS LISTRIUS
Rhenensis
JOANNI PALUDANO,
Inclytæ Lovaniensium Academiæ publico rhetori.
S. D.

EQuidem non in infima fœlicitatis meæ parte duco, doctissime Paludane, quod mihi contigit cum Erasmo domesticam consuetudinem menses aliquot agitare. Tanta est hominis integritas, comitas, festivitas: nam eruditionem quid attinet prædicare, tot ipsius editis libris vel orbi testatissimam? Is mecum de nullo mortalium colloqui consuevit vel crebrius, vel amantius, vel honorificentius, quam de suo Paludano, nec ego de quoquam audiebam libentius. Deum immortalem, quo ore, qua facundia solet ille referre tuam eruditionem, judicium, multo rerum usu collectam prudentiam, incredibile studium erga doctrina præstantes viros, singularem ingenii candorem, summam vitæ comitatem, civilitatem miram, morum inauditam suavitatem, in amicitia fidem plusquam Pyladeam, ut magis te perspexerim illo te depingente, quam cum Lovanii publice profitentem audirem. Hic igitur inflammavit animum meum, licet antea quoque flagrantem, ut aliquo xeniolo Paludanum mihi conciliarem: neque defuit votis nostris occa-

sio. Forte fortuna parabatur, ad excudendum Erasmi Morias encomium, exiguus libellus, & quem ille, quod compertissimum habeo, pauculis diebus lusit magis quam scripsit, sed ejusmodi profecto, ut dubites, plusne adferat utilitatis an voluptatis. Itaque, non sine causa, tantopere placuit, ut jam plus decies sit excusus typis. Verum sunt in eo permulta, quæ non nisi ab eruditis & attentis possint intelligi: partim ob Græcitatem passim admixtam, partim ob allusiones & crebras & tacitas, partim ob argutiam in jocando, quam non facile sentiat, nisi qui naris sit emunctissimæ. Nihil enim ingeniosius, quam erudite jocari. Proinde suffuratus aliquot horas studiis meis, quæ Græcis & Hebraicis literis, præcipue vero rei medicæ, solitus sum impendere, scholiis in loco additis, Erasmi mei Moriam illustravi. Magis placebit, si magis fuerit intellecta: & felicius exibit in manus hominum, tui quoque nominis auspicio. Quare xeniolum hoc tibi dicatum, pro tuo candore libenter accipies, & in uno libello duos pariter agnosces, Erasmum veterem amicum, & Listrium quondam tuum ἀκέφαλον, nunc novum amicitiæ tuæ candidatum, si non rejicis, nemini tuorum fide benevolentiaque cessurum. Bene vale.

ERA-

ERASMUS

Roterodamus

THOMÆ MORO

SUO S. D.

SVperioribus diebus cum me ex Italia in Angliam reciperem, ne totum hoc tempus, quo equo fuit insidendum, * ἀμούσοις & illiteratis fabulis tereretur, malui mecum aliquoties vel de communibus studiis nostris aliquid * agitare, vel amicorum, quos hic ut doctissimos, ita & suavissimos reliqueram, recordatione frui. Inter hos tu mi More vel in primis occurrebas: cujus equidem absentis absens memoria non aliter frui solebam, quam præsentis præsens consuetudine consveveram, qua * dispeream si quid unquam in vita contigit mellitius. Ergo quoniam omnino aliquid agendum duxi, & id tempus ad seriam * commentationem parum videbatur accommodatum, visum est Moriæ encomion ludere. * Quæ Pallas illuc tibi mi-

COMMENT. LISTRII.

Ἀμούσοις) Ἄμουσοι vocantur inelegantia, parumque docta, velut à Musis aliena.

Agitare) Est aliquid in animo volvere.

Dispeream) Dejerantis est, sicut, Emorior. Horatius; Dispeream ni optimum erat.

Commentatione) Commentatio est agitatio ingenii.

Quæ Pallas) Allusit ad Homerum, qui subinde inducit Palladem hoc aut illud in animum mittentem Ulyssi aut Penelopæ, cum non apparet alioqui causa, cur illi hoc in mentem venire debuerit, ut cum alibi, tum Odyssex θ. τῇ δ' ἄρ' ἐπὶ φρεσὶ θῆκε διὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη. id est, Huic autem in mentem misit dea Glauca Minerva.

*sit in mentem? inquies. Primum admonuit me * Mori cognomen tibi * gentile, quod tam ad Moriæ vocabulum accedit, quam es ipse à re alienus. Es autem vel omnium suffragiis alienissimus. Deinde suspicabar, hunc ingenii nostri lusum tibi præcipue probatum iri, propterea quod soleas hujus generis jocis, hoc est, nec indoctis, ni fallor, nec usquequaque insulsis, impendio delectari, & omnino in communi mortalium vita * Democritum quendam agere. Quanquum tu quidem, ut, pro singulari quadam ingenii tui perspicacitate, longe lateque à vulgo dissentire soles, ita pro incredibili morum suavitate facilitateque, cum omnibus * omnium horarum hominem agere & potes & gaudes. * Hanc igitur declamatiunculam * non*

Mori cogn.) Vulgo Maurum vocant Morum. At Græcis μωρὸς stultum significat.

Gentile) Id est, gentilicium, hoc est, proprium familiæ.

Democritum quemdam) Is quicquid esset in vita mortalium, ridebat. Adeo stulta quædam res illi videbatur universa nostra vita. Juvenalis Sat. decima: Jamne igitur laudas quod de sapientibus alter Ridebat, quoties à limine moverat unum Protuleratque pedem.

Omnium horarum hom.) Tiberius Cæsar apud Suetonium, duos sibi in omni negocio jucundissimos & aptissimos omnium horarum homines appellitabat etiam in codicillis. Lege Chiliad. Erasmi, si super hoc plura scire cupis.

Hanc) Vide, ut hoc opus declamationem appellat, hoc est, argumentum fictum: atque ingenii duntaxat exercendi gratia tractatum. Proinde vehementer ineptiunt, qui non secus excutiunt hic verba quam si serio tractaret de rebus theologicis. Sed animadversum est, plerosque theologos hactenus putasse,

* *non ſolum lubens accipies, ceu* * μνημόσυνον *tui ſodalis, verum etiam tuendam ſuſcipies, utpote tibi dicatam, jamque tuam, non meam. Etenim non deerunt fortaſſe* * *vitilitigatores, qui calumnientur, partim leviores eſſe nugas, quam ut theologum deceant, partim mordaciores, quam ut Chriſtianæ conveniant modeſtiæ, noſque clamitabunt* * *veterem comœdiam, aut* * *Lucianum quempiam referre, atque omnia* * *mordicus arripere. Verum quos argumenti levitas & ludicrum offendit, cogitent velim, non meum hoc exemplum eſſe, ſed idem jam olim à magnis autoribus*

putaſſe, declamationem eſſe concionem ſacram in templis habitam!

Non ſolum) Accipimus quocumque modo: ſuſcipimus, quorum curam recipimus. Accipimus quæ admittimus & approbamus: ſuſcipimus onus.

Μνημόσυνον tui ſodalis) Hemiſtichium eſt Catulli, ad quod alluſit. Mnemoſynum autem, dicitur pignus aut ſimile quippiam, relictum apud amicum, quod illum noſtri commonefaciat.

Vitilitigatores) Id eſt, obtrectatores, & calumniatores, quos Cato novato verbo à vitio & morbo litigandi vitilitigatores appellabat, ut teſtatur Plin. in præfat. hiſtoriæ mundi. qui & Zoili, & Homeromaſtiges dicuntur.

Veterem comœdiam) Vetus comœdia, cujus inventor fuit Suſarion Megarenſis, magna libertate, etiam nominatim, quoſvis taxabat, donec lex lata vetuit cujuſquam nomen perſtringi. atque ita nata eſt nova comœdia. Apud Latinos autem in locum veteris comœdiæ ſucceſſit Satyra.

Lucianum) Lucianus, rhetor Samoſatenſis adeo dicax ut nec diis ipſis parceret. unde ἄθεος, id eſt, impius, cognominatus eſt.

ribus facilitatum. Cum ante tot secula * Βατραχομυομαχίαν luserit Homerus, Maro culicem & moretum, nucem Ovidius. Cum * Busiridem laudarit * Polycrates & huius castigator Isocrates, * injustitiam Glauco, * Thersiten & quartanam febrim Favo-

Mordicus arripere) Mordicus, adverbium, quemadmodum apud Græcos ὀδὰξ, id est, dentibus & morsu.

Βατραχομυομαχίαν) Id est, bellum ranarum & murium. Βάτραχος enim rana dicitur, μῦς mus, & μάχη pugna. Extat autem titulo Homeri, quanquam docti magis putant, esse compositum alicujus facetа quadam Homeri imitatione.

Busiridem) Hanc orationem carpit & corrigit Isocrates; fuit autem tyrannus Ægyptius, quem interemit Hercules.

Polycrates) Rhetor Athenienſis, qui scripsit encomium Busiridis. Idem composuit orationem, qua fuit accusatus Socrates.

Injustitiam Glauco) Id, est apud Plat. de Rep. lib. 2.

Thersiten & quartanam febrim) Aulus Gel. lib. 17. c. 12. scribit, Favorinum philosophum oppido quam libenter in eas materias dicere solitum; quas Græci ἀδόξους καὶ ἀτόπους ὑποθέσεις, id est, inopinatas & absurdas materias, appellant. Sicuti cum Thersitæ laudes quæsivit, & febrim quartis diebus recurrentem laudavit. Thersitem autem Homer. Ili. β. sic describit. Αἴσχιστος δ' ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε. Φολκὸς ἦν, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ ἦ οἱ ὤμω κυφὼ ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε, αὐτὰρ ὕπερθεν φοξὸς ἦν κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπεπήνεθε λάχνη. id est, Ad Troiam venit

Favorinus, * *calvicium Synesius*, *muscam & parasiticam Lucianus. Cum Seneca Claudii* * *luserit* ἀποθέωσιν, *Plutarchus* * *Grylli cum Vlysse dialogum, Lucianus & Apuleius asinum, & nescio quis* * *Grunnii Corocottæ porcelli testamentum, cujus & divus meminit Hieronymus. Proinde si videbitur, fingant istime* * *latrunculis interim* * *animi causa lusisse, aut si malint*, * *equitasse in arundine longa.*

A 5 *Nam*

venit quo non deformior alter, Distortis oculis, claudus pede, dein humeri illi Gibbi, pectore contracti, caput extat acutum Raris conspersum villis.

Calvicium Synesius) Synesius patriam habuit Ptolemaida Pentapolin. Episcopus fuit, qui inter multa alia scripsit encomium calvicii. quod opusculum plenum ingenii & eruditionis adhuc extat.

Luserit Apotheosin) Luserit, id est, jocose descripserit, quo pacto Claudius Imperator Caligulæ avunculus, qui Neronem præcessit, referri voluerit in numerum deorum.

Grylli cum Vlysse dialogum) Gryllus græcus veneficiis Circes versus in suem, disputat cum Ulysse, asserens brutorum animantium conditionem feliciorem esse humana. Extat inter opera Plutarchi.

Grunnii Corocottæ) Est jocosum argumentum de porco condente testamentum. Cujus meminit D. Hieronymus in quadam præfatione commentariorum in Esaiam.

Latrunculis) Latrunculorum ludus est ille, qui vulgo dicitur Schacorum, de quo Martial. in Apophoretis: Insidiosorum si ludis bella latronum, Gemmeus iste tibi miles & hostis erit. Ovid. item: Sive latrocinii sub imagine calculus ibit, Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Animi causa) Animi gratia dicimur facere quod non ad utilitatem, sed oblectationem facimus.

Equitasse in arundin.) Allusum ad carmen illud

Horat

*Nam quæ tandem est iniquitas, cum omni vitæ instituto suos lusus concedamus, studiis nullum omnino lusum permittere, maxime si nugæ seria ducant, atque ita tractentur ludicra, ut ex his aliquanto plus frugis referat lector non omnino * naris obesæ, quam ex quorundam tetricis ac splendidis argumentis? veluti cum alius diu * consarcinata oratione rhetoricen aut * philosophiam laudat, alius * principis alicujus laudes describit, alius ad bellum * adversus Turcas movendum adhortatur, * alius futura prædicit, * alius novas*

Horat. Ludere par impar, equitare in arundine longa. Sic enim significat ludos puerilles & ineptos.

Obesæ naris) Id est, crassæ, dicuntur qui nullo sunt judicio. Horatius in Odis: Nec firmo juveni, neque naris obesæ. E diverso, emunctæ naris apud eundem dicitur, qui acri est judicio.

Consarcinata) Id est, undique collecta, Vocant Græci ῥαψῳδίαν, ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν quod est suere. Cujusmodi opera Græci vocant κέντρωνας, Latini abjecto ? centones. Tacite autem notat eos, qui non suo Marte, sed hinc atque hinc emendicatis verbis & sententiolis componunt orationem.

Philosophiam) Hujusmodi orationes sollennes habentur in auspicandis stultis, ad ostentationem ingenii magis, quam utilitatem.

Principis alicujus) Nam in his plerumque plurimum est adulationis, minimum fructus.

Adversus Turcas) Complures hujusmodi orationibus conati sunt provocare principes ad bellum, ut sub illius prætextu quam maxima pecuniæ vis exhauriretur, cum magis expediat exhortari Christianos ad bellum capessendum adversus vitia.

Alius futura prædicit) Notat astrologos πουγνώστας, vanissimum & pestilentissimũ hominum genus.

Alius novas de lana caprina, &c.) Veluti de conceptione

novas de lana caprina comminiſcitur quæſtiunculas. Vt enim nihil nugacius, quam ſeria nugatorie tractare, ita nihil feſtivius, quam ita tractare nugas, ut nihil minus quam nugatus fuiſſe videaris. De me quidem aliorum erit judicium: tametſi, niſi plane me fallit * φιλαυτία, *ſtulticiam laudavimus, ſed non omnino ſtulte. Iam vero ut de mordacitatis cavillatione reſpondeam, ſemper hæc ingeniis libertas permiſſa fuit, ut in communem hominum vitam ſalibus luderent impune, modo ne licentia exiret in rabiem. Quo magis admiror his temporibus aurium delicias, quæ nihil jam fere niſi* * *ſolennes titulas ferre poſſunt. Porro nonnullos adeo præpoſtere religioſos* * *videas, ut vel graviſſima in Chriſtum convicia ferant citius, quam Pon-*

ceptione deiparæ Virginis, de poteſtate Pontificis, de præcellentia Petri & Pauli, & ſimilibus, in quibus plurimum eſt contentionis & rixarum, nihil autem pietatis. De lana caprina proverbialiter dictum eſt, pro eo quod eſt, de re nihil. Horat. in Epi. Alter rixatur de lana ſæpe caprina. Confine autem eſt illi Demoſthenis, περὶ ὄνου σκιᾶς, id eſt, de aſini umbra.

Φιλαυτία) Id eſt, amor ſui. φίλος amicus, & αὐτὸς ipſe. Hunc Horat. in Odis vocat cæcum, & in Ser. ſtultum & improbum.

Salibus luderent) Sales dictetia ſalſa dicuntur. Lucanus: Nec ſoliti luſere ſales.

Solennes tit.) Solennes vocat jam veluti conſuetudine receptos, qua reges vocamus invictiſſimos & ſereniſſimos, Cardinales reverendiſſimos, Pontifices ſanctiſſimos, Epiſcopos reverendos, Abbates venerabiles, atque item de cæteris.

Videas) Παλλαγὴ aut ἔκπτωσις: ponitur enim ſecunda perſona pro quavis perſona: & eſt modus potentialis.

*Pontificem aut Principem leviſſimo joco * aſpergi, præſertim * ſi quid πρὸς τὰ ἄλφιτα attinet. At enim qui vitas hominum ita taxat, ut neminem omnino perſtringat nominatim, quæſo utrum is mordere videtur, an docere potius, ac monere? Alioqui quot obſecro nominibus ipſe me taxo? Præterea qui nullum hominum genus prætermittit, is nulli homini, vitiis omnibus, iratus videtur. Ergo, ſi quis extiterit, qui ſeſe lædi clamabit, is aut conſcientiam prodet ſuam, aut certe metum. Luſit hoc in genere multo liberius ac mordacius divus Hieronymus, ne nominibus quidem aliquoties parcens. Nos præterquam quod à nominibus in totum abſtinemus, ita præterea ſtylum temperavimus, ut cordatus lector facile ſit intellecturus, nos voluptatem magis quam morſum quæſiſſe. Neque enim, ad Iuvenalis exemplum, occultam illam ſcelerum ſentinam uſquam movimus, & ridenda magis, quam fœda, recenſere ſtuduimus. Tum ſi quis eſt, quem nec iſta placare poſſunt, is ſaltem illud meminerit, pulchrum eſſe, * à ſtulticia vituperari, quam cum*

Aſpergi) Id eſt, leviter contaminari.

Si quid πρὸς τὰ ἄλφιτα) Hoc loco verba Latina, quæ in limine marginali fuerant aſſcripta, neſcio quis retulerat in contextum. Eſt autem dictum hoc apud Ariſtophanem in Nebulis: τί δέ μ' ὠφελήσουσ' οἱ ῥυθμοὶ πρὸς τ' ἄλφιτα; id eſt, quid autem mihi proderunt numeri ad farinas? Farina vivimus: unde quod ad cibum ac victum attinet, ad farinas pertinere dicitur; quod vulgo dicunt de pane lucrando.

A ſtultitia vituperari) Nullus igitur opinor erit tam iniquus, ut ſi quid dictum videbitur in Principes, aut Sacerdotes, aut in alios offendatur, cum non taxentur ulli, niſi leniter & jucunde magis quam

*cum loquentem fecerimus, * decoro personæ serviendum fuit. Sed * quid ego hæc tibi, * patrono tam singulari, ut causas etiam non optimas, optime tamen tueri possis? Vale, disertissime More, & Moriam tuam suaviter defende. Ex rure. quinto Idus Iunias An. M. D. VIII.*

quam acriter. Nec ipsum hominum genus notatur, sed qui in bonorum genere mali sunt. Postremo cum stultitiæ personam loquentem fecerit, non convenit imaginari, personam autoris id dicere, quod sub persona Moriæ dictum est: non hercle magis, quam, si quis diabolum faciat disputantem cum Michaele de corpore Mosis, quemadmodum est in Apocryphis, quicquid diabolus dixerit, hoc ex autoris persona dictum videatur: aut si quis Phalaridem loquentem inducat, sensisse videatur quicquid Phalaridem loquentem fecerit.

Decoro personæ serviendum fuit) Decorum, quod Græci πρέπον vocant, situm est in dignitate rerum & sermonum: cujus præcipua ratio habetur in tragœdiis, comœdiis & dialogis.

Quid ego hæc tibi) * Ἀποσιώπησις est.

Patrono tam singulari) Patronus hic significat advocatum causarum: nam aliquando refertur ad libertum. Est autem Thomas Morus, præter egregiam optimarum literarum cognitionem, inter Britannicarum legum professores præcipui nominis.

[a] ΜΩΡΙΑΣ ΕΓΚΩΜΙΩΝ, Id est, STULTICIÆ LAUS.

ERASMI ROTERODAMI [b] DECLAMATIO.

STULTITIA LOQUITUR.

UTcunque de me vulgo mortales loquuntur, (neque enim ſum neſcia, quam male audiat ſtultitia etiam apud ſtultiſſimos,) [c] tamen hanc eſſe, hanc inquam eſſe unam, quæ meo numine deos atque homines exhilaro, vel illud abunde magnum eſt argumentum, quod ſimul atque in hunc cœtum frequentiſſimum dictura prodii, ſic repente omnium vultus nova quadam atque inſolita hilaritate

Μωρίας ἐγκώμιον) *Id eſt, Morias encomium. Μωρία ſtulticiam ſignificat, & ἐγκώμιον ſcriptum aliquod in alicujus laudem compoſitum. Vt Lucianus ſcripſit encomium Demoſthenis. Et laudatorium genus Græci vocant encomiaſticum. Et ἐγκωμιάζειν, eſt laudes alicujus oratione proſequi. Differt autem encomium ab hymno, ut ſcribit Hammonius. Hymnus namque eſt deorum, encomium autem hominum.*

Declamatio) *Apte vocavit declamationem, ut intelligas, rem exercendi ingenii cauſa ſcriptam, ad luſum ac voluptatem. Porro Moriam fingit veterum more ceu deam quandam ſuas laudes narrantem, idque decore, quod hoc ſtultis peculiare ſit, ſeipſos admirari, deque ſeipſis glorioſe prædicare.*

Tamen hanc eſſe) *Hanc δεικτικῶς accipiendum, ut ſe ipſam digito oſtendat.*

tate enituerunt, ſic ſubito [a] frontem exporrexiſtis, ſic læto quodam & amabili applauſiſtis riſu, ut mihi profecto quotquot undique præſentes intueor, pariter [b] deorum Homericorum nectare [c] non ſine nepenthe temulenti eſſe videamini, cum antehac triſtes ac ſoliciti ſederitis, perinde quaſi nuper [d] è Trophonii ſpecu reverſi. Cæterum quemadmodum fieri conſuevit, ut cum primum ſol formoſum illud & aureum os terris oſtenderit, aut ubi poſt aſperam

Frontem exporexiſtis) *Frontem exporrigimus, cum hilaraſcimus. Contra mœſti frontem contrahimus. Quære in Chiliadibus Eraſmi.*

Deorum Homericorum) *Facete vocat Homericos: qui cum non ſint ulli in rerum natura, tamen ab Homero finguntur ejuſmodi.*

Non ſine nepenthe) *Nepenthes herba cujus meminit & Plinius. Apud Homerum Penelope hujus ſucco addito poculis diſcutit triſtitiam convivii. Vnde illud Odyſſeæ δ.* Ἐνθεν ἔπινον Νήπενθές τ', ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων. *id eſt, Vnde bibebant Iræ nepenthes, omniſque oblivia curæ. Nam hanc vim habere traditur, & hinc nomen habet. Nam* νὴ *& Græce luctus eſt, α privandi vim habet. Sunt qui putant eſſe hugloſſam, de qua Galen. ſcribit,* ὅτι οἴνοις ἐμβαλλομένη εὐφροσύνης αἰτία γίνεται, *id eſt, quod vino immiſſa lætitiæ cauſa ſit.*

E Trophonii ſpecu) *Proverbium eſt, de vehementer mœſtis ac ſollicitis. Namolim in Lebadia, ut Suidas ait,* χρηστήριον ἦν ὃ καταβάσιον ἐκάλουν, *id eſt, oraculum erat, quod Catabaſion, id eſt, deſcenſum, vocabant. Specus autem erat Trophonis dictus in quo putabant oraculum reddi per dæmonem quempiam, unde macie confecti ſqualidique redire

aſperam hyemem, novum ver blandis [e] aſpirarit Favoniis, protinus nova rebus omnibus facies, novus color ac plane juventa quædam redeat. ita vobis, me conſpecta, mox alius accеſſit vultus. Ieaque quod magni alioqui Rhetores vix longa diuque meditata oratione poſſunt efficere, nempe ut moleſtas animi curas diſcutiant, id ego ſolo ſtatim aſpectu præſtiti. Quam ob rem autem hoc inſolito cultu prodierim hodie, jam audietis, ſi modo non gravabimini dicenti præbereaures, non eas ſane quas [a] ſacris concionatoribus, ſed quas fori circulatoribus, ſcurris ac Morionibus conſueviſtis arrigere, quaſque olim [b] Midas

dire conſueverunt ſi qui fuiſſent ingreſſi. qualia vulgo fere narrant de ſpeeu Patricii apud Hybernos. Qui plura de hoc cupit cognoſcere, legat Eraſmi Chiliades.

Aſpirarit Favoniis) *Favonii venti ſunt verni, ad quorum flatum ſolvitur gelu, & laxatur humus. Horatius: Solvitur acris hyems grata vice veris & Favoni. Alluſit ad carmen Horatianum: Lucem redde tuæ dux bona patriæ. Inſtar veris enim vultus ubi tuus affulſit populo, gratior itdies, Et ſoles melius nitent.*

Sacris Concionatoribus) *Obiter taxat vulgus hominum, qui concionantes in templis oſcitantes ac dormitantes audiunt, multi ne audiunt, quidem, cum circumforaneos ac ſcurras miris modis auſcultent. Id verum eſſe, facile fatebitur, qui noverit Italiam, præſertim Romam & Venetiarum urbem. Vide ut excludat omnem calumniam, hos jocos conferens circulatorum, ſcurrarum ac morionum dictis. Quanquam obiter notat mores hominum, qui ad ineptas fabulas attenti, in ſacris concionibus dormitant.*

Midas) *Nota eſt fabula de Mida, qui Panem canentem Apollini prætulit. Alluſit autem ad proverbium, Midæ aures.*

das ille noſter exhibuit Pani. Lubitum eſt enim pauliſper apud vos [a] Sophiſtam agere, non quidem hujus generis, qui hodie nugas quaſdam anxias inculcat pueris, ac pluſquam muliebrem rixandi pertinaciam tradit, ſed veteres illos imitabor, qui quo [b] infamem Sophorum appellationem vitarent Sophiſtæ vocari maluerunt. Horum ſtudium erat Deorum ac fortium virorum laudes encomiis celebrare. Encomium igitur audietis, non Herculis neque Solonis, ſed meum ipſius, hoc eſt, Stultitiæ. Jam verò [c] non hujus facio ſapientes iſtos, qui ſtultiſſimum & inſolentiſſimum eſſe prædicant, ſi quis ipſe laudibus ferat. Sit ſane quam volent ſtultum, [d] modo decorum eſſe fateantur. Quid enim magis quadrat, quam ut ipſa Moria, ſuarum laudum ſit buccinatrix, & [e] αὐτὴ ἑαυτῆς αὐλητρὶς? Quis enim me melius exprimat quam ipſamet? Niſi ſi cui forte notior ſim, quam egomet ſum mihi! Quanquam ego hoc alioqui, non paulo etiam modeſtius arbitror, quam id quod optimatum

Sophiſtam) *Olim ſophiſtæ dicebantur philoſophi & ſapientiæ profeſſores, deinde rhetores. Poſtremo abiit nomen in invidiam, ut ſophiſtæ dicerentur, qui fictam quandam ſapientiæ ſpeciem jactitarent.*

Infamem) *Hoc ad Moriæ perſonam referendum eſt, apud quam vocari ſapientem contumelia eſt, veluti apud aulicos, docti ſtulti vocantur, apud doctos viciſſim aulici.*

Non hujus facio) *Et hoc δειγματικῶς accipiendum, ut floccum aut pilum oſtendat.*

Modo decorum) *Decorum vocat non ſimpliciter, quod per ſe deceat, ſed quod ſtultitiæ perſonam deceat: veluti, non eſt decorum lenoni loqui de fide.*

Αὐτὴ ἑαυτῆς αὐλητρὶς) I. e. *Ipſa ſui tibicina. Proverbium eſt, ubi quis ſe ipſum factis commendat*

tum ac ſapientum vulgus factitat, qui perverſo quodam pudore, vel [a] rhetorem quempiam palponem, vel poetam vaniloquum, ſubornare ſolent, eumque mercede conductum, à quo ſuas laudes audiant hoc eſt, mera mendacia, & tamen [b] verecundus interim ille pavonis in morem pennas tollit, criſtas erigit, cum impudens aſſentator nihili hominem diis æquiparat, cum abſolutum omnium virtutum exemplar proponit, à quo ſciat ille ſe plus quam [c] δὶς διὰ πασῶν abeſſe cum corniculam alienis veſtit plumis, cum [d] τὸν Αἰθίοπα λευκαίνει, denique cum [e] ἐκ μυίας τὸν ἐλέφαντα ποιεῖ Po-

mendat. Tametſi hic alio detorſit, nempe ad eam, quæ ſua jactat.

Rhetorem palponem) *Si quis audiat ſolennes iſtas orationes, quæ habentur in publico apud Romanos Pontifices, apud reges, apud Principes, mirum eſt, qua fronte vel iſti ſic audeant adulari, vel illi poſſint tam ineptas laudes audire. Nec dubito quin iſta moleſta ſint cordatis principibus.*

Verecundus ille) *Ironice dicit verecundum impudentiſſimum ſignificans, qui talia poſſit audire.*

δὶς διὰ πασῶν) *Id eſt, Bis per omnia. Ea eſt Muſicorum harmonia, quam vulgo duplicem octavam vocant. Abiit autem in proverbium, quo maximum intervallum ſignificamus. Vide Chiliad. Deſ. Eraſmi.*

Τὸν Αἰθίοπα λευκαίνεις) *Id eſt, Æthiopem dealbat. Eſt proverbium de re impoſſibili. Verum hic eleganter detorſit ad id, quod is qui niger eſt factis, hoc eſt, infamis, ut candidus laudatur, & alius pingatur quam eſt.*

Ἐκ μυίας τὸν ἐλέφαντα ποιεῖ) *Id eſt, Ex muſca elephantem facit. Adagium eſt, cum quis rem nihili verbis attollit.*

Postremo sequor tritum illud [a] vulgi proverbium, quo dicitur is recte laudare sese, cui nemo alius contigit laudator. Quanquam hic interim demiror mortalium ingratitudinem dicam, an segniciem, quorum, cum omnes me studiose colant, meamque libenter sentiant beneficentiam, nemo tamen tot jam saeculis extitit, qui grata oratione Stultitiae laudes celebrarit, cum non defuerint, qui Busirides, [b] Phalarides, febres quartanas, muscas, calvicia atque id genus pestes, accuratis magnaque & [c] olei & somni jactura elucubratis laudibus evexerint. A me extemporariam quidem illam & illaboratam sed tanto veriorem audietis orationem. Id quod nolim existimetis ad ingenii ostentationem esse confictum, quemadmodum vulgus oratorum facit. Nam hi, sicuti nostis, cum orationem totis triginta annis elaboratam, nonnunquam & alienam proferunt, tamen triduo sibi quasi per lusum scriptam aut etiam dictatam esse dejerant. Mihi porro semper gratissimum fuit, [d] ὁτιδὴ τὸν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ dicere. At ne quispiam à nobis expectet, ut, juxta vulgarium istorum Rhetorum consuetudinem, me ipsam finitione explicem, [e] porro, ut dividam multo minus. Nam utrumque ominis est inau-

Vulgi proverbium) *Sic enim jocantur vulgo, cum quis de se praedicat arrogantius, ut dicant, malos habet vicinos, & ob id cogitur se laudare.*

Phalarides) *Phalaridis Apologiam scripsit Lucianus. De caetera jam dictum est.*

Olei & somni jactura) *Quia vigilant ad lucernam.*

Ὁτιδὴν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ) *Id est, Quicquid in temerariam linguam venerit. Proverbium est, sumptum ex Æschylo tragico poeta, citante Platone.*

Porro ut dividam) *Alludit ad dialecticos quibus mos est primum definire quod aggrediuntur.*

tum ac ſapientum vulgus factitat, qui perverſo quodam pudore, vel [a] rhetorem quempiam palponem, vel poetam vaniloquum, ſubornare ſolent, eumque mercede conductum, à quo ſuas laudes audiant hoc eſt, mera mendacia, & tamen [b] verecundus interim ille pavonis in morem pennas tollit, criſtas erigit, cum impudens aſſentator nihili hominem diis æquiparat, cum abſolutum omnium virtutum exemplar proponit, à quo ſciat ille ſe plus quam [c] δὶς διὰ πασῶν abeſſe cum corniculam alienis veſtit plumis, cum [d] τὸν Αἰθίοπα λευκαίνει, denique cum [e] ἐκ μυίας τὸν ἐλέφαντα ποιεῖ Po-

mendat. Tametſi hic alio detorſit, nempe ad eam, quæ ſua jactat.

Rhetorem palponem) *Si quis audiat ſolennes iſtas orationes, quæ habentur in publico apud Romanos Pontifices, apud reges, apud Principes, mirum eſt, qua fronte vel iſti ſic audeant adulari, vel illi poſſint tam ineptas laudes audire. Nec dubito quin iſta moleſta ſint cordatis principibus.*

Verecundus ille) *Ironice dicit verecundum impudentiſſimum ſignificans, qui talia poſſit audire.*

δὶς διὰ πασῶν) *Id eſt, Bis per omnia. Ea eſt Muſicorum harmonia, quam vulgo duplicem octavam vocant. Abiit autem in proverbium, quo maximum intervallum ſignificamus. Vide Chiliæ. Deſ. Eraſmi.*

Τὸν Αἰθίοπα λευκαίνει) *Id eſt, Æthiopem dealbat. Eſt proverbium de re impoſſibili. Verum hic eleganter detorſit ad id, quod is qui niger eſt factis, hoc eſt, infamis, ut candidus laudatur, & alius pingitur quam eſt.*

Ἐκ μυίας τὸν ἐλέφαντα ποιεῖ) *Id eſt, Ex muſca elephantem facit. Adagium eſt, cum quis rem nihili verbis attollit.*

Postremo sequor tritum illud [a] vulgi proverbium, quo dicitur is recte laudare seſe, cui nemo alius contigit laudator. Quanquam hic interim demiror mortalium ingratitudinem dicam, an segniciem, quorum, cum omnes me studioſe colant, meamque libenter sentiant beneficentiam, nemo tamen tot jam sæculis extitit, qui grata oratione Stultitiæ laudes celebrarit, cum non defuerint, qui Busirides, [b] Phalarides, febres quartanas, muscas, calvicia atque id genus pestes, accuratis magnaque & [c] olei & somni jactura elucubratis laudibus evexerint. A me extemporariam quidem illam & illaboratam sed tanto veriorem audietis orationem. Id quod nolim existimetis ad ingenii ostentationem esse confictum, quemadmodum vulgus oratorum facit. Nam hi, sicuti nostis, cum orationem totis triginta annis elaboratam, nonnunquam & alienam profernut, tamen triduo sibi quasi per lusum scriptam aut etiam dictatam esse dejerant. Mihi porro semper gratissimum fuit, [d] ὁτιοῦν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ dicere. At ne quispiam à nobis expectet, ut, juxta vulgarium istorum Rhetorum consuetudinem, me ipsam finitione explicem, [e] porro, ut dividam multo minus. Nam utrumque ominis est inau-

Vulgi proverbium) *Sic enim jocantur vulgo, cum quis de se prædicat arrogantius, ut dicant, malos habet vicinos, & ob id cogitur se laudare.*

Phalarides) *Phalaridis Apologiam scripsit Lucianus. De cæteris jam dictum est.*

Olei & somni jactura) *Quia vigilant ad lucernam.*

Ὁτιοῦν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ) *Id est, Quicquid in temerariam linguam venerit. Proverbium est, sumptum ex Æschylo tragico poeta, citante Platone.*

Porro ut dividam) *Alludit ad dialecticos quibus mos est primum definire quod aggrediuntur.*

inauſpicati, vel ſine circumſcribere eam cujus numen tam late pateat, vel ſecare, in cujus cultum omne rerum genus ita conſentiat. Tametſi quorſum tandem attinet mei velut umbram atque imaginem finitione repræſentare, cum ipſam me coram præſentes præſentem oculis intueamini? Sum etenim uti videtis, vera illa [a] largitrix ἐϊάων, quam Latini Stulticiam, Græci Μωρίαν appellant. Quanquam quid vel hoc opus erat dicere quaſi non ipſo ex vultu [b] fronteque, quod aiunt ſatis quæ ſim præ me feram, aut quaſi ſi quis me Minervam aut ſophiam eſſe contendat, non ſtatim ſolo poſſit obtutu coargui, etiamſi nulla accedat oratio. [c] minime mendax animi ſpeculum! Nullus apud me fucis locus; nec aliud fronte ſimulo, aliud in pectore premo. Sumque mei undique ſimillima: adeo ut nec ii me diſſimulare poſſint, qui maxime Sapientiæ perſonam ac titulum ſibi vendicant, [d] ἢ ὀν τῇ πορφύρᾳ πίθηκοι, ἢ ὀν τῇ λεοντῇ ὄνοι obambulant. Quamvis autem ſedulo fingant, tamen aliunde prominentes auriculæ Midam produnt. Ingratum

Largitrix ἐϊάων) *Id eſt, bonorum. Alluſit huc quod Homerus ſubinde vocat deos δοτῆρας ἐϊάων*, id eſt, *largitores bonorum.*

Fronteque, quod aiunt) *Relucet enim in vultu quoque ſtultitia aut ſapientia hominis.*

Minime mendax) Ex *ſermone enim potiſſimum colligitur animus hominis.*

Καὶ ὀν τῇ πορφύρᾳ πίθηκοι, ἢ ὀν τῇ λεοντῇ ὄνοι) *Id eſt, Et in purpura ſimiæ, & in leonina pelle aſini. nam ſimiæ vulgo habentur in deliciis, & nonnunquam ad luſum purpura veſtiuntur. Eſt autem Græcum proverbium, in eos, qui magnificam perſonam præ ſe gerunt, cum ſint nebulones. Cui ſimile eſt*

quod

tum mehercle & hoc hominum genus, qui cum maxime sint nostræ factionis tamen apud vulgum cognominis nostri sic pudet, ut id passim aliis magni probri vice obiiciant. Proinde istos cum sint [a] μωρότατοι, re, cæterum sophi ac [b] Thaletes videri velint nonne jure optimo [c] μωροσόφους illos appellabimus? visum est enim hac quoque parte nostri temporis rhetores imitari, qui plane deos esse sese credunt, [d] si hirudinum ritu bilingues appareant; ac præclarum facinus esse ducunt, latinis orationibus subinde græculas aliquot voculas, velut [e] emblemata intertexere, etiam si nunc non erat his locus. Porro si desunt [f] exotica, è putribus chartis quatuor aut quinque prisca verba eruunt, quibus tenebras effundant lectori: videlicet, ut qui intelligunt, magis ac migis sibi placeant: qui non intelligunt, hoc ipso magis admirentur, quo minus intelligunt. Quandoquidem

quod subtexitur, in exuvioleonis asini. Notus est Apologus de asino, qui pelle leonis amictus, aliquandiu apud Cumanos habitus est pro leone, donec auricularum indicio deprehensus, pœnas daret.

Μωρότατοι) *Id est, stultissimi.*

Thaletes) *Is fuit unus è numero septem sapientum.*

Μωροσόφους) *Dictio est composita, ex stulto & sapiente, quasi dicas, stulte sapientes.*

Si hirudinum) *Has vulgo sanguisugas vocant. Est autem huic animanti lingula bisulca, ut tradit Plin.*

Emblemata) *Id est, immissuras: id enim sonat vox Græca. significat autem tessellas, & quibus pingunt in opere musaico, aut quibus variant pavimenta. Hispani ex ligno similia conficiunt, in mensis præcipue. Dicuntur autem emblemata ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλειν. id est, ab injiciendo.*

Exotica) *Id est, extraria, hoc est, alienæ linguæ, puta Græca aut Hebraica.*

quidem eſt ſane & hoc [a] noſtratium voluptatum genus non inelegans, quam maxime peregrina maxime ſuſpicere. Quod ſi qui paulo ſunt ambitioſiores, arrideant tamen & applaudant, atque aſini exemplo [b] τὰ ὦτα κινέσι, quo cæteris probe intelligere videantur. [c] Καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα. Nunc ad inſtitutum recurro. Nomen igitur habetis viri. [d] Quid addam epitheti? quid, niſi ſtultiſſimi? Nam quo alio honeſtiore cognomine [e] Myſtas ſuos compellet dea Stultitia? [f] Sed quoniã non perinde multis notum eſt, quo genere prognata ſim,

Noſtratium voluptatum) *Noſtratium, id eſt, ſtultorum, ut Cicero dixit: Verba veſtratia.*

Τὰ ὦτα κινῶσι) *Id eſt, aures moveant, Aſinus aures habet mobiles, ac prælongas. Et videtur valere aurium judicio, cum ſit ſtolidiſſimus. Alluſum eſt autem ad proverbium Græcum.*

Καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα) *Id eſt, Et hæc quidem hæc. Verba ſunt ridicule dicta à ſervo Carione in Pluto Ariſtophanis. Idem eſt aliquoties apud Platonem.*

Quid addam) *Mos eſt addere epitheton aliquod honorificum: viri fortiſſimi, aut viri ſplendidiſſimi, aut aliud ſimile. Porro hoc jocandi genus ἀπροσδόκητον vocant, cum aliud expectatur, aliud ſuccedit.*

Myſtas) *Myſtæ dicuntur initiati myſteriis alicujus numinis. unde & ſymmyſtæ dicuntur, iiſdem initiati ſacris. Dicuntur autem παρὰ τὸ μυέω, quod eſt initio, quod à μύω, id eſt, occulto arcana myſteriorum, quæ nefas erat revelare, dicitur.*

Sed quoniam) *Alluſit ad partes laudatorii generis, quod à nativitate ſolet incipere.*

Muſis bene invantibus) *Alludit ad morem ſcriptorum, ut ſignificet rem fore poeticam ac fabuloſam.*

sim, id jam [a] Musis bene juvantibus exponere conabor. Mihi vero neque [b] Chaos, neque Orcus, neque Saturnus, neque Japetus, aut alius id genus obsoletorum ac putrium deorum quispiam, pater fuit. Sed Πλοῦτος. Ipse unus, vel invitis [c] Hesiodo & Homero, atque ipso adeo Jove, [d] πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Cujus unius nutu, ut olim, ita nunc quoque sacra prophanaque omnia sursum deorsum miscentur. Cujus arbitrio bella, paces, imperia, consilia, judicia, comitia, connubia, pacta, fœdera, leges, artes, ludicra, seria, jam spiritus me deficit, breviter, publica privataque omnia mortalium negocia, administrantur. Citra cujus opem, totus ille poeticorum numinum populus, dicam audacius, ipsi quoque [e] dii selecti, aut omnino non essent, aut certe [f] οἰκόσιτοι sane quam frigide victitarent. Quem quisquis iratum habuerit, huic

[a] ne

Chaos, neque Orcus) *Ad hos veluti antiquissimos deos Hesiodus refert omnium deorum genus in Theogonia.*

Sed πλοῦτος) *Id est, divitiæ: quanquam ea vox apud Græcos sit masculini generis, & numeri singularis. Hunc veluti deum inducit Aristophanes.*

Hesiodo & Homero) *Nam apud utrumque sæpius est hoc hemistichium de Iove.*

Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε) *Id est, Pater hominumque deumque.*

Dii selecti) *Nam prisci Theologi gentilium, duodecim deos selectos, hoc est, summos, habebant, veluti primates in tanta deorum turba.*

Οἰκόσιτοι) Οἶκος domus, σῖτος cibus. *Unde qui domi capiunt cibum, & de suo vivunt, οἰκόσιτοι vocantur. Porro sunt qui ob parsimoniam domi tenuissimo utantur victu, eoque libenter foris pranditant.*

[a] ne Pallas quidem satis auxilii tulerit. Contra, quisquis propitium, is vel summo Jovi cum suo fulmine mandare laqueum possit. [b] Τούτου πατρὸς εὔχομαι εἶναι. Atque hic quidem me progenuit non è cerebro suo, quemadmodum tetricam illam ac torvam Palladem Jupiter, verem [c] ex Neotete nympha, multo omnium venustissima pariter ac festivissima, Neque rursum id tristi illi alligatus conjugio, quomodo [d] faber ille claudus natus est, verum, quod non paulo suavius, [e] ἐν φιλότητι μιχθεὶς, quemadmodum noster ait Homerus. Genuit autem, ne quid erretis, non Aristophanicus ille

Ne Pallas quidem) *Palladem potissimum nominat, quod dea sapientiæ, stulticiæ sit Invisa, vel quod illa strenua sit bellarirx, & patrem defenderit adversus gigantes.*

Τούτου πατρὸς εὔχομαι εἶναι) *Id est, Hujus patris glorior esse. Hemistichium est solenne apud Homerum.*

Ex Neotete) *Id est, ex Iuventute. id enim sonat Græce Neotes. Innuit autem, ex divitiis et juventute nasci potissimum stulticiam.*

Faber ille) *Vulcanum significat ridiculum, et tamen ex matrimonio natum, puta Iovis et Innonis.*

Ἐν φιλότητι μιχθεὶς) *Id est, in amore mixtus. Est autem hemistichium solenne apud Homerum, quoties significat furtivum concubitum, extra matrimonium. Qui in opete ex professo ludicro ex ridiculo inquirunt articulos hæreticos, quin hunc criminantur locum, qui toties deos ac deas commemorat? cujusmodi loci sunt alii quoquo complures. Quod si illic agnoscunt jocum et stulticiæ personam, cur non idem faciunt in cæteris? Quum plures nominantur dii, pro joco ducunt: quum tribus verbis attingitur monachorum majestas, nutat universa ecclesia.*

ille Plutus, jam [a] capularis, jam oculis captus, ſed quondam integer adhuc [b] caliduſque juventa, neque juventa ſolum, verum multo magis nectare, quod tum forte in deorum convivio largius ac meracius hauſerat. Quod ſi locum quoque natalem requiritis, quandoquidem id hodie vel in primis ad nobilitatem intereſſe putant, quo loco primos ediderit vagitus, ego nec in [c] erratica Delo, [d] nec in undoſo mari, nec [d] ἐν σπήϊσι γλαφυροῖσι ſum edita, ſed in ipſis inſulis Fortunatis, ubi [e] ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα omnia proveniunt. In quibus neque labor, neque ſenium, neque morbus eſt

Capularis) *Capulares dicuntur ſenes decrepiti. Talis autem inducitur Plutus apud Ariſtophanem.*

Caliduſque juventa) *Alluſit ad illud Horatian. Non ego hæc ferrem calidus juventa.*

Erratica Delo) *Hic natus fuit Apollo cum ſua ſorore, quorum beneficio inſula prius fluitans, cæpit immobilis eſſe.*

Nec in undoſo mari) *Nam hinc fingitur nata Venus.*

Ἐν σπήϊσι γλαφυροῖσι) *Id eſt, in ſpecubus cavis. Eſt hoc carmen in primo Odyſſeæ libro, tum aliàs crebrum apud Homerum.*

Ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα) *Id eſt, Inſeminata & inarata, hoc eſt, citra ſationem & citra arationem. Eſt autem proverbium quoties utilitas contingit citra laborem. Eſtque apud Lucianum in Paraſito, & item in Rhetorum præceptore, ſumptum ex Homeri Odyſſeæ lib. 9.* Οὔτε φυτεύουσι χερσὶ φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν, Ἀλλὰ τὰ γ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύοντα. *id eſt, Neque plantant manibus plantam, neque arant, ſed inſeminata & inarata omnia creſcunt.*

eſt ullus, nec uſquam in agris [a] aſphodelus, malva, ſquilla, lupinum ve, aut faba, aut aliud hoc genus nugarum conſpicitur. Sed paſſim oculis, ſimulque naribus, adblandiuntur [b] moly, [c] panaces, [d] nepenthes, amaracus, ambroſia, lotus, roſa, viola, hyacinthus, Adonidis hortuli. Atque in his quidem nata deliciis, nequaquam à fletu ſum auſpicata vitam,

Aſphodelus, malva) *Hæc ſunt vilia, ac plebeiis menſis apta, quæ Lucianus ſcripſit naſci in inſulis Fortunatis. odit igitur hæc, veluti ſobria & tenuia apta. De aſphodelo & malva, Heſiodus in opere cujus titulus.* Ἔργα καὶ ἡμέραι. Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ. *ideſt, Neque in malva & aſpodelo magna utilitas. Lupini meminit Lucianus.*

Moly *Herbæ ſunt fabuloſæ. De moly meminit Homerus Odyſſ. κ. quod dicit Mercurium dediſſe Vlyſſi, ut à veneficiis Circes tutus eſſet. Verſus Homeri ſunt:* Ὣς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον Ἀργεϊφόντης, Ἐκ γαίης ἐρύσας, καὶ μοι φύσιν ἀνδρὶ ἔδειξεν. Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἰκέλον ἄνθος. Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν Ἀνδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται, *id eſt, Sic igitur dicens dedit medicamen Mercurius, Ex terra trahens, & mihi naturam ipſius monſtravit, Radix quidem nigra erat, lacti autem ſimilis flos. Moly autem ipſum vocant dii. Difficile autem fodere viris mortalibus, dii autem omnia poſſunt.*

Panaces) *Dicitur efficax adverſus omnes morbos: unde, ut Plin. dicit, nomen habet.* πᾶν *omne,* ἄκεσις *medela, &* ἀκέω *medeor.*

Nepenthes) *Nepenthes triſtitiam diſcutit in conviviis: cætera nota ſunt.*

vitam, ſed protinus blande [a] arriſi matri. Jam vero non invideo [b] τῷ ὑπάτῳ Κρονίωνι [c] capram altricem, cum me duæ lepidiſſimæ nymphæ ſuis aluerint mammis, [d] Methe Baccho progenita, & [d] Apædia Panos filia. Quas hic quoque in cæterarum comitum ac pediſequarum mearum conſortio videris: Quarum mehercle nomina, ſi voletis cognoſcere, ex me quidem non niſi Græce audietis. Hæc nimirum quam ſublatis ſupercilliis conſpicamini, [e] φιλαυτία eſt. Huic, quam velut ardentibus oculis ac plaudentem manibus videtis, [f] κολακία nomen. Hæc ſemiſomnis ac dormitanti ſimilis [g] λήθη vocatur. Hæc cubito utroque innitens, conſertiſq; manibus, [h] μισοπονία

Arriſi matri) *Vulgus riſum tribuit ſtultis. Alluſit autem ad hoc, quod prima vox hominis eſt ploratus. Et tamen legimus, quoſdam natos ſtatim arriſiſſe matri. quod ſignum putant auſpicatiſſimum.*

Τῷ ὑπάτῳ Κρονίωνι) *Id eſt, ſummo Iovi, quem Saturnium, hoc eſt, Saturni filium, vocant. Eſt autem Hemiſtichium Homericum.*

Capram altricem) *Iupiter in Creta clam eſt educatus lacte capræ, cujus cornu inter aſtra poſuit non ingratus alumnus.*

Methe) *Id eſt, temulentia: nam id Græce* μέθη. *cui apte tribuit patrem Bacchum vini autorem.*

Apædia) *Id eſt, imperitia. Pan autem craſſus & agreſtis eſt, juxta fabulas.*

Φιλαυτία) *Id eſt, amor ſui. Quanquam Græca vox fœminini generis eſt. Hanc ſublatis ſupercilliis fecit ob arrogantiam.*

Κολακία) *Id eſt, adulatio. cujus eſt applaudere.*

Λήθη) Oblivio.

Μισοπονία) *Id eſt, odium laborum. vitium, contrarium induſtriæ, quam Græci vocant* Φιλοπονίαν.

dicitur. Hæc roſeo revincta ſerto, & undique delibuta unguentis, [a] Ἡδονή: hæc lubricis & huc atque illuc errantibus luminibus, [b] Ἄνοια dicitur. Hæc nitida cute, probeque ſaginato corpore, [c] Τρυφὴ nomen habet. Videtis & deos duos, puellis admixtos, quorum alterum [d] Κῶμον vocant, alterum [e] Νήγρετον ὕπνον. Hujus, inquam, famulitii fidelibus auxiliis genus omne rerum mearum ſubjicio ditioni, ipſis etiam imperans imperatoribus. Genus, educationem, & comites audiſtis. Nunc ne cui ſine cauſa videar mihi deæ nomen uſurpare, quantis commoditatibus deos ſimul & homines adficiam, quamque late meum pateat numen, arrectis auribus accipite. Etenim ſi non inſcite ſcripſit quidam, hoc demum eſſe deum, juvare mortales: &, ſi merito in deorum ſenatum aſciti ſunt, qui vinum, aut frumentum, aut unam aliquam hujuſmodi commoditatem mortalibus oſtenderunt: cur non ego jure, deorum omnium [f] Ἄλφα dicar, habeamque, quæ una omnibus largior omnia? Principio quid eſſe poteſt vita ipſa vel dulcius vel precioſius? At hujus exordium cui tandem acceptum

Ἡδονή) *Id eſt, voluptas.*

Ἄνοια) *Id eſt, amentia.*

Τρυφὴ) *Id eſt, delicium.*

Κῶμον) *Comum Græci deum faciunt temulentiæ & intemperantiæ, ac juvenilium compotationum.*

Νήγρετον ὕπνον) *Id eſt, altiſſimum ſomnum, ſic enim vocat Homerus ſomnum unde quis expergeſieri non poſſit.*

Ἄλφα) *Id eſt, alpha. ita per ocium ſignificant primum, quod literis olim notarent numeros. Vnde illud, Ego ſum α & ω.*

ptum ferri convenit, nisi mihi? Neque enim aut [a] ὀβριμοπάτρης hasta Palladis, aut [b] νεφεληγερέτου Jovis [c] ægis, hominum genus progignit, vel propagat. Verum ipse deum pater, atque hominum rex, qui totum nutu tremefactat olympum, fulmen illud trisulcum ponat oportet, & vultum illum [d] Titanicum, quo, cum lubet, Deos omneis territat; planeque histrionum more, aliena sumenda misero persona, si quando velit id facere, quod nunquam non facit, hoc est, [e] παιδοποιεῖν. Jam vero Stoici se diis proximos autumant. At date mihi ter quaterque, aut si libet, sexcenties Stoicum; tamen huic quoque, si non barba, insigne sapientiæ, etiamsi cum hircis commune, certe supercilium erit ponendum, ex-

Ὀβριμοπάτρης) *Hoc epitheton Homerus tribuit Palladi, quod fortem ac potentem habeat patrem Iovem. Est autem tetrica Pallas, maxime cum vibrat hastam.*

Νεφεληγερέτου) *Id est, nubium congregatoris: sic enim subinde appellat Homerus,* νεφεληγερέτα Ζεύς.

Ægis) *Est clypeus Iovis, ex pelle capræ altricis. hanc obtendit cum sævit; cum amat, deponit.*

Titanicum) *Id est, torvum: nam Titanes vocantur antiquissimi deorum. Porro senes tetrici, dicuntur* τιτανῶδες ἐνιδόντες, *id est, Titanicum obtuentes, qui torvo truculentoque sunt aspectu.*

Παιδοποιεῖν) Παῖς puer, ποιεῖν *facere. hoc est, liberis creandis operam dare. sic verecunde vocant* τὸ *habere rem cum muliere.*

explicanda frons, abjicienda [a] dogmata illa adamantina, ineptiendum ac delirandum aliquantisper. In summo, me, me inquam, sapiens ille accersat oportet, si modo pater esse velit. Et cur non apertius meo more vobiscum fabuler? Quæso num caput, num facies, num pectus, num manus, num auris, quæ partes honestæ putantur, progenerant deos aut homines? Non opinor. imo ea pars, adeo stulta, adeoque ridicula, ut nec nominari citra risum possit, humani generis est propagatrix. Is demum est sacer ille fons, unde vitam hauriunt omnia, verius quam ille [b] Pythagoricus quaternio. Age vero, qui vir obsecro matrimonii capistro velit præbere os, si, quemadmodum isti sapientes facere consueverunt, prius ejus vitæ incommoda secum perpenderit? aut quæ tandem mulier virum admissura sit, si partus periculosos labores, si educationis molestiam, vel norit, vel cogitarit? Porro si conjugiis debetis vitam, conjugium autem debetis ἀνοίᾳ pedisequæ; mihi nimirum quid debeatis, intelligitis. Tum quæ, semel hæc experta, denuo repetere velit, nisi λήθης præsens numen adfuerit? Neque vero id Venus ipsa vel [b] reclamante Lucretio unquam inficias iverit, sine nostri numinis accessione, suam vim mancam atque irritam esse. Itaque ex nostro illo temulento ridiculoque

Dogmata) *Id est, decreta: sic enim vocantur placita philosophorum. Adamantina vocat, quod certissima habeantur.*

Pythagoricus) *Allusit ad carmen vulgatissimum Pythagoræ.* Νὰι μὰ. τὴν ἀμετέρᾳ ψυχᾶ παραδόντα τετρακτὺν Παγὰν ἀεννάου φύσεως. *id est*, Per animæ nostræ dantem quaternionem Fontem perpetuæ naturæ.

Reclamante Lucretio) *Nam is carmine suo tribu Veneri rerũ omnium gignendarũ vim ac principatum*

loque luſu, proveniunt & ſuperciliosi philoſophi, in quorum locum nunc ſucceſſere quos [a]vulgus monachos appellat, & purpurei reges, & pii ſacerdotes, & ter ſanctiſſimi pontifices. Poſtremo totus etiam ille deorum poeticorum cœtus, adeo frequens, ut turbam vix jam ipſe capiat olympus, tametſi ſpaciosiſſimus. [b] At ſane parum ſit, mihi vitæ ſeminarium ac fontem deberi, niſi quicquid in omni vita commodi eſt, id quoque totum oſtendero mei muneris eſſe. Quid autem hæc? num omnino vita videtur appellanda, ſi voluptatem detraxeris? [c] Applauſiſtis. Equidem ſciebam neminem veſtrum ita ſapere, [d] vel deſipere magis; imo ſapere potius, ut in hac eſſet ſententia. Quanquam ne Stoici quidem iſti voluptatem aſpernantur: tametſi ſedulo diſſimulant, milleque convitiis eam apud vulgus dilacerant; nimirum [e] ut deterritis aliis, ipſi prolixius fruantur. Sed dicant per Jovem, quæ tandem vitæ pars eſt non triſtis, non infeſtiva, non invenuſta, non inſipida, non moleſta, niſi voluptatem, id eſt, ſtulticiæ condimentum, adjunxeris?

Vulgus monachos) *Quod olim apud Hebræos erant filii prophetarum, quod apud Græcos & Indos philoſophi, hoc apud Chriſtianos monachi videntur eſſe.*

At ſane parum) *Oſtendit ſtultitia, vitæ initium ſibi deberi. nunc demonſtrat, & omnia vitæ commoda à ſe proficiſci.*

Applauſiſtis) *Innuit, ſtultis ita maxime videri, vitam abſque vulgaribus iſtis voluptatibus non eſſe experendam.*

Vel deſipere potius) *Quanto cum decoro perſonæ, variat correctionem? Porro quod aliis eſt deſipere, id eſt ſtultitiæ ſapere.*

Ut deterritis aliis) *Alluſit ad Philoxenum, in pulpamentum naſi mucum emungere ſolitum, ut aliis averſantibus cibum, ipſe ſolus veſceretur.*

xeris? Cujus rei cum satis idoneus testis esse possit ille nunquam satis laudatus Sopholes, cujus extat pulchertimum illud de nobis elogium, [a] Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος, tamen age rem omnem singulatim aperiamus. Principio quis nescit primam hominis ætatem multo lætissimam multoque omnibus gratissimam esse? Quid est enim illud in infantibus, quod sic exosculamur, sic amplectimur, sic fovemus, ut hostis etiam huic ætati ferat opem; nisi stultitiæ lenocinium? quod data opera prudens natura, recens natis adjunxit, ut aliquo voluptatis velut autoramento, & educantium labores delinire queant, & tuentium favores oblandiantur. Deinde quæ succedit huic adolescentia, quam est apud omnes gratiosa, quam illi candide favent omnes, quam studiose provehunt, quam officiose porrigunt auxiliares manus? At unde quæso ista juventæ gratia? unde, nisi ex me? cujus beneficio quam minimum sapit, atque ob id quam minime ringitur. Mentior, nisi mox, ubi, grandiores facti, per rerum usum ac disciplinas virile quiddam sapere cœperint, continuo defloresçit formæ nitor, langueſcit alacritas, frigeſcit lepos, labascit vigor. Quoque longius à me subducitur, hoc minus minusque vivit, donec succedat [b] τὸ χαλεπὸν γῆρας, i. e. molesta senectus, non jam aliis modo, verum etiam sibimet invisa. Quæ quidem prorsum nulli morta-

Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος) *Versus est senarius iambicus. id est, In nihil sapiendo vita jucundissima. Ni fallor, verba sunt Ajacis, dolentis quod ab insania resipuerit. Est similis fabella apud Horatium de quodam Argivo, expostulante cum amicis quod illorum opera restitutus esset ab insania.*

Τὸ χαλεπὸν γῆρας) *Id est, molesta senectus Nam id epicheti subinde tribuit illis Homerus.*

mortalium foret tolerabilis. nisi rursum tantorum miserta laborum dextra adessem, & quemadmodum dii poetarum solent pereuntibus aliqua metamorphosi succurrere, itidem ego quoque † jam capulo proximos denuo, quoad licet, ad pueritiam revocarem. Unde non absre vulgus eos * παλίμπαιδας appellare consuevit. Porro si quis transformandi rationem requirat, ne id quidem celarim. * Ad Lethes nostræ fontem (nam in insulis Fortunatis oritur: siquidem apud inferos tenuis modo rivulus labitur) eos produco, ut simul atque illic longa potarint oblivia, paulatim dilutis animi curis repubescant. At isti jam delirant, inquiunt, jam desipiunt. Esto sane. Sed istuc ipsum est repueraſcere. An vero aliud est puerum esse, quam delirare, quam desipere? An non hoc vel maxime in ea delectat ætate, quod nihil sapit? Quis enim non ceu portentum oderit atque execretur puerum virili sapientia? Astipulatur & vulgo jactatum proverbium, * Odi puerulum præcoci sapientia. Quis autem sustineret habere commercium aut consuetudinem cum eo sene, qui ad tantam

Aliqua metaphormosi) *Id est, transformatione, ut Phaetontem in cygnum, Alcyonem in avem transformant.*

Jam capulo) *Id est, morti; unde & capulares senes vocantur, admodum defecti ætate. Capulus autē est loculus, quo cadavera efferuntur.*

Παλίμπαιδας) *Id est, iterum pueros; quod ad pueritiam rediisse videntur Notum est proverbium. Bis pueri senes; ad quod alluſit.*

Ad Lethes) *Quoniam paulo superius Lethen, id est, Oblivionem, unam ex suis fecit pediſequis. Innuit autem, senes oblivioſos esse, & ob id jucundius vivere, quod multorum vitæ malorum non meminerint.*

Odi puerulum) *Senarius est proverbialis, & citatur ab Apuleio, in Apologia magiæ ſecunda. Præcox autem dicitur qui ante tempus matureſcit.*

tam rerum experientiam, parem animi vigorem judiciique acrimoniam adjunxisset? Itaque delirat senex meo munere. Sed tamen delirus iste meus interim miseris illis curis vacat, quibus sapiens ille distorquetur. Interim non illepidus est compotor. Non sentit vitæ tædium, quod robustior ætas vix tolerat. Nonnunquam cum sene Plautino [a] ad tres illas literas revertitur, infelicissimus, si sapiat. At interim meo beneficio felix, interim amicis gratus, ne congerro quidem infestivus. Quandoquidem & apud Homerum è Nestoris ore fluit oratio [b] melle dulcior, cum Achillis sit amarulenta; & apud eundem senes in mœnibus considentes [c] τλῶ' λειοέσσας vocem edunt. Quo quidem calculo ipsam etiam superant pueritiam, suauem quidem illam, sed infantem, ac præcipuo vitæ oblectamento, pura garrulitate, carentem. Addite huc, quod pueris quoque gaudeant impensius senes, ac pueri vicissim senibus delectentur, [d] ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον. Quid enim inter illos non convenit, nisi quod hic rugosior, & plures numerat natales? Alioqui capillorum albor, os edentulum, cor-

Ad tres literas) *Ita quidam senex apud Plautum ait, se tres didicisse literas, a, m, o. Sic enim innuit se cœpisse amare.*

Melle dulcior) *Sic enim scripsit Homerus Ili. α.*

Τλῶ λειοέσσας) *Id est, floridam. Sic enim ait Iliad. γ. de senibus sedentibus* ἐπὶ σκαιῇσι πύλῃσιν. Ὦπα λειοέσσας ἰᾶσι *id est, super Scæas portas vocem floridam mittunt. Est autem tacita allusio ad* λῆρον, *quod nugas significat; Minimum discrimen est inter* λῆρον *&* λειρίον, *id est, inter nugas & florem.*

Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον) *Id est, ut semper similem ducit deus ad similem. Versus est Homericus ex Iliados ι.*

corporis modus minor, lactis appetentia, balbuties, garrulitas, ineptia, oblivio, incogitantia, breviter omnia cæteta, congruunt. Quoque magis accedunt ad senectam, hoc propius ad pueritiæ similitudinem redeunt, donec puerorum ritu, citra vitæ tædium, citra mortis sensum, emigrant è vita. Et nunc qui volet, & hoc meum beneficium cum reliquorum deorum metamorphosi comparet. Qui quid irati faciant, non libet commemorare: sed quibus quam maxime propitii sunt, eos solent in arborem, in avem, in cicadam, aut etiam in serpentem transformare: quasi vero non istud ipsum sit perire, aliud fieri! Ego vero hominem eundem optimæ ac felicissimæ vitæ parti restituo. Quod si mortales prorsus ab omni sapientiæ commercio temperarent, ac perpetuo mecum ætatem agerent, ne esse quidem ullum senium, verum perpetua juventa fruerentur felices. An non videtis, tetricos istos, & vel philosophiæ studiis, vel seriis & arduis addictos negociis plerumque priusquam plene juvenes sint, jam consenuisse, videlicet curis, & assidua acrique cogitationum agitatione, sensim spiritus & succum illum vitalem exhauriente? Cum contra Moriones mei pinguiculi sint, & nitidi, & bene curata cute plane * χοῖροι quod ajunt, Ἀκαρνάνιοι, nunquam profecto senectutis incommodum ullum sensuri, nisi nonnihil, ut fit, sapientum contagio inficerentur. Adeo nihil patitur hominum vita omni ex parte beatum esse. Accedit ad hæc vulgati proverbii non leve testimonium, quo dictitant, Stulticiam unam esse rem, quæ & juventam alioqui fugacissimam remoretur, & improbam senectam procul arceat. Ut non temere

Χοῖροι Ἀκαρνάνιοι) *Id est, porci Acarnanii. in delicatos ac nitidos dicebatur: fortassis quod ea regio pinguissimos mitteret porcellos.*

mere * de Brabantis populari ſermone jactarum ſit. Cum cæteris hominibus ætas prudentiam adferre ſoleat, hos quo proprius ad fenectam accedunt, hoc magis atque magis ſtulteſcere. Atqui hac gente non eſt alia vel ad communem vitæ conſuetudinem feſtivior, vel quæ minus ſentiat ſenectutis triſticiam. His quidem ut loco, ita & vitæ inſtituto confines ſunt * Hollandi mei. Cur enim non meos appellem, uſque adeo ſtudioſos mei cultores, ut inde vulgo cognomen emeruerint? cujus illos adeo non pudet, ut hinc vel præcipue ſeſe jactitent. Eant nunc ſtultiſſimi mortales, * Medeas, Circes, Veneres Auroras, † & fontem neſcio quem requirant, quo ſibi juventam reſtituant, cum id ſola præſtare & poſſim & ſoleam. Apud me ſuccus eſt ille mirificus, quo Memnonis filia Tithoni avi ſui juventam

De Brabantis) *Nulla natio, nec humanior nec melior quam Brabantorum. Verum ob perpetuam hilaritatem, quam illis nec ſenecta adimit. dictum eſt hoc joco vulgari proverbium, Brabantus quo natu grandior, hoc ſtultior.*

Hollandi mei) *Et hæc laudatiſſima gens eſt. tamen ob ingenii ſimplicitatem, & mores minime fucatos, vulgo ſtulti vocantur, proverbio jocoſo. Porro quod dicit, mei, non ad Erasmum qui Hollandus eſt, ſed ad ſtulticiæ perſonam referri debet.*

Medeas, Circes, Veneres, Auroras) *Medea magicis herbis ſenibus revocavit juventutem. Circe item ſua virga ſuoque poculo vertebat homines in quas vellet formas. Venus Phaonem ex ſene fecit adoleſcentem elegantiſſimum, adeo ut poſtea à Saphone deamaretur. Aurora ſucco ſuo juventutem produxit in plurimos annos ſuo Tithono.*

Et fontem neſcio quem) *Significat fontem juventutis appellatum, in quem ingreſſi ſenes repubeſcant.*

ventam prorogavit. Ego ſum Venus illa, cujus favore Phaon ille repubuit, ita ut à Saphone tantopere deamaretur. Meæ ſunt herbæ ſi quæ ſunt, mea precamina, meus ille fons, qui non ſolum revocat elapſam adoleſcentiam, ſed quod eſt optabilius, perpetuam ſervat. Quod ſi omnes huic ſententiæ ſubſcribitis, adoleſcentia nihil eſſe melius, ſenectute nihil deteſtabilius, quantum mihi debeatis videtis opinor, quæ tantum bonum retineam, tanto excluſo malo. Sed quid adhuc de mortalibus loquor? Cœlum omne luſtrate, & mihi [a] meum nomen opprobret, licebit, quicunque voleт, ſi quem omnino deorum repererit non inſuavem & aſpernabilem, niſi meo numine commendetur. Etenim cur [b] ſemper ephebus & comatus Bacchus? nempe quia vecors ac temulentus, conviviis, ſaltationibus, choreis luſibus vitam omnem tranſigens, ne tantulum quidem habet cum Pallade commmercii. Denique tantum abeſt, ut ſapiens haberi poſtulet, ut [c] ludibriis ac jocis coli gaudeat. Neque proverbio offenditur, quod illi fatui cognomentum attribuit, id eſt huiuſmodi, [d] Μωρότερος μωρύχου. Porro Morycho nomen verterunt, quod illum, pro templi foribus ſedentem, muſto ficiſque

Meum nomen) *Id eſt, Stultam me vocet.*

Semper ephebus) *Veteres Bacchum puerili ſpecie & promiſſis capillis fingebant teſte Macrobio.*

Ludibriis ac jocis) *Sentit de perſonis, oſcillis, utribus unctis, de quibus meminit Virgilius in Georgicis.*

Μωρότερος μωρύχου) *Id eſt, Morycho ſtultior. Lege Chiliades Eraſmi, in quibus erudite juxta ac copioſe proverbium hoc explicatur.*

que recentibus agricolarum lascivia consueverit oblinere. Tum autem quid non scommatum in hunc [a] vetus jacit comœdia? O insulsum, inquiunt, deum, & dignum qui [b] exinguine nasceretur. At quis non malit hic fatuus & insulsus esse, semper festivus, semper pubescens, semper omnibus lusus ac voluptatem adferens, quam vel [c] ἀγχυλομήτης ille Jupiter omnibus formidabilis, vel [d] Pan suis tumultibus omnia senio vitians, vel [e] favillis oppletus Vulcanus, ac semper officinæ laboribus squalidus, aut Pallas etiam ipsa sua Gorgone & hasta terribilis, [e] καὶ ἀεὶ ἐνορῶσα δριμύ? Cur semper puer Cupido, nisi quia nugator est, καὶ [f] μηδὲν ὑγιὲς neque facit neque cogitat? Cur aureæ Veneri semper vernat sua forma? Nimirum, quia mecum habet affinitatem. unde & patris mei colorem vultu refert atque hac de causa est apud Homerum

Vetus jacet comœdia) *Nam Aristophanes in Ranis ridiculum induxit Bacchum, Herculis ornatum ad inferos euntem, ut tragicos audiat.*

Ex inguine) *Nam Bacchus bis natus fingitur, semel ex matre, semel ex Iovis femore.*

Ἀγχυλόμητις) *Hoc cognomen Homerus subinde tribuit Iovi, quod aliud ostendat, & aliud habeat in animo.*

Pan) *Is deus putatur immittere subitos terrores, qui Panici vocantur, & senex fingitur.*

Favillis) Quod faber sit ærarius.

Καὶ ἀεὶ ἐνορῶσα δριμύ) *Id est, Semper intuens torve. sic enim apud Lucianum Cupido ait, se deterreri, ne Palladem adeat, quod semper sit torvis oculis.*

Μηδὲν ὑγιὲς) *Id est, nihil sanum. Est Græcis proverbium, cum omnia scelerata ac stulta significant.*

rum [a] χρυσῆ Ἀφροδίτη. Deinde [b] perpetuo ridet, si quid modo poetis credimus, aut horum æmulis statuariis. Quod numen unquam religiosius coluere Romani, quam Floræ omnium voluptatum parentis? Quanquam si quis etiam tetricorum deorum vitam diligentius requirat ab Homero reliquisque poetis, reperiet stulticiæ plena omnia. Quid enim attinet reliquorum facta commemorare, cum Jovis ipsius fulminatoris amores ac lusus probe noritis? cum severa illa Diana oblita sexus, [c] nihil aliud quam venetur, [d] Endymionem interim deperiens? Verum illi sua facinora à [e] Momo audiant malim, à quo sæpius quondam audire solebant. Sed hunc nuper irati una cum [f] Ate in terras præcipitem dederunt, quod sapientia sua felicitati deorum importunus

Χρυσῆ Ἀφροδίτη) *Id est, Aurea Venus. Sic enim vocat Homerus, tum Iliad. 5. tum alibi frequenter.*

Perpetuo ridet, *Sic eam fingit Homerus multis locis, unde φιλομμειδὴς dicitur. Theocritus in Cerioclepta,* χ' ἁ μάτηρ γελάσασα, *id est, Et mater, Venus videlicet, ridens, & idem in Daphnide,* ἦλθε γὰρ μὰν ἁδεῖα χὴ Κύπρις γελάοισα. *id est, Venit dulcis Venus ridens. & Virgilius. Olli subridens.*

Nihil aliud quam venetur) *Id est, tantum venetur. Sic Quintilianus: Nihil aliud quam flebat.*

Endymionem) *Nota est fabula de Luna ad Endymionem descendente.*

Momo) *Is deus reprehensionis apud Platonem. Hunc Lucianus fingit libere adversus Iovem, & alios deos, loquentem in concilio. Et vetus est fabula illum Palladis, Vulcani, ac Promèthei carpsisse opera.*

Ate) *Græce sonat noxa. Hanc Homerus fingit à Iove in terram deturbatam, & hujus opera inter mortales dissidia nasci.*

portunus obstreperet. Neque mortalium ullus exulem dignatur hospitio, tantum abest, ut illi in principum aulis sit locus, in quibus tamen mea [a] Κολαξεία primas tenet, cui cum Momo non magis convenit, quam cum agno lupis. Itaque sublato illo, jam multo licentius ac suavius nugantur dii, vere [b] ῥᾷστα ἀγοντες ut inquit Homerus, nullo videlicet censore. Quos enim non præbet jocos [b] ficulnus ille Priapus? Quos non ludos exhibet furtis [d] ac præstigiis suis Mercurius? Quin & Vulcanus ipse in deo ũ conviviis [e] γελοιαστὸν agere consuevit, ac moroso claudicatione, modo cavillis, modo

Κολαξία) *Id est, adulatio. quam pedisequam fecit, & digito monstrat.*

Ῥᾷστα ἄγοντες) *Id est facilius agentes. Sic & Terentius: quæ vos facillime agitis. de divitibus loquens, quorum vita facilior & expedita. Theocritus item in Cyclope,* Οὕτω γὰρ ῥᾴστα διάγει ὁ Κύκλωψ ἐπὶ παρ ἡμῖν. i. *sic igitur facillime egit Cyclops apud nos.*

Ficulnus ille) *Alludit ad Horatianum Priapum, quem ille ficulnum facit in Satyris. Olim truncum eram ficulnus inutile lignum. Tum Græcis quicquid contemnunt, ficulnum dicitur, ut in suis Chiliadibus testatur Erasmus.*

Ac præstigiis) *Lucianus narrat illum Vulcani forcipem furatum. Item Apollinis boves, tum & sagittas, præstigiis ademit.*

Γελωτοποιόν) *Id est, moriosum. sic enim vocant Græci, qui risum movere studeat. Sic apud Homerum, Vulcanus in convivio deorum ministrat, & claudicatione risum movet. Tum calicem porrigens matri, ridicula quædam loquitur, ut rixam discutiat inter Iovem & Iunonem. Vnde Homerus loquens de Vulcano*

modo ridiculis dictis exhilarare compotationem. Tum & Silenus ille [a] senex amator, [b] τὴν χόρδακα saltare solitus, una cum Polyphemo [c] τὸν τριταναῖον. Nymphis τὴν γυμνοπαιδίαν saltantibus. Satyri semicapri [d] Atellanas agitant. [e] Pan insulsa quapiã cantiuncula risum omnib. movet, quem ita malunt, quã ipsas audire musas, præcipue cum jam nectare cœperint madere. Porro quid ego nunc commemorem, quæ probe poti dii post conviviũ agitent? adeo mehercle stulta ut ipsa nonnunquam à risu tem-

Vulcano II. a. Ἄσβεστος δ' ἄρα τοῖς γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν, Ὡς ἴδον Ἥφαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα. *Id est, inextinguibilis igitur motus est risus beatis diis, ut viderunt Vulcanum per domus servientem.*

Senex amator) *Hic nymphas persequitur, & insidiatur, apud Ovidium.*

Τὴν χόρδακα) *Cordax genus ridiculæ saltationis ac rusticanæ, cujus meminit Lucianus in libro de saltatione, meminit & Pollux libro quarto, cap. decimo tertio,* περὶ δ' ὄρχήσεως.

Τὴν τριταναῖον) Vox ficta, qua repræsentatur saltatio Cyclopis Polyphemi. unde & Horatius: Saltaret uti Cyclopa rogabat. Meminit Aristophanes in Pluto.

Τὴν γυμνοπαιδίαν) *Et hoc saltationis genus à nuditate pedum dictum: γυμνὸν enim nudum,* παῖς *pes dicitur. Meminit Lucianus.*

Atellanas) *Atellanæ, saltationis est genus, in quo obscœnis gesticulationibus libido repræsentabatur, ab Atella civitate vocatum.*

Pan) *Nam & is fistulam habet, sed agrestem.*

temperare nequeam. At ſatius eſt, in his [a] Harpocratis meminiſſe ne forte nos quoq; [b] Corycæus aliquis deus auſcultet, ea narrantes, quæ Momus quidē impune proloquutus eſt ſed jam tempus eſt ut [c] ad Homericum exemplar relictis cœlitibus viciſſim in terram demigremus, quamque ibi nihil lætum, aut felix, niſi meo munere, diſpiciamus. In primis videtis, quanta providentia natura parens & humani generis opifex, illud caverit, ne uſquam deeſſet ſtulticiæ condimentum. Etenim cum Stoicis definitoribus nihil aliud ſit ſapientia, quam duci ratione: contra ſtultitia, affectuum arbitrio moveri: ne plane triſtis ac tetrica eſſet hominum vita, Jupiter quanto plus indidit affectuum quam rationis? quaſi [d] ſemiunciam compares ad aſſem. Præterea [e] rationem in anguſtum capitis angulum relegavit, reliquum omne corpus perturbationibus reliquit. Deinde duos quaſi tyrannos violentiſſimos uni oppoſuit: iram, quæ præcordiorum arcem obtinet, atque adeo ipſum vitæ fontem, cor: & concupiſcentiam, quæ ad imam uſque pubem latiſſime imperium occupat.

Harpocratis) *Is erat ſilentii Deus.*

Corycæus) *Græci proverbio Corycæus vocant, qui clanculum auſcultant, & explorant quid agatur. Vide in Chiliadibus.*

Ad Homericum exemplar) *Nam huic mos eſt, nunc quid agant dii in cœlo, nunc quid homines in terris viciſſim miſcere narrationem.*

Semiunciam ad aſſem) *Id eſt vigeſimamquartam partem ad totum. Ridicule autem meminit aſſis & unciæ, quæ ſunt ponderum nomina cum de rebus animi loquatur.*

Rationem in anguſtum) *Sic Plato rationem in cerebro collocavit, iram in pectore, in inferioribus concupiſcentiam.*

occupat. Adverſas has geminas copias quantum valeat ratio communis hominum vita ſatis declarat, cum illa, quod unum licet, vel [f] uſque ad ravim reclamat, & honeſti dictat formulas, verum hi laqueum regi ſuo remittunt, multoque odioſius obſtrepunt donec jam ipſe quoque feſſus ultro cedit ac manus d t. Cæterum quoniam viro, adminiſtrandis rebus nato, pluſculum de rationis unciola erat aſpergendum, ut huic quoque pro virili conſuleret me hic ſicut in cæteris in conſilium adhibuit, [b] moxque conſilium dedi me dignum: nempe uti mulierem adjungeret: animal videlicet ſtultum quidem illud atque ineptum verum ridiculum & ſuave, quo convictu domeſtico, virilis ingenii triſtitiam ſua ſtultitia condiret atque edulcaret. Nam quod Plato dubitare videtur, utro in genere ponat mulierem rationalium animantium, an brutorum, nihil aliud voluit, quam inſignem ejus ſexus ſtultitiam indicare. Quod ſi qua forte mulier ſapiens haberi voluerit, ea nihil aliud egerit quam ut bis ſtulta ſit; perinde quaſi bovem aliquis ducat [c] ad ceroma. invita reluctanteque, *Minerva*. Conduplicat enim vitium, quiſquis, contra naturam virtutis fucum inducit atque alio deflectit ingenium. Quemadmodnm, juxta Græcorum proverbium ſimia, ſemper eſt ſimia, etiam ſi purpura veſtiatur: Ita mulier ſemper mulier eſt; hoc eſt ſtulta

Vſque ad ravim) *Id eſt, uſque ad raucedinem. Plautinum proverbium eſt.*

Moxque conſilium) *Si nugas quaſlibet vocamus ad ſeriam ac ſeveram examinationem, quid magis impium quam hoc, tribuere ſtultitiæ, quod ſcriptura commemorat à Deo factum?*

Ad ceroma) *Vnguenti genus eſt, quo inungebantur athletæ.*

ſtulta, quamcunque perſonam induerit. Neque vero mulierum genus uſque adeo ſtultum arbitror, ut eam ob rem mihi ſucceniſeant, quod illis & ipſa mulier & ſtulticia, ſtulticiam attribuam. Etenim ſi rem recta reputent via hoc ipſum ſtulticiæ debent acceptum ferre, quòd ſint viris multis calculis fortunatiores. Primum formæ gratiam quam illæ merito rebus omnibus anteponunt, cuiuſque præſidio in tyrannos etiam ipſos tyrannidem exercent. Alioqui unde nam horror ille formæ, hiſpida cutis & barbæ ſylva, plane ſenile quiddam in viro, niſi à prudentiæ vitio? cum fœminarum, ſemper lævis malæ, vox ſemper exilis, cutis mollicula, quaſi perpetuam quandam adoleſcentiam imitentur. Deinde quid aliud optant in hac vita, quam ut viris quam maxime placeant? Nonne huc ſpectant tot cultus, tot fuci, tot balnea, tot compturæ, tot unguenta, tot odores, tot componendi, pingendi, fingendique vultus, oculos, & cutem artes? Iam, num alio nomine viris magis commendatæ ſunt, quam ſtulticiæ? Quid enim eſt, quod illi mulieribus non permittunt? At quo tandem autoramento, niſi voluptatis? Delectant autem fœminæ non alia re, quam ſtulticia. Id eſſe verum non ibit infitias, quiſquis ſecum reputarit, quas vir cum muliere dicat ineptias, quas agat nugas, quoties fœminea voluptate decreverit uti. Habetis igitur primum & præcipuum vitæ oblectamentum quo fonte proficiſcatur. Sed ſunt nonnulli cum primis autem ſenes, bibaces quidem illi magis quam mulieroſi, qui ſummam voluptatatem in compotationibus conſtituunt. Equidem an ſit ullum lautum convivium, ubi mulier non adſit, viderint alii. Illud certe conſtat, citra ſtulticiæ condimentum, nullum omnino ſuave eſſe. Adeo ut, ſi deſit, qui ſeu vera, ſeu ſimulata ſtultitia riſum moveat, γελωτοποιὸν, quempiam vel mercede conducti accerſant,

ſant, aut ridiculum aliquem paraſitum, adhibeant, qui ridendis, hoc eſt, dicteriis, ſilentium ac triſtitiam compotationis diſcutiat. Quorſum enim attinebat, tot bellariis, tot lauticiis, tot cupediis onerare ventrem, niſi & oculi pariter & aures, niſi totus animus, riſu, jocis, leporibus paſceretur. At [a] iſtiuſmodi tragematũ ego ſum architectrix unica. Quanquam illa ipſa jam in conviviis ſolennia, [b] regem ſortiri talis, luſitare teſſeris, [c] philoteſiis invitare, certare [d] συμπεριφοραῖς, [e] ad myrtum canere, ſaltare, geſticulari, non à ſeptem Græciæ ſophis, verum à nobis, ad humani generis ſalutem reperta ſunt. Atqui omnium hujuſmodi rerum ea natura eſt, ut quo plus habent ſtultitiæ, hoc plus conferant vitæ mortalium: quæ ſi triſtis, [f] ne vita qui-

Iſtiuſmodi tragematum) *Tragemata vocant Græci, quæ latini bellaria vocant, nempe ſecundæ menſæ delicias.*

Regem ſortiri talis) *Rex dicebatur qui ſingulis præſcribebat, quantum deberent bibere.*

Philoteſiis) *Græci φιλοτησίας vocant quibus & hodie noſtrates utuntur, cum in amicitiæ ſignum præbibant alicui, ac deinde porrigunt poculum.*

Συμπεριφοραῖς) *Id eſt circumlationibus. Sic enim vocant, cum dicendi, canendi, bibendique vices, ordine per omnes circumferentur.*

Ad Myrtum canere) *Olim qui canere jubebatur, myrteum ramum accipere ſolitus erat ab eo qui ante cecinerat, atque is finita cantione tradebat ei quem vellet poſt ſe canere, ut copioſius explicat Eraſmus in ſuis Chiliadibus.*

Nec vita quidem) *Vnde veteres vivere dicebant, genialiter agere lauteque. Catullus: Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.*

quidem appellanda videatur. Triſtis autem evadat oportet, niſi cognatum tædium hoc genus oblectamentis abſterſeris. Sed erunt fortaſſis, qui hoc quoque voluptatis genus negligant, & in amicorum charitate & conſuetudine acquieſcant; amicitiam dictitantes unam rebus omnibus anteponendam quippe rem uſque adeo neceſſariam, [a] nec aer, nec ignis, nec aqua magis rurſum adeo jucundam ut qui hanc de medio ſuſtulerit, ſolem ſuſtulerit: adeo denique honeſtam, ſiquid tamen hoc ad rem pertinet, ut nec ipſi philoſophi vereantur eam inter præcipua bona commemorare. Sed quid ſi doceo me hujus quoque tanti boni [b] & puppim eſſe & proram? Docebo autem, non [c] crocodilitis, aut [d] ſoritis, [e] ceratinis, aut aliis id genus dialectico-

Nec aer nec ignis) *Ita M. Tullius in Lælio de amicitia.*

Et puppim eſſe & proram) *Proverbialiter dixit Præcipuum authorem & fontem. Nam qui puppim ac proram navis habet, totam habet navim.*

Cocodilitis) *Crocodilites genus eſt ſyllogiſmi captioſi, quem dialectici fingunt crocodilum propoſuiſſe mulieri, cujus filium rapuerat. Si dixeris, inquit, verum reddam tibi filium. Illa reſpondit, Non reddes Et ergo redde, quia verum dixi. Imo inquit, ſi reddidero, non dixeris verum.*

Soritis) *Sorites ſyllogiſmus eſt, quem Cicero vocat acervalem, quod acervandis paulatim ſingulis fallat, Vt: Decem nummi non faciunt divitem quid ſi unum addas? quid ſi etiam unum? Ita fiet ut nunquam fias dives ſi nunquam unus nummus facit divitem. Dicitur autem ἀπὸ τῆς σωρείας, id eſt, à cumulo ſive acervo.*

Ceratinis) *Quos latini cornutos, cum e duobus quicquid reſponderis, in te retorquetur. Hujuſmodi ſyllogiſmis veteres dialectici laudabant. Dicitur autem ἀπὸ τοῦ κέρατος, id eſt, cornu.*

lecticorum argutiis, ſed pingui, quod aiunt, Minerva rem digito propemodum oſtendam. Age, convenire, labi, cæcutire, hallucinari in amicorum vitiis, quædam etiam inſignia vitia pro virtutibus amare, mirarique, an non ſtulticiæ videtur affine? Quid cum alius exoſculatur nævum in amica, alium delectat [a] polypus Agnæ, cum filium [b] ſtrabonem appellat pætum pater? quid inquam, hoc eſt, niſi mera ſtulticia? Clament terq; quaterque, ſtulticiam eſſe: atqui hæc una Stulticia [c] & jungit, junctos & ſervat amicos. De mortalibus loquor quorum nemo ſine vitiis naſcitur; optimus ille eſt, qui minimis urgetur cum interim inter ſapientes iſtos deos, aut omnino non coaleſcit amicitia aut tetrica quædam & in ſuavis intercedit, nec ea niſi cum pauciſſimis; nam cum nullis dicere religio eſt, propterea quod maxima pars hominum deſipit, imo nullus eſt, qui non multis modis deliret, & non niſi inter ſimiles cohæret mutua benevolentia ea certe haud quaquam ſtabilis eſt, nec admodum duratura, nimirum inter moroſos & plus ſatis oculatos, ut qui in amicorũ vitiis tam cernunt acutum, quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius. At ipſi in propriis vitiis quam lippiunt, & quam non vident man-

Polypus) *Alluſit ad verſus Horatianos. Polypus vitium eſt narium grave olentium. Agnam vocat amicam.*

Strabonem appellat pætum) *Strabonem eſſe, vitium eſt: oculorum diſtortorum. Pætum eſſe levius eſt: nam pætis oculis pingebatur Venus, quod id videatur amatorium.*

Et jungit junctos) *Et hoc carmen eſt Horatianum. Vt eſt illud: Nam vitiis nemo ſine naſcitur. Et illud: Quamut aquila aut ſerpens Epid aurius.*

[c] manticam in tergo pendentem? Itaque cum ea sit hominum natura, ut nullum ingenium reperiatur non magnis obnoxium vitiis; adde tantum animorum ac studiorum dissimilitudinem, tot lapsus, tot errata, tot casus vitæ mortalis: quo pacto vel horam constabit [b] inter argos istos amicitiæ jucunditas, nisi accesserit ea quam mire Græci εὐήθειαν appellant? hac seu stulticiam seu morum facilitatem vertas, licebit. Quid autem? an non Cupido, ille omnis necessitudinis autor & parens, prorsum oculis captus est? cui quemadmodum [c] τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, itidem inter nos quoq; efficit ut suum cuique pulchrum videatur, ut [d] cascus cascam, perinde ut [e] pupus pupam, deamet. Hæc passim & fiunt & ridentur, sed tamen hæc ridicula jucundam vitæ

Manticam in tergo) *Et hoc proverbium in eos, qui aliorum cernunt vitia, sua non vident. Natum ex Æsopi fabula, Persius: Vt nemo in sese tentat descendere, nemo! Sed præcedentis spectatur mantica tergo.*

Inter Argos istos) *Argos vocat plus satis oculatos. Nam ut Ovid. ait: Cinctum luminibus centum caput Argus habebat.*

Τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται) *Id est, non pulchra pulchra videntur. Hemistichium est Theocriti de amante. Sic enim ait in Idyllio*). ὦ γὰρ ἔρωτι πολλάκις ὦ πολύφαμε τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. *Id est, Etenim amori sæpe, ô Polypheme, quæ non pulchra, pulchra videntur, Cæcus enim amor à poetis fingitur:* & τυφλοῦται τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον, *ut ait Plato; id est, Excæcatur amans circa amatum.*

Cascus Cascam) *Id est, vetulus vetulam. Sic enim prisci Latini loquebantur. Estque proverbium.*

Pupus) *Pupum antiqui puerum vocabant, pupam puellam.*

vitæ glutinant copulantque ſocietatem. Porro quod de amicitia dictum eſt, id multo magis de conjugio ſentiendum, quod quidem nihil eſt aliud, quam individua vitæ conjunctio. Deum immortalem, quæ non divortia, aut etiam [a] divortiis deteriora paſſim accideren, niſi viri fœminæque domeſtica conſuetudo, per adulationem, per jocum, per facilitatem, errorem, diſſimulationem, meum utique ſatellitium, fulciretur aleretur que? Papæ, quam pauca coirent matrimonia, ſi ſponſus prudenter exquireret quos luſus delicata illa, ſicuti videtur, ac pudens virguncula, jam multo ante nuptias luſerit? Tum quanto pauciora cohærerent inita, niſi plurima uxorum facta per viri vel negligentiam vel ſtuporem, laterent? Atque hæc quidem merito ſtulticiæ tribuuntur, verum ea interim præſtat ut marito jucunda ſit uxor, uxori jucundus maritus, ut tranquilla domus, ut maneat affinitas. Ridetur; [b] cuculus curruca, & quid non vocatur, cum mœchæ lachrymas labellis exorbet? At quanto felicius ſic errare, quam zelotypiæ diligentia quum ſeſe conficere, tum omnia miſcere tragœdiis? In ſumma, uſque adeo nulla ſocietas nulla vitæ conjunctio ſine me vel jucunda vel ſtabilis eſſe poteſt, ut nec populus principem, nec ſervum herus, nec herum pediſequa, nec diſcipulum præceptor, nec amicus amicum, nec maritum uxor, nec locator conductorem, nec contubernalis contubernalem,

Divortiis deteriora) *Significat veneficia aut homicidia.*

Cuculus, curruca) *Sic vulgo vocant maritum uxoris parum pudicæ. Quanquam Plautus cuculum vocat maritum foris amantem aliam, quod hæc avis ova ponat in nido alieno, Iuvenalis currucam vocat maritum uxoris parum caſtæ, quod alienos alat pro ſuis. Tu tibi nunc curruca places.*

lem nec convictor convictorem dutius ferat nisi vicissim inter sese nunc errent, nunc adulentur, nunc prudentes connniveant, nunc aliquo stulticiæ melle sese deliniant. Jam hæc scio videri maxima, sed audietis majora. Quæso num quemquam amabit, qui ipse semet oderit? Num cum alio concordabit, qui secum ipse dissidet? Num ulli voluptatem adferet, qui sibimet ipsi gravis ac molestus? Istud opinor nemo dixerit, nisi qui sit ipsa stultior stulticia. Atqui si me excluserit, adeo nemo poterit alterum ferre, ut ipse etiam [a] sibi quisque puteat, sua cuique sordeant, sibi quisq; sit invisus. Quando quidem id mali natura, non paucis in rebus noverca magis quam parens, mortalium ingeniis insevit, præcipue paulo cordatiorum, ut sui quenque peniteat, admiretur aliena. Quo fit ut omnes dotes, omnis elegantia, decorque vitæ vitietur, pereatque. Quid enim proderit forma, præcipuum deorum immortalium munus, si putiditatis vitio contaminetur? Quid juventa, si senilis tristitiæ fermento corrumpatur? Denique quid in omni vitæ munere vel tecum, vel apud alios acturus es cum decoro, (est enim non artis modo, verum etiam omnis actionis caput, decere quod agas) nisi adsit dextra hæc Philautia, quæ mihi merito germanæ est vice? Adeo strenue meas ubique partes agit. Quid autem æque stultum, atque tibi ipsi placere? te ipsum admirari? At rursum quid venustum, quid gratiosum, quid non indecorum erit, quod agas, ipse tibi displicens? Tolle hoc vitæ condimentum, & protinus frigebit cum suâ actione orator, nulli placebit cum suis numeris musicus, explodetur cum sua gesticulatione histrio,

Sibi quisque puteat) *Putere dicitur quod molestum est ac displicet.*

ſtrio, ridebitur una ſuis cum mutis poeta, ſorcebit cum arte pictor, eſuriet cum pharmacis medicus. Poſtremo [a] pro Nireo Therſites, pro [b] Phaone Neſtor, pro Minerva ſus, pro facundo infans, pro urbano ruſticus videberis. In tantum neceſſe eſt, ut ſibi quoque quiſque blandiatur, & aſſentatiuncula quapiam ſibi prius commendetur, quam aliis poſſit eſſe commendatus. Denique cumprǽcipua felicitatis pars ſit, ut, [b] quod ſis, eſſe velis, nimirum totum hoc prǽſtat compendio mea Philautia, ut neminem ſuæ formæ, neminē ſui ingenii neminem loci, neminem inſtituti, neminē patriæ pœniteat: adeo ut nec Hirlandus cum Italo, nec Thrax cum Athenienſi, nec Scytha cum inſulis Fortunatis cupiat permutare. Et ô ſingularem naturæ ſolicitudinem, ut in tanta rerum varietate paria fecit omnia! Ubi dotibus ſuis nonnihil detraxit, ibi pluſculum Philautiæ ſolet addere; quanquam hoc ipſum ſtulte profecto dixi, cum hæc ipſa dos ſit vel maxima. Vt ne dicam interim, nullum egregium facinus adiri niſi meo impulſu, nullas egregias artes, niſi me authore, fuiſſe repertas. An non omnium laudatorum facinorum ſeges ac fons eſt bellum? Porro quid ſtultius, quam ob cauſas, neſcio quas, certamen ejuſmodi ſuſcipere, unde pars utraque ſemper plus fert incommodi, quam boni? Nam eorum

Pro Nireo Therſites) *Vterque eſt apud Homerum. Nireum dicit fuiſſe omnium formoſiſſimum, qui ad Troiam venerunt. Therſitem omnium maxime deformem.*

Phaone Neſtor) *Phaon beneficio Veneris è ſene revocatus eſt ad adoleſcentiam. Neſtor tria ſecula vixit, teſte Homero Iliad. a.*

Quod ſit eſſe velis) *Hemiſtichum eſt Martialis.*

eorum qui cadunt, veluti [a] Megarenſium, οὐδεὶς λόγος. Dein cum jam utrinque conſtitere ferratæ acies, [b] & rauco crepuerunt cornua cantu, quis oro ſapientum iſtorum uſus qui ſtudiis exhauſti, vix tenui frigidoq; ſanguine ſpiritum ducunt? [c] Craſſis ac pinguibus opus eſt, quibus quam plurimum adſit audaciæ, mentis quam minimum. Niſi ſi quis [d] Demoſthenem militem malit, qui [e] Archilochi ſequutus conſilium, vix conſpectis hoſtibus, abjecto clypeo fugit, tam ignavus miles, quam orator ſapiens. Sed conſilium, inquiunt in bellis plurimum habet momenti. Equidem fateor in duce, verum id quidem militare, non philoſophicum; alioqui paraſitis, lenonibus, latronibus, ſicariis, agricolis, ſtupidis, obæratis, & hujuſmodi mortalium

Megarenſium οὐδεὶς λόγος) *Id eſt, nullus reſpectus. Proverbium eſt, apud Theocritum ex oraculo natum, quo reſponſum eſt, Megarenſes neque tertios eſſe, neque quartos, perinde quaſi in nullo ſint numero, de quibus nulla ſit mentio.*

Et rauco) *Hemiſtichium eſt Virgilianum.*

Craſſis ac pinguibus) *Hoc ex Ariſtotelis ſententia, qui putat, eos, qui minime valent ingenio, plus pollere audacia. Nam craſſus ſanguis, quo abundant robuſti, ut robur auget, ita ingenium craſſum efficit. Contra, ſanguis tenuis, ex quo ſpiritus tenues exhalant, ut corpuſculum imbecillum & meticuloſum, ita ingenium acutum timidumque efficit.*

Demoſthenem) *Nam is abjecto clypeo fugit, unde Rhipſaſpis dictus eſt, ut Plutarchus in ejus vita ſcribit.*

Archilochi ſequutus conſilium) *Lacedæmonii Archilochum poetam è finibus ſuis excedere coegerunt, quod in epigrammate quodam gloriatus eſſet ſe clypeum abjeciſſe, quaſi id conſultius ſit quam mori in pugna. Author Plutarchus in apothegmatis Laconicis. Lege proverbium in Chiliadibus, Abjecit haſtam.*

mortalium fæce, res tam præclara geritur, non philoſophis lucernariis. Qui quidem quam ſint ad omnem vitæ uſum inutiles, vel Socrates ipſe, unus Apollinis oraculo ſapiens, ſed minime ſapienter iudicatus, documento eſſe poteſt qui neſcio quid publice conatus agere ſummo cum omnium riſu diſceſſit. Quanquam vir is in hoc non uſquequaque deſipit, quod ſapientis cognomen non agnoſcit, atque ipſi deo reſcribit, quodque cenſet ſapienti à repub. tractanda abſtinendum eſſe niſi quod potius monere debuerat, à ſapientia temperandum ei, qui velit in hominum haberi numero. Deinde quid eundem accuſatum [a] ad cicutam bibendam adegit, niſi ſapientia? Nam [b] dum nũbes [c] & ideas philoſophatur, [d] dum pulicis pedes metitur, [e] dum culicum vocem miratur; quæ ad vitam communẽ attinent, non didicit. Sed adeſt præceptori de capite periclitanti diſcipulus Plato, egregius ſcilicet patronus, [d] qui turbæ ſtrepitu offenſus, vix dimi-

Ad cicutam) *Herba eſt mortifera, unde Socrates bibit potionem.*

Dum nubes) *Ita Ariſtophanes inducit eum adorantem nubes, tanquam deos.*

Et ideas) *Alludit ad ideas Platonicas, quas irriſit & Ariſtoteles.*

Dum pulicis pedes) *Hoc quoque de eodem fingit in nubibus Ariſtophanes, irridens illius mathematicam.*

Dum culicum vocem) *Eſt & hoc in eadem fabula. Socratem fingit diſputantem, unde tantam vocem emittat culex, tantillum animal.*

Qui turbæ ſtrepitu) *Hoc in ejus vita legitur. & extat in initium illius orationis: Quanquam omnium natu minimus adſum &c. cum alioqui in ſcholis & circulis eſſet omnium facundiſſimus.*

dimidiatam illam periodum pronunciare potuit. Jam quid dicam [a] de Theophraſto? qui progreſſus in concionem, protinus obmutuit, perinde [a] quaſi repente lupo conſpecto; qui militem animaſſet in bello. Iſocrates ob ingenii timiditatem nec hiſcere unquam eſt auſus. + M. Tullius eloquentiæ Romanæ parens, ſemper indecora trepidatione, perinde quaſi puer ſingultiens, exordiri conſuevit. Idque Fabius interpretatur cordati oratoris & periculum intelligentis argumentum. Verum cum hoc dicit, an non palam fatetur ſapientiam obſtare ad rem probe gerendam? Quid iſti facient, cum res ferro geritur, qui tum metu exanimatur, cum nudis verbis eſt decertandum? Et poſt hæc celebratur, ſi diis placet, præclara illa Platonis ſententia, beatas fore reſpublicas, [b] ſi aut imperent philoſophi, aut philoſophentur imperatores. Imo ſi conſules hiſtoricos, reperies nimirum nullos reipublicæ peſtilentiores fuiſſe principes quam ſi quando in philoſophaſtrum aliquem aut literis addictum inciderit imperium. Cujus rei ſatis, opinor, faciunt fidem Catones: quorum [c] alter inſanis delationibus

De Theophraſto) *Is Ariſtotelis diſcipulus, ab eloquentia nomen etiam invenit, & tamen quia non exercitatus, apud populum dicturus obmutuit.*

Quaſi lupo conſpecto) *Lupus enim ſi prius hominem videat, vocem adimere putatur. Iſocrates ſcripſit plurimas orationes, nullam egit cauſam, quod vocis eſſet exili, & natura timidus, ut in illius vita legitur.*

M. Tullius) *Hoc vitii Tullius ipſe fatetur.*

Si aut imperent) *Non hæc dicuntur ex animo, ſed ad Moriæ perſonam reſpiciens ludit, cum autor ipſe longe diverſa ſentiat.*

Alter inſanis) *De Cenſorio loquitur qui quadragies accuſatus, ſemper abſolutus eſt, ipſe ſeptuagies ac ſæpius alios reos fecit; ut in ejus vita narrat Plutarchus, & Plin. in ſeptimo.*

nibus reipub. tranquilitatem vexavit, [a] alter libertatem Populi Romani dum nimium sapienter vindicat, funditus subvertit. Adde his [b] Brutos, Cassios [c] Gracchos, ac [d] Ciceronem etiam ipsum, qui non minus pestilens fuit Romanorum reipub. quam [e] Demosthenes Athenienſium. Porro [f] M. Antoninus, ut donemus bonum imperatorem fuisse; nam id ipsum extorquere possim; fuit enim hoc ipso nomine gravis atque invisus civibus, quod tam philosophus esset; sed tamen ut donemus fuisse bonum, at certe pestilentior fuit reipub. tali relicto filio, quam fuerat sua administratione salutaris. Quandoquidem solet hoc hominum genus, qui se sapientiæ studio dediderunt, cum cæteris in rebus, tum præcipue in liberis propagandis infelicissimum esse, providente opinor natura, [g] ne malum hoc sapientiæ inter mortales latius

Alter) *Vticensem intellige, qui provocato Cæsare, subvertit libertatem Romanam.*

Brutos, Cassios) *Hi Iulium occiderunt: ac postea victi manu sua sibi necem conscierunt.*

Gracchos) *Tiberium & Caium. uterque eloquens, uterque seditiosus, uterque per tumultum perit, lege Plinium de viris illustribus.*

Ciceronem) *Cicero Antonium in perniciem reipublicæ provocavit.*

Demosthenes) *Et hic Athenienses ad bellum adversus Philippum suscipiendum incitavit quæ res eis vertit male.*

M. Antoninus) *Hic pius dictus est, & cognominatus Philosophus, vir omnium laudatissimus, sed Commodi illaudatissimi pater.*

Ne malum hoc sapientiæ) *An non hic palam ludit, & stultitiam loqui facit, non suum animum?*

latius ſerpat. [a] Itaque Ciceroni degenerem fuiſſe filium conſtat, & ſapiens ille [b] Socrates liberos habuit matri ſimiliores quam patri, ut non omnino peſſime ſcripſit quidam, id eſt, ſtultos. Sed utrunque ferendum, ſi tantum ad publica munia forent [c] Ὄνοι πρὸς λύρην, niſi ad omnem prorſus vitæ functionem nihilo eſſent dexteriores. Ad convivium adhibe ſapientem; aut triſti ſilentio, aut moleſtis quæſtiunculis obturbabit. Ad chorum advoca, camelum ſaltare dices. Ad publicos ludos trahe, ipſo vultu populi voluptatibus obſtabit, & cogetur è theatro migrare [c] ſapiens Cato, quandoquidem ſupercilium non poteſt ponere. In colloquium inciderit, repente [d] lupus in fabula. Si quid emendum, ſi contrahendum, breviter, ſi quid eorum agendum, ſine quibus hæc quotidiana vita tranſigi non poteſt, ſtipitem dicas ſapientem iſtum, non hominem. Uſque adeo neque ſibi, neque patriæ, neque ſuis uſquam uſui eſſe poteſt, propterea quod communium rerum ſit imperitus, & à populari opinione vulgaribuſque inſtitutis longe lateque diſ-

Itaque Ciceroni) *Cicero filius Ciceronis temulentus, ignavus, moroſus, nulla in re ſimilis patri, niſi in feſtivitate, ut teſtatur Seneca,*

Socrates liberos) *Ita teſtatur Seneca: nam uxorem habuit Socrates moroſam, ac rixoſam ut teſtatur Gellius.*

Ὄνοι πρὸς λύρην) Id eſt, Aſini ad lyram proverbium eſt.

Sapiens Cato) *Eſt apud Martialem de Catone minore, qui, cum ſederet in theatro, nec auderent agere qui acturi erant Floralia, in quibus mulieres nudæ & viri turpiter ſaltabant, juſſus eſt aut mutare vultum, aut exire, exivit itaque.*

Lupus eſt in fabula) *Proverbium eſt de ſubito ſilentio medio ſermone orto.*

discrepet. Qua quidem ex re odium quoque consequatur necessum est, nimirum ob tantam vitæ atque animorum dissimilitudinem. Quid enim omnino geritur inter mortales non stultitiæ plenum, idque à stultis, & apud stultos? Quod si quis unus universis velit obstrepere huic ego suaserim, ut, [a] Timonem imitatus, in solitudinem aliquam demigret, atque ibi solus sua fruatur sapientia. Verum ut ad id, quod institueram, revertar, quæ vis saxeos, quernos, & agrestes illos homines in civitatem coegit, nisi adulatio? Nihil enim aliud, significat illa [b] Amphionis & Orphei cithara, Quæ res plebem Romanam, jam extrema molientem in concordiam civitatis revocavit? Num oratio philosophica? Minime. Imo ridiculus * ac puerilis apologus

Timonem) *Timon Atheniensis offensus hominum moribus abiit in solitudinem, & mortalium omnium consortia fugit, adeo ut sepulchrum quoque illius à continente sit undis maris avulsum. Exstat de hoc Luciani dialogus ab Erasmo versus.*

Amphionis & Orphei) *Est in fabulis, Amphione canente, saxa sua sponte in structuram murorum cojisse, atque ita cantu, non manibus claras extructas fuisse Thebas. De Orpheo quoque fabulantur, saxa & quercus cantu illius commota fuisse. Id Horatius interpretatur, agrestem multitudinem, quam per saxa & quercus intelligi voluit illorum suaviloquentia, in civitatis formam fuisse coactam.*

Ac puerilis apologus) *Cum plebs Romana ære alieno demersa, authore Sicinio in sacrum montem à patribus secessisset, atque ita de republica actum esse videretur, Patres Menenium Agrippam oratorem ad plebẽ miserunt, qui hujusmodi apologo plebem patribus reconciliavit. Tempore, inquit, quo in homine, non*

apologus de ventre reliquisque corporis membris confictus. Idem valuit [a] Themistoclis apologus consimilis de vulpe & ericio. Quæ sapientis oratio tantundem potuisset, quantum commenticia illa [b] cerva Sertorii potuit; quantum Laconis,

ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris, suum cuique consilium, suus sermo fuerat indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio, ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum. nihil aliud quam datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Ac ita cum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra, totumque corpus, ad extremam tabem venisse: inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse quippe qui sanguinem hunc, quo vivimus, vigemusque, mitteret in omnes corporis partes. Hocque apologo ostendens, iram plebis in patres similem esse intestinæ illi membrorum seditioni, flexit mentes hominum. Hæc ferme Livius, primæ Decadis lib. 2.

Themistoclis apologus) *Themistocles populum Atheniensem, ægre ferentem avaritiam magistratus, hujusmodi apologo deterruit à rebus novandis. Vulpecula sitibunda, æstate media, sole fervente, dum fossam ingressa, aquam quærit, luto à sole indurato inhæsit, imbique muscæ totum vulpeculæ corpus obsidentes, sanguinem omnem exugebant. Quod erinaceus, fossæ ripam forte fortuna prætergrediens, conspicatus, vulpeculæ volens suppetias ferre, muscas spinis illis, suis abigere parabat. Ibi vero vulpecula obsecrans, ne muscas abigeret, dixit: Istæ nunc sanguinis saturæ sunt, quas si abegerus, aliæ famelicæ in harum locum succedentes, quicquid sanguinis reliquum fuerit, prorsus ebibent.*

Cerva Sertorii) *Plutarchus in vita Sertorii refert, eum,*

[a] Laconis illius de duobus canibus [b] deq; vellendis equinæ caudæ pilis ridendum modo dicti Sertorii

eum, cum Iberiam bis subiecisset, Barbaros hoc modo illusisse. Cervam candidi coloris, sic mansuefactam, ut vocantem exaudiret & vadentem sequeretur, jactabat sibi à Diana missam, multaque se per illam edoceri. Itaque quoties hostes adventuros conjecturaret, simulabat sibi id à cerva indicatum, atque si quando victoria aliqua suorum ducum deferebatur, occulto nuncio sibi à cerva fausta nunciata jactabat. Eaque arte fecit ut Barbari eum numinis instar colerent.

Laconis) Lycurgi videlicet Lacedæmoniorum legislatoris, qui ut Plutarchus scribit in libello de puerorum educatione, duos catulos, iisdem editos parentibus, sic educavit, ut alterum ignavum voracemque, alterum vero generosum venatorem redderet. Deinde Lacedæmoniis in concione congregatis: Magnum momentũ ad virtutem, O Lacedemonii, inquit, sunt mores, doctrinæ & educationes. Atque ego hæc vobis manifesta faciam. Quo dicto, ponens in medium λοπάδα, id est, ollam, ac leporem, è regione catulorum ipsos catulos dimisit. Ibi vero generosus ille in leporem impetum fecit, alter vero ad ollam se recepit. Lacedæmoniis autem nondum conjicientibus quid hæc sibi vellent, Lycurgus inquit: Catuli isti iisdem parentibus prognati sunt, cæterum diversam nacti educationem, alter venator strenuus, alter ignavus & gulosus evasit.

Deque vellendis pilis) Cum Sertorius, ut Plutarchus in ejus vita scribit, adversus Pompeium bellum gereret multitudoque Barbarorum, ducis Imperio minus pareret, hoc commento usus est. Advocata totius exercitus concione, duos equos adduci jussit alterum macie senioque confectum, alterum robustum, caudamque habentem nigram. Macilento autem ad-

mo-

torii commentum? Ut ne quid dicam de [a] Minoe, [b] deque Numa, quorum uterque fabulosis

movit virum robustum, forti vero homunculum imbecillem. Dato autem signo vir ille magnus, ut illi præceptum erat, caudam gracilis equi ambabus manibus prehendens, evellere setas omnes uno impetu annixus est. Parvus contra homuncio robusti equi caudam paulatim vellebat. Tandem vero ubi ille, frustra conatus, sibi molestus esset, aliisque risum moveret hic contra minimo labore setas statim evelleret: ibi Sertorius assurgens, Videtis commilitones, inquit, ingenium plus posse quam vires. Multa enim quæ unico impetu superari non possunt, paulatim superantur.

Minoe) *Minos Cretensium rex fixit, se nono quoque anno in consilium Iovis patris admitti, atque inde leges acceptas ad populum ferre, quo major esset legibus autoritas. Vide Homerus Odyss. τ. Μίνως Εἰνέωρος βασίλευς διὸς μεγάλου ὁαριστὴς. Id est, Minos nono quoque anno cum Iove familiarem habuit confabulationem. Vnde Hesiodus dixit, eum Iovis sceptrum, quam Plato in Minoe doctrinam interpretatur, habere. Ζηνὸς ἔχων σκῆπτρον, τῶν καὶ πόλεων βασίλευε. id est, Sceptra Iovis retinens quis Cretum rexerat urbes.*

Deque Numa] *Cum sub Numa Pompilio, secundo Romanorum rege, Romani cum omnibus finitimis pacem haberent, veritus Numa ne luxuriarent ocio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat, omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam deorum metum, injiciendum ratus est. qui cum descendere ad animos siue aliquo commento mirabili non posset, finxit sibi cum dea Ægoria congressus nocturnos esse, eiusque se monitu sacrificia instituere, legesque ferre. Hæc ferme Livius.*

fabulosis inventis stultam multitudinem rexit. Hujusmodi nugis commovetur ingens ac potens illa [a] belua populus. At rursum, quæ civitas unquam Platonis aut Aristotelis leges, aut [b] Socratis dogmata recepit? Tum autem quæ res [c] Deciis persuasit, ut ultro sese diis manibus de-

Belua populus) *Plato lib. de republica sexto dicit, Sophistas nihil aliud docere, quam vulgi sententias, in quibus cum congregatus fuerit consentiunt, hancque vocare scientiam. Veluti si quis θρέμματος μεγάλου καὶ ἰσχυροῦ τροφὰς, id est, bestiæ magnæ robustæque nutritæ iras & cupiditates singulas observarit, qua ratione hanc adire tractareque deceat, quibus rebus mitescat, & quibus acerbior fiat, quibus placetur, quibusque irritetur. Dicitque, sophistas singula nominare ad illius bestiæ ingentis opinionem, bona videlicet dicere, quibus delectatur, mala vero, quibus ipsa bestia offenditur, neque aliam ullam de his afferre rationem. Hæc Plato. Sed &, nonnulli concionatores nostri temporis, non multum sophistis illis vulgaribus dissimiles esse videntur. Quippe cum magis in concionibus blaterant, quæ mercatoribus mulierculisque grata esse putant, à quibus & aliquid pecuniolæ corradere queant, quam ea quibus vulgus ad pietatem trahi possit. Horatius item Platonem imitans, vocat populum beluam multorum capitum.*

Socratis dogmata) *Id est, decreta: cujusmodi sunt illa, Satius est injuriam pati, quam facere: et, Mors nihil est, mali: et, Philosophia nihil aliud est, quam meditatio mortis.*

Deciis persuasit) *Nam Decii pro salute reipub. se devoverunt: pater, ut Livius scribit Dec. 1. lib. 8. in bello Latino: filius, ut idem lib. 10. testatur, in bello quod adversus Vmbros, Hetruscos et Samnites gestum est.*

devoverent? Quid [a] Q. Curtium in ſpecum traxit, niſi inanis gloria, dulciſſima quædam Siren, ſed mirum quam à ſapientibus iſtis damnata? Quid enim ſtultius, inquiunt, quam ſupplicem [b] candidatum blandiri populo, [c] congiariis favorem emere, venari tot ſtultorum applauſus, acclamationibus ſibi placere, in triumpho veluti [d] ſignum aliquod populo ſpectandum circumferri, [e] æneum in foro ſtare? Adde his [f] nominum & cognominum adoptiones, Adde divinos honores homuncioni exhibitos, adde publicis cæremoniis [g] in deos relatos etiam ſceleratiſſimos tyrannos. Stultiſſima ſunt hæc, & ad quæ ridenda non unus ſufficit Democritus.

Quintum Curtium) *Notiſſima eſt hiſtoria.*

Candidatum) *Candidati vocantur, qui magiſtratum petunt, quos mos erat nomenclatore præeunte blande ſalutare, hunc patrem vocantes, hunc fratrem, hunc dominum, ubi ſibi faverent.*

Congiariis) *Congius menſuræ genus. unde congiarium, quod modo pro munere, quod datur populo à principe, modo pro menſura accipitur.*

Signum aliquod) *Signa ſtatuæ dicuntur.*

Æneum ſtare) *Alluſit ad illud Horatianum, Aut æneus ut ſtes. Ponebantur enim æneæ ſtatuæ benemeritis, in circo aut in foro Romæ.*

Nominum & cognominum) *Mitus tumultus de adoptione nominum Antonini, Pii, Alexandri, Auguſti: ut patet ex Ælio Spartiano, & aliis.*

In deos relatos) *Romæ ſolent defunctos imperatores miris quibuſdam cæremoniis in deos referre; extructa turri lignea præalta, in hac congeſta vi ſtipularum & aromatum; in ſummo erat aquila alligata tenui funiculo. Is ſimul atque ſolutus eſſet incendio, avis ſumma petebat. Gratiſſimus interim odor nares omnium pervadebat, velut animæ imperatoriæ petentis cœlum.*

tus. Quis negat? Atqui hoc fonte nata ſunt fortium heroum facinora, quæ tot eloquentium virorum literis in cœlum tolluntur. Hæc ſtulticia parit civitates, hac conſtant imperia, magiſtratus, religio, conſilia, judicia, nec aliud omnino eſt vita humana, quam ſtulticiæ luſus quidam. Jam vero ut de artibus dicam, quid tandem mortalium ingenia ad excogitandas prodendaſque poſteris tot egregias, ut putant, diſciplinas excitavit, niſi gloriæ ſitis? Tantis vigiliis, tantis ſudoribus, famam, neſcio quam, qua nihil eſſe poteſt inanius, redimendam putarunt homines vere ſtultiſſimi. Sed interim ſtulticiæ tot tam egregia vitæ commoda debetis, quodque eſt longe dulciſſimum, [a] aliena fruimini inſania. Ergo poſteaquam mihi fortitudinis & induſtriæ laudem vindicavi, quid ſi prudentiæ quoque vindicem? Sed dixerit aliquis, Eadem opera [b] ignem aquæ miſceas, licebit. Verum hoc quoque ſucceſſurum arbitror, ſi vos modo, quod antehac feciſtis, autibus atque animis favebitis. Principio ſi rerum uſu conſtat prudentia, in utrum magis competet ejus cognoſcendi

Aliena fruimini inſania) *Retulit Plinii Cecilii ſententiam, Optimum eſt aliena inſania frui. Inſaniunt non ſolum qui ſtulte quid agunt, verum etiam qui immodice. Vnde qui non æſtimandis vigiliis diſciplinas vel inveniunt, vel expoliunt, inſanis laboribus proſunt aliis: Et horum inſania fruuntur, qui juvantur illorum vigiliis.*

Ignem aquæ miſceas) *Pugnat enim ex diametro, quod ajunt, prudentia cum ſtulticia. Eſt autem proverbium apud Græcos, quo* ἀδύνατον, id eſt, *quod fieri non poteſt, ſignificant,* πῦρ ὕδατι μίσγειν, *id eſt, ignem aquæ miſtere. Quo uſus eſt Plutarchus in libello* περὶ πρώτου ψυχροῦ, *id eſt, de prima frigiditate.*

gnominis honos? in ſapientem, qui partim ob pudorem, partim ob animi timiditatem nihil aggreditur: an in ſtultum, quem neque pudor, [a] quo vacat, neque periculum, quod non perpendit, ab ulla re deterret? Sapiens ad libros veterum confugit, atque hinc meras vocum argutias ediſcit. Stultus adeundis cominuſque periclitandis rebus [b] veram (ni fallor) prudentiam colligit. Id quod vidiſſe videtur Homerus, [c] etiamſi cæcus, cum ait, [d] ῥηχθὲν δή τε νήπιος ἔγνω. Sunt enim duo præcipua ad cognitionem rerum parandam obſtacula, pudor, [e] qui fumum offundit animo, & metus,

Quo vacat) *Id eſt, quo caret. Nam duo potiſſimum reddunt nos timidos, pudor, qui eſt metus juſtæ reprehenſionis, & periculum, quod intelligimus. Vnde Lucianus in epiſtola ad Nigrinum ait,* Τὸ λελογισμένον ὀκνηρὸς ποιεῖ, τὸ δὲ ἀμαθὲς θρασεῖς. *id eſt, prudentia ſegnes facit, inſcitia autem audaces.*

Veram, ni fallor) *Hujuſmodi quædam A. Gellius prodidit in Philoſophos umbraticos. verum hæc jocans trahit ad ſtultorum experientiam, qui ſuo malo ſunt paulo minus ſtulti: hanc Plinius miſeram prudentiam vocat.*

Etiamſi cæcus) *Subeſt facetia in vocibus, vidiſſe & cæcus. Nam hic videre, pro intelligere poſitum eſt: & ſunt qui tradant Homerum oculis captum fuiſſe.*

Ῥηχθὲν δή τε νήπιος ἔγνω) *Id eſt, Factum etiam ſtultus cognovit. Expertus ſtultus ſuo doctus malo, tum demum intelligit. At ſapientis, qui ratione & conſilio ducitur, non eſt dicere, non putaram. Sumptum eſt ab Homero Iliad. π. Heſiodus dixit,* παθὼν δή τε νήπιος ἔγνω. *id eſt, paſſus etiam ſtultus novit.*

Qui fumum offundit) *Vnde Plinius ſpeciem inſa-*

nia

metus, qui ostenso periculo, dehortatur ab adeundis facinoribus. At his magnifice liberat stulticia. Pauci mortales intelligunt ad quam multas alias quoque commoditates conducat, [a] nunquam pudescere & nihil non audere. [b] Quod si prudentiam accipere malunt eam, quæ rerum judicio constat, audite obsecro quam procul absint ab hac, qui hoc nomine [c] sese venditant. Principio constat, res omneis humanas, velut [d] Alcibiadis Silenos, binas habere facies nimiũ inter sese dissimiles: Adeo ut

niæ, quam gignat strychnum herba, quam medici vulgo solanum appellant, lusum pudoris vocat. Videmus enim, pudore fieri nonnunquam, ut homines prorsus delirent, & aliud pro alio respondeant.

Nunquam pudescere) *Nam his temporibus ubique plus valet audacia quam sapientia.*

Quod si prudentiam) *Trifariam enim accipiunt prudentiam. Vel qua prævidemus futura, vel quæ rerum usu collecta sit, vel in genere, quæ rerum judicio & cognitione constat. Ea potest esse vel citra experientiam.*

Sese venditant) *Eleganter dixit venditant pro jactant.*

Alcibiadis Silenos) *Sileni dicuntur senes Satyri. Dicti sunt autem Sileni* παρὰ τὸ σεῖεσθαι περὶ τὴν ληνόν. *quod circa torcular versarentur. qui enim uvas calcabant, hoc nomine vocabantur. Nominatim autem pædagogus Bacchi, quem Synesius calvum fuisse scribit; cujus etiam Ovid. meminit, Silenus vocabatur. Erant etiam Sileni Statuæ, quæ deforis ridiculæ erant, intus divinas imagines continebant. Quibus eleganter Alcibiades in convivio Platonis, Socratem comparat, quod is foris bardus ac stupidus, intus autem merum numen videretur.*

ut quod prima, ut ajunt, fronte mors est, si interius inspicias, vita sit: contra, quod vita, mors: quod formosum, deforme: quod opulentum, id pauperrimum: quod infame, glorioſum: quod doctum, indoctum: quod robustum, imbecille: quod generoſum, ignobile: quod lætum, triſte: quod proſperum, adverſum: quod amicum, inimicum: quod ſalutare, noxium: breviter omnia repente verſa reperies, ſi Silenum aperueris. Id ſi cui forte nimis philoſophice dictum videtur, age [a] pinguiore, quemadmodum dici ſolet, Minerva planius faciam. Quis regem non & opulentum & dominum fatetur? Atqui nullis animi bonis inſtructus eſt, atqui nihil illi ſatis eſt, jam videlicet pauperrimus eſt. Tum animum habet plurimis addictum vitiis, jam turpiter ſervus eſt. Ad eundem modum in cæteris quoque philoſophari liceret. Sed hoc exempli vice poſuiſſe ſatis. At quorſum hæc? inquiet aliquis. Audite quo rem ducamus. [b] Si quis hiſtrionibus in ſcena [c] fabulam agentibus [d] perſonas detrahere conetur, ac ſpectatoribus veras nativaſque facies oſtendere, nonne is fabulam omnem perverterit, dignuſque habeatur, quem omnes

Pinguiore Minerva) *Hoc proverbio ſignificamus, nos planius & apertius loqui. Nam docti quidam rem per ſe claram ſic explicant argute, ut intelligi non poſſit. Quemadmodum Plato nuaieris ſuis tenebras offundit philoſophiæ.*

Siquis) *Mira & faceta argutia & arguta facetia propoſitionem hanc colligit.*

Fabulam agentibus) *Agunt hiſtriones, qui repræſentant: unde & actores dicti.*

Perſonas detrahere) *Perſona hoc loco vultus eſt appoſititius, qui regem aut fœminam, ſenem aut juvenem imitatur: unde perſonati dicuntur.*

omnes è theatro [a] veluti lymphatum ſaxis ejiciant? Exorietur autem repente nova rerum ſpecies: ut qui modo mulier, nunc vir: qui modo juvenis, mox ſenex: qui paulo ante rex, [b] ſubito Dama: qui modo deus, repente homunculus appareat. Verum eum errorem tollere, eſt fabulam omnem perturbare. Illud ipſum figmentum & fucus eſt, quod ſpectatorum oculos detinet. Porro mortalium vita omnis quid aliud eſt quam fabula quæpiam, in qua alii aliis obtecti perſonis procedunt, aguntque ſuas quiſque partes, [c] donec choragus educat è proſcenio? Qui ſæpe tamen eundem diverſo cultu prodire jubet, ut qui modo regem purpuratum egerat, nunc ſervulum pannoſum gerat. Adumbrata quidem omnia, [d] ſed hæc fabula non aliter agitur. Hic ſi mihi ſapiens aliquis, cœlo delapſus, ſubito exoriatur, clamiterque, hunc quem omnes ut [e] deum ac dominum ſuſpiciunt, nec hominem eſſe, quod pecudum

Veluti lymphatum) *Id eſt, furioſum & larvatum: quem Græci* νυμφόληπτον vocant.

Subito Dama) *Horatius aliquoties Damam vocat obſcurum & ignobilem: Vt ne tegam ſpurco Damæ latus? Perſius item Satyra quinta: Hic dama eſt, non treſſis agaſo, Vappa & lippus, & in tenui farragine mendax.*

Donec choragus) *Græci vocant* χορηγὸν *principem aut ducem choreæ. Significat & eum, qui ſuppeditat neceſſaria. Vnde & choragium, ut ſuperius admonuimus.*

Sed hæc fabula) *Vitam intelligit, in qua nihil ſyncero rerum judicio geritur, ſed umbris et ſimulacris rerum ducimur omnes.*

Deum ac dominum) *Hunc titulum exegit etiam Domitianus imperator. Martialis: Edictum domini deique noſtri. Et malo principe, nulla belua nocentior.*

Notum

cudum ritu ducatur affectibus; ſervum eſſe infimæ ſortis, [a] quod tam multis tamque fœdis dominis ſponte ſerviat; rurſum alium, qui parentem extinctum luget, ridere jubeat, quod jam demum ille vivere cœperit, cum alioqui vita hæc nihil aliud ſit quam mors quædam: porro alium ſtemmatis gloriantem, ignobilem ac nothum appellet, quod à virtute longe abſit, quæ ſola nobilitatis ſit fons: adque eundem modum de cæteris omnibus loquatur: Quæſo quid is alius egerit, niſi ut [b] demens ac furioſus omnibus eſſe videatur? Ut nihil eſt ſtultius [c] præpoſtera ſapientia ita perverſa prudentia nihil imprudētius. Siquidē perverſe facit, qui ſeſe nō accommodet rebus

Notum eſt illud Diogenis, qui cum conſcenſo ſuggeſto, ſubinde clamaſſet velut concionaturus: Ἀκούετε, ἄνθρωποι, *id eſt, audite, homines: Iamque frequens multitudo concurrens juberet quæ vellet proloqui: Ego, inquit, homines convocavi, in vobis quid hominis video? ſignificans, non eſſe dicendos homines, qui more brutorum animantium affectibus ducerentur, non ratione.*

Quod tam multis) *Quot vitiis obnoxius es, tot habes dominos, & ii nonnunquam diverſa imperant. Avaritia cogit quærere, amor jubet inſumere. Quod eleganter depinxit Perſius Satyra 5.*

Demens ac furioſus) *Non mirum quod apud ethnicos rudi populo fuit inviſa veritas. Nec Chriſtiani hæc, quæ veriſſima ſunt, ferre poſſunt. Et quando præſtabimus veram virtutem, ſi faciem illius ferre non poſſumus, ſi à commemoratione quoque abhorret animus?*

Præpoſtera ſapientia) *Veluti ſi quis ſapiens videri velit inter ſtultos, aut in re ſtulta.*

Foto-

rebus præsentibus, [a] foroque nolit uti, nec saltem legis illius convivialis meminit, [b] Ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, postuletq; ut fabula jam non sit fabula. Contra, vere prudentis est, [c] cum sis mortalis nihil ultra sortem sapere velle, cumque universa hominum multitudine [d] vel connivere libenter, [e] vel comiter errare. At istud ipsum, inquiunt, stulticiæ est. Haud equidem inficias iverim, modo fateantur illi vicissim, hoc esse, vitæ fabulam agere. [f] Cæterum illud, ô dii immortales, eloquar ne, an sileam? Quur autem sileam, cum sit vero verius? Sed præstiterit fortassis in re tanta Musas ex Helicone accersere,

Foroque nolit uti) *Proverbium est ex Phormione Terentiana. Foro dicuntur uti, qui sese accommodant loco & tempori. Sumptum à negociatoribus qui merces vendunt, non ut destinarant domi, sed ut deprehenderint fori statum, qui varius est. Est diligentius explicatum in Chiliadibus Erasmi.*

Ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι) *Id est, Aut bibe aut abi. Veteres convivijs sortiebantur reges, qui cuique cyathorum modum præscriberent. Ponebantur & leges jocosæ, quarum haec una est, quæ in proverbium abiit, quo significabant, aut observiendum moribus eorum, inter quos agis, aut discedendum. Sic Cato discessit è Floralibus, quod vultus severitatem mutare non posset.*

Cum sis mortalis) *Iuxta illud Catonis: Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia cura. Item illud Socratis: Quæ supra nos, nihil ad nos.*

Vel connivere) *Vt dissimules te sentire quod sentis.*

Vel comiter) *Id est, civiliter, ut civilitatis et urbanitatis causa vere tibi persuadeas, rectum esse, quod nemo non sequatur.*

Cæterum illud, ô dii) *Ostendit, propositionem esse duriusculam quam aggreditur.*

certere, [a] quas poetæ sæpius ob meras nugas advocare solent. Adeste igitur paulisper, Jovis filiæ, dum ostendo, nec ad egregiam illam sapientiam, ac fœlicitatis, ut ipsi vocant, arcem, aditum esse cuiquam, nisi stulticia duce. Jam primum illud [b] in confesso est, [c] affectus omnes ad stulticiam pertinere: quandoquidem hac nota à stulto sapientem discernunt, quod illum affectus, hunc ratio temperat: eoque Stoici perturbationes omnes, ceu morbos, à sapiente semovent: Verum affectus isti non solum [d] pædagogorum vice funguntur ad sapientiæ portum properantibus, verumetiam in omni virtutis functione, ceu calcaria stimulique quidam, adesse solent, velut ad bene agendum exhortatores. Quanquam hic fortiter reclamat bis Stoicus Seneca, qui prorsum omnem affectum adimit sapienti. Verum cum id facit, jam ne hominem quidem relinquit, sed novum potius deum quendam ἀνυπερ-βλητον, qui nusquam nec extitit unquam, nec extabit;

Quas poëtæ) *Obiter taxat poëtas, quibus hoc familiare est subinde invocare Musas.*

In confesso est) *In confesso est id, de quo nulla est controversia.*

Affectus omnes) *Quos Græci πάθη vocant, Latini perturbationes aut cupiditates, quibus Plato in Phædone, tanquam clavis quibusdam, animam corpori dicit affigi.*

Pædagogorum vice) *Hæc est opinio Peripateticorum, qui putant affectus veluti stimulos à natura datos, quibus excitemur ad virtutem. Quanquam hanc acriter refellit Seneca. Et apte dixit, pædagogorum. nam imbecilles adhuc, et veluti pueri, ducimur affectibus: assequuti sapientiam, contemptis illis, solo rationis ductu gubernamur.*

bit: imo ut apertius dicam, marmoreum hominis ſimulacrum conſtituit, ſtupidum & ab omni prorſus humano ſenſu alienum. Proinde ſi libet, ipſi ſuo ſapiente fruantur, citraque rivalem ament licet, cumque eo vel [a] in civitate Platonis, vel ſi malint, [b] In idearum regione, vel [c] in Tantaliis inhabitent hortis. Quis enim non iſtiuſmodi hominem ceu portentum ac ſpectrum fugitet horreatque, qui ad omnes naturæ ſenſus obſurduerit, qui nullis ſit affectibus, nec amore nec miſericordia magis commoveatur, [d] quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes, quem nihil fugiat, qui nihil erret, ſed ceu [e] Lynceus quiſpiam nihil non perſpiciat, nihil

In civitate Platonis) *Nam is ita deſcripſit formam reipublicæ, ut nemo ſequi voluerit. Iocatur et Lucianus in veris narrationibus, Platonem ſolum in ſua vivere civitate.*

In idearum regione) *Plato formas quaſdam ponit, à materia ſeparatas, in mente divina, quas irriſit Ariſtoteles. Alluſit autem ad regiones fabuloſas, lunæ, ſolis, nubium, ventorum, de quibus multa Lucianus in veris narrationibus.*

In Tantaliis hortis) *Proverbium eſt Græcis, cum ſignificant aliquid nuſquam eſſe, quod putent, fabulas eſſe quæ poetæ de inferis referunt.*

Quam ſi dura) *Eleganter intexuit carmen Maronis è ſexto Æneidos de Didone.*

Lynceus quiſpiam) *Hic propemodum in proverbium abiit, ob incredibilem oculorum proſpicientiam. Horatius in epiſtolis: Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus, Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.*

nihil non [a] ad amussim perpendat, [b] nihil ignoscat, [c] qui solus se ipso sit contentus, [d] solus dives, solus sanus, solus rex, solus liber, breviter omnia

Ad amussim perpendat) *Id est, accuratissime. Sic Gellius libro primo: Adhæc, scripta omnia antiquiorum tam curiose perspectabat, aut virtutes pensitabat, aut vitia rimabatur, ut judicium factum ad amussim diceres. Est autem amussis fabrorum lapidicidarumque linea, qua ad dirigenda ligna saxaque utuntur.*

Nihil ignoscat) *Nam Stoici dicunt,* πάντα τὰ ἁμαρτήματα ἴσα εἶναι. *id est, omnia peccata esse æqualia, ab aliisque, quos stultos vocant, nihil non perperam fieri. Vnde illud Persii, Satyra 5: Digitum extra, peccas. Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis.*

Qui solus se ipso contentus) Παράδοξον enim *Stoicorum est,* † σοφὸν αὐτάρκη εἶναι, *id est, sapientem sibi ipsi sufficere. Sicque Plutarchus ait in libello, cui titulum fecit* περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας. Αὐτάρκης ἔσῃ, ἂν μάθῃς, τί τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν ἐστι. τρυφήσεις ἐν πενίᾳ καὶ βασιλεύσεις. *id est, Tibi ipsi sufficies, si didiceris quid honestum & bonum. deliciaberis in paupertate, et regnabis.*

Solus dives est) *Est et hoc* παράδοξον ὅτι μόνος σοφὸς πλούσιος, *id est, quod solus sapiens dives sit. Horatius in epistolis: Ad summum, sapiens uno minor est Iove, dives, Liber honoratus, pulcher, rex denique regum, Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est. Et Plutarchus in eodem libello, quem modo citavimus:* Οὐ βιώσῃ φιλοσοφήσας ἁπλῶς, ἀλλὰ παντα χοῦ ζῆν ἁπλόως μαθήσῃ, καὶ ἀπὸ πάντων. εὐφρανεῖ σε πλοῦτος, πολλοὺς εὐεργετοῦντα, καὶ πενία πολλὰ μὴ μεμψιμοιροῦντα, καὶ

nia ſolus, ſed ſuo ſolius judicio [a] qui nullum moretur amicum, ipſe amicus neminì, qui diis quoque ipſis non dubitet [b] mandare laqueum, qui quicquid in omni vita geritur, velut inſanum damnet, rideatque? Atqui hujuſmodi animal eſt abſolutus ille ſapiens. Quæſo ſi res agatur ſuffragiis, quæ civitas iſtiuſmodi magiſtratum ſibi velit, aut quis exercitus talem optet ducem? imo quæ mulier id genus maritum, quis convivator ejuſmodi convivam, quis ſervus talibus moribus dominum vel optet, vel ferat? Quis autem non malit vel unumquemvis de media ſtultiſſimorum hominum plebe, qui ſtultus ſtultis vel impetare poſſit, vel parere, quì ſui ſimilibus placeat, ſed quam plurimis, qui comis ſit in uxorem, jucundus amicis, bellus conviva, convictor facilis, poſtremo qui nihil humani à ſe alienum putet? Sed me quidem jamdudum iſtius ſapientis piget. Quare ad reliqua commoda ſeſe recipiat oratio. Agedum, ſi quis velut è ſublimi ſpecula circumſpiciat, ita ut Jovem interdum poetæ facere prædicant, quot calamitatibus hominum vita ſit obnoxia, quam miſera, quam ſordida nativitas, quam laborioſa educatio, quot injuriis expoſita

ἢ δόξα τιμᾶσαν, ἢ ἀδοξία μὴ φθονῆσαν. *id eſt, Non vixeris, ſi philoſopheris, inucunde, ſed ubique vivere lete diſces, & ab omnibus. delectabunt te divitiæ de multis benemerentem, & paupertas non multa curantem, & gloria quod honoreris, et ignobilitas quod non invideris.*

Qui nullum moretur) *Id eſt, curet. Stoico ſapienti nec amico eſt opus, ut qui omnia conſtituat in ſe ipſo.*

Mandare laqueum) *Hoc proverbio extremum contemptum ſignificamus. Iuvenalis de Democrito, Satyra 10: Cum Fortunæ ipſe minaci Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.*

posita puetitia, quot sudoribus adacta juventus, quam gravis senectus, quam dura mortis necessitas, deinde in omni vita, quot morborum agmina infestent, quot immineant casus, quot ingruant incommoda; quam nihil usquam non plurimo felle infectum? ut ne commemorem ista, quæ homini ab homine inferuntur mala, quod genus sunt, paupertas, carcer, infamia, pudor, tormenta, insidiæ, proditio, convicia, lites, fraudes. Sed ego jam plane [a] τὸν ἄμμον ἀναμετρεῖν aggredior. Porro quibus admissis ista commeruerint homines, aut quis deus iratus eos in has miserias nasci coegerit, [b] non est mihi fas in præsentia proloqui. Verum ista qui secum perpendat, nonne [c] Milesiarum virginum probabit exemplum, etiamsi miserandum? At quinam potissimum sibi vitæ tædio fatum accersivere? Nonne sapientiæ confines? Inter quos, ut intetim [d] Diogenes, Xenocrates, Catones, Cassios,

Τὸν ἄμμον ἀναμετρεῖν) *Id est, arenam percensere sive commetiri. Proverbium est de re impossibili. Simile illi Theocriti in Charitibus:* Ἀλλ' ἴσον γὰρ ὁ μόχθος ἔπ' ἀόνι κύματα μετρεῖν, *id est, Metiri similis labor est in littore fluctus. quod elegantter & Maro expressit libro Georgicon 2.*

Non est mihi fas) *Caute suspendit sententiam, ne vel peccatum originis attingat parum in loco, vel Platonis & Originis opinionem probare videatur, qui docent, animas peccasse priusquam immigrarent in humana corpora.*

Milesiarum virginum) *Milesias virgines mirus quidam amor spontaneæ mortis quondam invaserat, ut refert Aul. Gellius.*

Diogenes, Xenocrates) Ἑπίρωσις *numeri, festivitatis causa. Hi omnes sibi mortem accersivere. De Diogene & Xenocrate prodidit Laertius. De Bruto, Cassio, & Catone Plutarchus.*

sios, ac Brutos fileam, [a] Chiron ille, cum immortalem esse liceret, ultro mortem præoptavit. Videtis, opinor, quid futurum sit, si passim sapiant homines: nempe [b] altero luto, altero figulo Prometheò opus fore. Verum ego partim per ignorantiam, partim per incogitantiam, nonnunquam per oblivionem malorum, aliquando spem bonorum, aliquoties nonnihil mellis voluptatibus aspergeas, ita tantis in malis succurro; ut ne tum quidem libeat vitam relinquere, cum exacto [c] Parcarum stamine, ipsa jamdudum eos relinquit vita; quoque minus sit causæ, cur in vita manere debeant, hoc magis juvet vivere; tantum abest, ut ullo vitæ tædio tangantur. Mei nimirum muneris est, quod passim [d] Nestorea senecta senes videtis, quibus jam ne species quidem hominis supersit, balbos, deliros, edentulos, canos, calvos, vel, ut magis Aristophanicis

Chiron) *Ab hoc edoctus fuit Achilles. Cui cum ob justitiam dii permitterent, ut perpetuo viveret, maluit mori, quod offenderetur tædio rerum semper eodem tenore recurrentium. Ita Lucianus* ὁ γεκρικός.

Altero luto) *Ridet obiter fabulam, quæ narrat, Prometheum hominis simulachrum ex argilla finxisse, deinde sublato Iovis igne, indidisse mentem.*

Parcarum stamine) *His dicuntur* ὑπὲρ τὸν ἄτροκτον ζῆν, *id est, ultra colum vivere. Taxat obiter turpem vitæ cupiditatem, etiam in decrepitis.*

Nestorea senecta) *Nestorea senecta, pro quantumvis magna dixit, quod apud Homerum tres hominum ætates Nestor vixisse dicitur. Vnde illud Iliad primo.* Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων Ἐφθίατο. *id est; Huic jam duo quidem secula hominum præterierunt. Et paulo post,* μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν, *id est, cum tertiis autem regnabat.*

cis eos deſcribam verbis, [a] ῥυπῶντας, κυφοὺς, ἀβλεῖς, ῥυσοὺς, μαδῶντας, νωδοὺς καὶ ψωλοὺς tamen uſque adeo vita delectari, [b] adeoque νεανίζειν, ut alius tingat canos, alius [c] appoſiticia coma calvicium diſſimulet, alius [d] dentibus utatur mutuo fortaſſis à ſue quopiam ſumptis, hic in puellam aliquam miſere depereat, & amatoriis ineptiis [e] quemvis etiam ſuperet adoleſcentulum. Nam ut [f] capulares jam meraque [g] ſilicernia,

Ῥυπῶντας, &c.) *Id eſt, ſordentes, ſive ſqualidos:* κυφοὺς, *id eſt, incurvos,* ῥυσοὺς, *id eſt, rugoſos:* μαδῶντας *id eſt, glabros ſive calvos, hoc eſt, nullos habentes pilos:* νωδοὺς, *id eſt, edentulos:* ψωλοὺς, *id eſt, carentes mentula. His epithetis Carion ſervus deſcribit ſenes in Pluto Ariſtophanis.*

Adeoque νεανίζειν) Νεανίας, *juvenis. inde* νεανίζειν, *id eſt, juveniliter agere, quod Horatius dixit juvenari.*

Appoſititia coma) *Hanc quidam galericulum vocant. Id frequens eſt apud Hiſpanos.*

Dentibus utatur) *Quidam edentuli, dentes arte gingivis inſertos habent, non ſuos, ſed forte porci cujuſpiam.*

Quemvis etiam ſuperet) *Nulli juvenes inſaniunt impotentius, quam ſenex, ſi cœperit amare. Nam ferrum, cui ſenex ſimilis eſt, ob membrorum ſiccitatem & frigiditatem, ut haud facile incaleſcit, ita ſi ſemel incaluerit, omnium tardiſſime frigeſcit, caletque maxime. Nihil autem turpius amatore cano: vel Ovidio teſte, Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor. Nunc & militant, & amant paſſim ſenes.*

Capulares) *Sic vocant decrepitos, quaſi jam capulo proximos. Capulus eſt loculus cadaverum.*

[a] silicernia, teneram aliquam juvenculam ducant uxorem, eamque & indotatam, & aliis usui futuram, id adeo frequens, ut propemodum & laudi detur. Sed multo etiam suavius, si quis animadvertat, anus, longo jam senio mortuas, adeoque cadaverosas, ut ab inferis redisse videri possint, tamen illud semper in ore habere, [a] Φῶς ἀγαθὸν, [b] adhuc catulire, atq; ut Græci dicere solent, [c] καπρῦν, & magna mercede conductũ [d] aliquẽ Phaonem inducere, fucis assidue vultũ oblinere, nusquã à speculo discede-

re,

Silicernia) *Terentius in Aldelphis, senem silicernium vocat, vel quod incurvus cernat silices, vel quod mox silentibus umbris cernendus sit: unde Græcis senex* γέρων *dicitur,* παρὰ τὸ εἰς γῆν ὁρᾶν, *id est à terram inspiciendo, vel* παρὰ τὸ τῆς γῆς ἐρᾶν, *id est, à terram amando, quod propinqui morti, jam de sepultura solliciti sint.*

Φῶς ἀγαθὸν) *Id est, lumen bonum. Vita lumen est. Id autem dictum est ab anu quapiam moriente, quam etiammum juvabat vivere.*

Adhuc catulire) *Catulire vocat more catellarum lascivire.*

Καπρῦν) *Id est, libidinari, ab hircis deducto verbo. Est autem Græcis in proverbio,* γραῦς καπρώσα *id est, anus hircissans, ut Erasmus copiosius docet in suis Chiliadibus.*

Aliquem Phaonem) *Phaonem posuit pro quovis formoso adolescentulo. Phaon enim adamatus fuit à Sapphone, nec mutuo tamen adamabat: ita anus præteritatis decorum libidinosæ, pecunia conducunt amatorem. Iuvenalis: Optima certe Nunc via processus vetulæ vesica beatæ. Huiusmodi quandam induxit Aristophanes in Pluto. Est autem* ἀσελγισμὸς *quia rem obscœnam non obscœnis extulit verbis.*

re, [a] infimæ pubis ſylvam vellere, [b] vietas ac putres oſtentare mammas, [c] tremuloque gannitu languentem ſollicitare cupidinem, potitare, miſceri puellarum choris, literulas amatorias ſcribere. Ridentur hæc ab omnibus, tanquam, uti ſunt, ſtultiſſima: at ipſæ ſibi placent, & in ſummis interim verſantur deliciis, [d] totaſque ſeſe melle perungunt, meo videlicet beneficio felices. Porro quibus hæc deridicula videntur, illud ſecum expendant velim, utrum ſatius ducant hujuſmodi ſtulticia vitam plane mellitam exigere, an [e] trabem, ut ajunt, ſuſpendio quærere. Porro quod hæc vulgo putantur infamiæ obnoxia, iſtud nihil ad ſtultos meos, qui malum hoc aut non ſentiunt, aut ſi quid ſentiunt, facile negligunt. [f] Si ſaxum in caput incidat, id vere malum

Infimæ pubis ſylvam) *Et hic rem fœdam honeſta περιφράσει texit. Significat autem obſcœnum mulieris membrum. Hujuſmodi Martialis inducit Ligellam vetulam.*

Vietas ac putres) *Vietum flaccidum eſt. id quod accidit in aniculis: & carne & humoribus abſumptis flacceſcunt mammæ Putreis dixit in odis Horatius: Sed incitat me pectus & mammæ putres, equina quales ubera.*

Tremuloque gannitu) *Gannitum vocat ineptum cantum: Alluſit ad illud Horatianum: Et cantu tremulo pota Cupidinem Lentum ſolicitas.*

Totaſque ſeſe melle perungunt) *Græcum proverbium eſt, in eos qui ſe totos immergunt deliciis, ut mellei ſint undique. Refertur hoc, explicaturque in Eraſmi Chiliadibus.*

Trabem ſuſpendio quærere) *Proverbium de ſumma deſperatione, aut de negocio intolerabili: nam ſolent inſani quidam ad laqueos confugere.*

Si ſaxum in caput incidat) *Bella diſtinctio veri mali,*

lum sit. Cæterum pudor, infamia, probrum, maledicta, tantum adferunt noxæ, quantum sentiuntur. Si sensus absit, ne mala quidem sunt. Quid lædit, [a] si totus populus in te sibilet, modo tute tibi plaudas? Atque ut id liceat, sola stulticia præstat. Sed mihi videor audire reclamantes philosophos. Atqui hoc ipsum est, inquiunt, miserum, stulticia teneri, errare, falli, ignorare. Imo hoc est hominem esse. Porro miserum cur vocent, non video, quandoquidem sic nati estis, sic instituti, sic conditi, ea est communis omnium sors. Nihil autem miserum, quod in suo genere constat, nisi forte quis hominem deplorandum existimet, qui neque volare possit cum avibus, neque quaternis ingredi pedibus cum reliquo pecudum genere, neque cornibus sit obarmatus, quemadmodum tauri. Verum is eadem opera equum etiam belliſſimum infelicem vocabit, quod neque grammaticam didicerit, neque placentis vescatur: taurum miserum, quod ad palæstricam sit inutilis. Igitur ut equus imperitus grammaticæ, miser non est, ita nec homo stultus, infelix, propterea quod hæc cum illius natura cohærent. Verum rursus urgent [b] logodædali. Est, inquiunt, homini peculiariter addita disciplinarum cognitio, quarum adminiculis id quod natura diminutum est, ingenio penset. Quasi vero ullam veri faciem habeat, naturam, quæ in culicibus, atque adeo in herbis ac floseculis, tam sollicite vigilaverit, in uno homine dormi-

li, & non veri, planeque digna stulticia, sed quæ tamen nimium placuit vulgo mortalium.

Si totus populus in te) *Alluſit ad illud Horatii: Populus me ſibilat, at mihi plaudo Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.*

Logodædali) *Dædalon Græci vocant ingenioſum. Vnde Dædala Circe. Vnde argutos diſputatores* λογοδαιδάλους *appellat, quod arte torqueant ſyllogiſmos.*

taſſe, ut diſciplinis opus eſſet, quas [a] Theutus ille, humano generi infenſus genius, in ſummam perniciem excogitavit, adeo non utiles ad felicitatem, ut illi quoque ipſi officiant, ad quod proprie rèpertæ dicuntur, ut eleganter arguit apud Platonem rex ille prudentiſſimus [b] de literarum invento. Igitur diſciplinæ cum reliquis humanæ vitæ peſtibus irrepſerunt, iiſdem autoribus, à quibus omnia flagitia proficiſcuntur, puta dæmonibus, [c] quibus hinc

Theutus ille, humano generi) *De hoc Theuto Socrates apud Platonem in Phædro ita loquitur: Audivi equidem, circa Naucratim Ægypti, priſcorum quendam fuiſſe deorum, cui dicata ſit avis quam ibim vocant; Dæmoni autem ipſi nomen Theuth: hunc primum, numerum, geometriam, aſtronomiamque inveniſſe, præterea luſus talorum, alearum, literaſque. Erat tunc totius Ægypti rex Thamus, & in ampliſſima eminentiſſimaque civitate, quas Græci Ægyptias Thebas vocant, & deum ipſum Ammonem vocant. Ad hunc Theuth profectus artes demonſtravit ſuas, dixitq; eas diſtribui Ægyptiis cæteris oportere, In hunc fere modum Plato. Vnde cum idem dæmon, qui talorum & teſſerarum, ludorum peſtiferorum, inventor fuit, humanes has ſcientias commentus eſt; conſtat, hæc non minus graviter quam jocoſe dicta eſſe.*

De literarum invento) *Locus eſt apud Platonem, quem modo citavimus. Rex enim rogabat Theutum, ad quid conducerent literæ, quibus ſcribitur. Reſpondit, valere ad memoriæ ſubſidium. At ille demonſtravit, literas officere memoriæ, dum homines his freti, non inſcriberent animo quæ audiſſent, ſed chartis.*

Quibus hinc nomen etiam) *Græcis enim δαήμονες appellantur ſcientes, à priſco verbo δαίω, quod eſt diſco, ſive ſcio: unde dæmones appellatos putant grammatici.*

hinc nomen etiam inventum, quasi Σαήμονας, hoc est, scientes, appelles. Siquidem simplex illa aurei seculi gens, nullis armata disciplinis, solo naturæ ductu instinctuque vivebat. Quorsum enim opus erat grammatica, cum eadem esset omnibus lingua, nec aliud sermone petebatur, nisi ut alius alium intelligeret? Quis usus dialectices, ubi nulla erat pugnantium inter se sententiarum dimicatio? Quis rhetoricæ locus, cum nullus alteri [a] negocium faceſſeret? Quorsum requireretur legum prudentia, cum abesſent mali mores, ex quibus haud dubie [b] bonæ leges prognatæ sunt? Porro [c] religioſiores erant quam ut impia curioſitate arcana naturæ, syderum mensuras, motus, effectus, abditas rerum causas scrutarentur, nefas esse rati, si homo mortalis ultra sortem suam sapere conaretur. [d] Jam quid extra cœlum esset, inquirendi dementia ne in mentem quidem veniebat. At labente paulatim ætatis aureæ puritate. primum à malis, ut dixi, geniis inventæ sunt artes, sed paucæ, atque hæ quidem à paucis receptæ. Postea sexcentas addidit.

Negocium faceſſeret) *Id est, molestus esset in jus vocando. Porro rhetorum opera, in judiciis requirebatur.*

Bonæ leges) *Id testatum etiam est proverbio, bonas leges ex malis nasci moribus. Vt enim medicina non esset, si nulli fuissent morbi: ita leges non fuissent, nisi flagitia coegissent.*

Religioſiores erant) *Quasi sit impium scrutari naturæ arcana, à quibus in totum abstinuit Socrates, dicens, nihil ad nos attinere quæ supra nos essent.*

Jam quid extra cœlum) Jam *hoc loco vim habet connectendi. Alluſit autem ad illud Plinianum. Furor est profecto, furor egredi ex eo, &c.*

didit [a] Chaldæorum ſuperſtitio, & Græcorum ocioſa levitas, meras ingeniorum cruces, adeo ut vel una grammatica abunde ſatis ſit ad perpetuam vitæ carnificinam. Quanquam inter has ipſas diſciplinas, hæ potiſſimum in precio ſunt, quæ ad ſenſum communem, hoc eſt, ad ſtulticiam, quam proxime accedunt. Eſuriunt Theologi, [b] frigent phyſici, xidentur Aſtrologi, negliguntur dialectici. Solus [c] ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Atque [d] in hoc ipſo genere, quo quiſque indoctior, audacior, incogitantiorque, hoc pluris fit etiam apud torquatos iſtos principes. [e] Atqui medici-

Chaldæorum ſuperſtitio) *Iſti addiderunt Aſtrologiam ac Magiam. Superſtitionem his tribuit, quod ſtellis divinitatem tribuerent.*

Frigent Phyſici) *Frigent qui negliguntur, nec vigent, aut florent.*

Ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων) *Id eſt, medicus vir multis æquivalens aliis. Eſt autem verſus Homericus, ſumptus ex Iliad. λ. quem Plato tum alibi, tum in Sympoſio citat.*

In hoc ipſo genere) *Id eſt, in genere medicorum. Cum periculoſa ſit huius artis profeſſio, mirum tamen eſt, quam paſſim audeant hanc exercere mulierculæ, idiotæ, errones. Atque hoc magis mirum, eſſe magnates, qui talibus vitam ſuam malunt committere, quã vere medico. Adeo vulgus hominum amat decipi. Niſi ſtatim procul inſpecto lotio, pronuncies ſexum, ætatem, morbi cauſam, medicum non credunt. Nec hoc arbitror ad artis meæ contumeliam pertinere, ſed potius ad gloriam, ſi taxatur illorum temeritas, qui hoc illotis pedibus aggrediuntur.*

Atqui medicina) *Plato in Gorgia duas ponit artes, gymnaſticam & medicinam, ad corpus, duas item ad animam pertinentes, nomotheticam, gymnaſticæ,*

&

dicina, præsertim ut nunc à compluribus exercetur, nihil aliud est quam assentationis particula, non minus profecto quam rhetorica. Secundum hos proximus datur locus [a] leguleiis, & haud scio an primus, quorum professionem, ne quid ipsa pronunciem, [b] velut asininam philosophi magno consensu ridere solent. Sed tamen horum asinorum arbitrio maxima minimaque negocia transiguntur. His [c] latifundia crescunt, cum theologus interim, excussis totius divinitatis scriniis, lupinum atrodit, cum cimicibus ac pediculis assidue bellum gerens. Ut igitur feliciores sunt artes, quæ majorem

& justitiam judiciariam, medicinæ correspondentem. Has quatuor corpus & animam ait optime curare. Assentatoria vero id sentiens quadrifariam se dividit in quatuor illas artes, dumque sic semper, non quod optimum est, sed quod dulcissimum, præbet, plurimos illaqueat. Porro coquinariam, medicinam ait subire, ejusque esse veluti simiam: fucatoriam, gymnasticam imitari: sophisticam item, legalem: rhetoricam, judiciariam justiciam. Verum si ad medicos nostri seculi respexerimus, ut vineta egomet cædam mea, juxta proverbium, ipsa medicina magis assentationis, quam artis particula esse videbitur.

Leguleiis) *Leguleii per contemptum dicti sunt, qui non ex literis jureconsultorum, sed ex formulis & rubricis jus petebant. Vnde & rubricarii dicti sunt.*

Velut asininam) *Propterea quod non sint instructi sophisticis argutiis, sed legibus adductis disputent, cum hi tamen propius accedant ad verum quam hi qui sibi videntur acutissimi, quibus illud usu venit, Nimium altercando veritas amittitur.*

Latifundia) *Sunt lati fundi. Plinius citat illud ceu proverbio dictum, Italiam perdidere latifundia.*

rem habent cum ſtulticia affinitatem, ita longe feliciſſimi ſunt hi, quibus prorſus licuit ab omnium diſciplinarum commercio abſtinere, ſolamque naturam ducem ſequi, quæ nulla ſui parte manca eſt, niſi forte mortalis ſortis [a] pomeria tranſilire velimus. [b] Odit natura fucos, multoque felicius provenit, quod nulla ſit arte violatum. Agedum, an non videtis, ex unoquoque reliquorum animantium genere ea feliciſſime degere, quæ ſunt à diſciplinis alieniſſima, nec ullius magiſterio niſi naturæ ducuntur? [c] Quid apibus aut felicius, aut mirabilius? At his ne corporis quidē omnes ſenſus adſunt. Quid ſimile in extruendis ædificiis reperit architectura? Quis unquam

Pomeria) *Id eſt, terminos. Pomerium, id ſpacium tam intra quam extra murum dicebatur, quod intra omni ædificio, extra autem omni cultu vacuum relinquebatur. Livius lib. primo, Aggere & foſſis et muro circumdat urbem, pomerium profert.*

Odit natura fucos) *Quæ enim nativa ſunt, longe gratiora venuſtioraque ſunt adulterinis atque fucatis, quod feſtiviter Propertius Elegiarum primo de floſculis, lapillis, et aviculis probat. Nam ut Plinius lib. 7. ait, Nulli nulla eſt facilius loqui, quam rerum naturæ pingere.*

Quid Apibus) *Plinius lib. 11. de inſectis loquens, ait: Sed inter omnia principatus apibus, et jure præcipua admiratio, ſolis ex eo genere, hominum cauſa genitis. Mella contrahunt, ſuccum dulciſſimum atque ſubtiliſſimum ac ſaluberrimum; favos confingunt ac ceras. Illæ ad uſus vitæ laborem tolerant, opera conficiunt, rem publicam habent, conſilia privatim, ac duces gregatim. Et quod maxime mirum ſit, mores habent. Ariſtoteles quoque libris quinto et nono hiſtoriæ animalium, multa de apum laudibus ſcripſit.*

quam philosophus similem instituit rempublicam? Rursum equus quoniam humanis sensibus affinis est, & in hominum contubernium demigravit, humanarum item calamitatum est particeps. Quippe qui non raro dum vinci pudet in certaminibus [a] ducit ilia, & in bellis dum ambit triumphum, confoditur, simulque cum sessore [b] terram ore momordit. Ut ne commemorem interim [c] lupata frena, aculeata calcaria, stabuli carcerem, scuticas, fustes, vincula, sessorem, breviter omnem illam servitutis tragœdiam, cui se ultro addixit, dum [d] fortes viros imitatus, [e] impensius hostem ulcisci studet. Quanto optabilior muscarum & avicularum

Ducit ilia) *Sic Horatius in epistolis: Solve senescentem mature sanus equum, nec Peccet ad extremum, ridendus & ilia ducat.*

Terram ore momordit) *Hemistichiũ est Virgilianum de milite moriente, quod imitatum est ex illo Homeri, Odysseæ χ. loquentis deprocis ab Vlysse interfectis:* Οἱ μὲν ἔπειθ' ἅμα πάντες ὀδὰξ ἕλον ἄσπετον *'οὖδας. id est, illi quidem deinde simul omnes mordicus ceperunt immensum solum. & Iliados χ:* Γαῖαν 'οδὰξ 'εἷλον, *id est, terram mordicus ceperunt.*

Lupata frena) *Lupata frena dicuntur asperrima ad domandos equos præferoces. Virgilius in Georgicis: Et duris parere lupatis. Dicta sunt à luporum dentibus, qui sunt inæquales & ob id morsus hujus animantis magis est noxius.*

Fortes viros) *'Εἰρωνικῶς dictum est in stultos principes, qui dum hosti nocere student, in summum conjiciunt se ipsos discrimen.*

Impensius hostem) *Apologus est apud Horatium de equo, qui dum conatur cervum è communibus pascuis depellere, sessorem tergo & frenum ore recepit.*

cularum vita, ex tempore ſoloque naturæ ſenſu degentium, modo per hominum inſidias liceat. Quæ ſi quando caveis incluſæ aſſueſcant humanas ſonare linguas, mirum quam à nativo illo nitore degenerent. Adeo modis omnibus lætius eſt, quod natura condidit quam quod fucavit ars. Proinde nunquam ſatis laudarim [a] gallum illum Pythagoram, qui cum unus omnia fuiſſet, philoſophus, vir mulier, rex, privatus, piſcis, equus, rana, [b] opinor etiam ſpongia tamen nullum animal judicavit calamitoſius homine: propterea quod cætera omnia naturæ finibus eſſent contenta, ſolus homo ſortis ſuæ limites egredi conaretur. Rurſum inter homines, idiotas multis partibus anteponit doctis ac magnis. Et Gryllus ille non paulo plus ſapuit, quam [c] πολυμῆτις Ὀδυσσεὺς, qui maluerit in hara grunnire, quam cum illo tot miſeris objici caſibus. Ab his mihi non diſſentire videtur Homerus,* nugarum pater, qui

Gallum illum Pythagoram) *Lucianus facit Mycillum cum gallo ſuo loquentem, qui ſe Pythagoram eſſe diceret. Extat libellus ab Eraſmo latinitate donatus.*

Opinor etiam ſpongia) *Sunt enim qui ſpongiam animal eſſe putent, ut teſtatur Ariſtoteles libro de natura animalium quinto, qui ſpongiarum tria ponit genera. nam aliæ, inquit, raræ, aliæ ſpiſſæ, aliæ quas Achilleas vocant. Naſcuntur omnes ad littus, aut ad ſaxa, nutriunturque luto. Senſum quoque illis ineſſe creditur propterea quod ad evulſoris acceſſum contrahuntur. Plinius plane credit ſpongias eſſe animalia.*

Πολυμῆτις Ὀδυσσεὺς) *Id eſt, multi conſilii Vlyſſes. Sic enim frequenter Homerus eum vocat.*

Nugarum pater) *Quod apud hunc fons ſit omnium fabularum.*

qui cum mortales omneis subinde [a] δειλοὺς καὶ μοχθηροὺς appellat, tum Ulyssem illum suũ sapientis exemplar, sæpenumero [b] δύστηνον vocat, Paridem nusquam nec Ajacem, nec Achillem. Quam ob rem id tandem? nisi quod ille vafer & artifex nihil non Palladis consilio agebat, nimiumque sapiebat, à naturæ ductu quam longissime recedens? Ut igitur inter mortales ii longissime absunt à felicitate, qui sapientiæ student nimirum hoc ipso bis stulti, quod homines nati cum sint, tamen obliti conditionis suæ, deorum immortalium vitam affectant, & [c] gigantum exemplo, [d] disciplinarum machinis,

Δειλοὺς καὶ μοχθηροὺς) δειλοὺς, *id est, miseros. Est enim hoc pæne solemne apud Homerum & Hesiodum,* δειλοῖσι βροτοῖσι. *Unde Odyss. μ.* πάντες μὴν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι. *i.e. sunt mortes tristes miseris mortalibus omnes. Et* μοχθηροὺς, *i.e. calamitosos. Illud dictum est à metu, nam* δειλιᾶ *timiditas dicitur &* δειλιᾶν ἢ δειλιάζειν *timere: hoc à labore, nam* μόχθος. *labor dicitur, &* μοχθέω, *laboro.*

Δύστηνον vocat) Δύστηνος, *id est, miser; quod multum suspiret. Sic Homerus Odyss. primo:* Τοῦ θυγάτηρ δύστηνον ὀδυρόμενον κατερύκει. *id est, hujus filia miserum lugentemque detinet. de Calypso Vlyssem in Ogygia detinente.*

Gigantum exemplo) θεομαχεῖν *vocant Græci pugnare cum diis. Cicero interpretatur gigantum fabulam ubi quis adversus naturam conatur.*

Disciplinarum machinis) *Explicuit metaphoram addito verbo proprio, machinis enim bellicis expugnantur oppida.*

nis, naturæ bellum inferunt: ita quam minime miseri videntur ii, qui ad brutorum ingenium stultitiamque quam proxime accedunt, neque quicquam ultra hominem moliuntur. Age experiamur num hoc quoque non Stoicis enthymematis, sed crasso quopiam exemplo queamus ostendere. Ac per deos immortales, est ne quicquam felicius isto hominum genere, quos vulgo moriones, stultos, fatuos, ac [4] bliteos appellant, pulcherrimis, ut equidem opinor, cognominibus? Rem dicam prima fronte stultam fortassis atque absurdam, sed tamen unam multo verissimam. Principio vacant mortis metu non mediocri per Jovem malo. Vacant conscientiæ carnificina. Non territantur manium fabulamentis. Non expaveſcunt spectris ac lemuribus, non torquentur metu impendentium malorum non spe futurorum bonorum distenduntur. In summa, non dilacerantur millibus curarum quibus hæc vita obnoxia est. Non pudescunt non verentur, non ambiunt, non invident, non amant. Denique si propius etiam ad brutorum animantium insipientiam accesserint, ne peccant quidem, autoribus theologis. Hic mihi jam expendas velim, stultissime sapiens, quot undique solicitudinibus noctes diesque discrucietur animus tuus: congeras in unum acervum universa vitæ tuæ incommoda, atque ita demum intelliges, quantis malis meos fatuos subduxerim. Adde huc quod non solum ipsi perpetuo gaudent, ludunt, cantillant, rident, verumetiam cæteris omnibus,

Bliteos) *Hoc verbo delectatus est Octavius Augustus. Bliton Græce betam sonat, ea herba, quoniam insipida est ac diluta, fatua vocatur apud Martialem. Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ. O quam sæpe coquus vina piperque petet.*

mnibus, quocunque ſeſe verterint, voluptatem' jocum, luſum, riſumque adferunt, velut in hoc ipſum à deorum indulgentia dati, ut humanæ vitæ triſtitiam exhilararent. Vnde fit, ut cum aliis in alios varius ſit affectus, hos omnes exæquo tanquam ſuos agnoſcant. expetant, paſcant complectantur, ſuccurrant, ſi quid acciderit: impune permittant, quicquid vel dixerint, vel fecerint. Adeoque nemo illis nocere cupit, [a] ut feræ quoque belux ab illorum injuria temperent, ſenſu quodam innocentiæ naturali. Sunt enim vere ſacri diis, præcipue mihi adeoque non injuria hunc honorem [b] omnes illis habent. Quid quod ſummis etiam regibus adeo ſunt in deliciis, ut nonnulli ſine his neque prandere, nec ingredi, nec omnino vel horam durare poſſint. Neque vero paulo intervallo hos bliteos ſuis illis tetricis ſophis anteponunt, quos tamen ipſos aliquot honoris gratia ſolent alere. Cur autem anteponant, nec obſcurum arbitror, nec mirum videri debet, cum ſapientes illi nil niſi triſte ſoleant adferre principibus, ſuaque doctrina freti non vereantur aliquoties [c] auriculas teneras mordaci radere vero, moriones autem id præſtent, quod unum aucupantur, jocos, riſus cachinnos, delicias. Jam accipite & hanc non aſpernandam ſtultorum dotem, quod ſoli ſimplices ac veridici ſunt. Quid autem veritate laudatius?

Ut feræ quoque) *Mirum eſt dictu quod tamen videmus, in canibus: in pueros: & natura fatuos, non facile ſæviunt, & agnoſcunt naturæ ſimplicitatem.*

Omnes illis habent) *Nam religio numinum ad omnes ex æquo pertinet.*

Auriculas teneras) *Verſus eſt è Satyra Perſii prima. Sed quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas?*

datius? Quanquam enim Alcibiadeum [a] apud Platonem proverbium, Veritatem vino pueritiæque tribuit; tamen omnis ea laus mihi peculiariter debetur, vel Euripide teſte, cujus extat illud celebre de nobis dictum. [b] μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει. Fatuus quicquid habet in pectore, id & vultu præſefert, & oratione promit. At ſapientum ſunt [c] duæ illæ linguæ, ut idem meminit Euripides, quarum altera verum dicunt, altera quæ pro tempore judicarint oportuna. Horum eſt [d] nigrum in candida vertere, [e] & eodem ex ore frigidum pariter & calidum

Apud Platonem) *Sic enim in convivio Platonis Alcibiades narraturus quemadmodum cum Socrate cubitaverit præfatur,* τὰ δ' ἐν τοῦθεν οὐκ ἄν μου ἠκούσατε λέγοντος, εἰ μὴ πρῶτον μέν, τὸλεγόμενον, Οἶνος μὲν ἄνευ τε παίδων καὶ μὴ παίδων ἐν ἀληθής. *id eſt, Cæterum ea quæ reſtant non audiveritis me dicentem niſi prius. id quod vulgo dicitur, Vinum quidem & ſine pueris & cum pueris erat verum.*

Μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει) *Id eſt, ſtultus ſtulta loquitur. Proverbium eſt apud Euripidem in Bacchis.*

Duæ illæ linguæ) *Euripides ſcripſit, unicuique mortalium duas eſſe linguas: alteram qua vera loqueretur, alterum qua loqueretur quæ tempori eſſent accommoda.*

Nigrum in candida) *Ita Iuvenalis Satyra 3. Qui nigrum in candida vertunt, id eſt defendunt turpia.*

Et eodem ex ore) *Alluſit ad Apologum Aniani fabulatoris hujuſmodi: Satyrus quidam cum hyberno gelu vehementer ſæviente, à ruſtico quopiam in hoſpitium inductus eſſet, videns hominem inflare in manus ori admotas, rogavit cur ita faceret. is reſpondit, ut manus frigidas anhelitus tepore calefaceret. Deinde*

menſa

calidum efflare, longeque aliud conditum habere in pectore, aliud sermone fingere. Porro in tanta felicitate, tamen hoc nomine principes mihi videntur infelicissimi, quod deest à quo verum audiant, & assentatores pro amicis habere coguntur. Sed abhorrent à vero principum aures, dixerit aliquis, & hac ipsa de causa sapientes istos fugitant, quod vereantur ne quis forte liberior existat qui vera magis quam jucunda loqui audeat. Ita quidem res habet, Invisa regibus veritas: Sed tamen hoc ipsum mire in fatuis meis usu venit, ut non vera modo verum etiam aperta convitia cum voluptate audiantur: adeo, ut idem dictum, quod, si à sapientis ore proficiscatur capitale fuerat futurum, à morione profectum, incredibilem voluptatem pariat. Habet enim genuinam quandam delectandi vim veritas, si nihil accedat quod offendat; verum id quidem solis fatuis dii dederunt. Iisdem ferme de causis hoc hominum genere mulieres gaudere solent impensius, utpote ad voluptatem & nugas natura propensiores. Proinde quicquid cum hujusmodi factitarint, etiamsi nonnunquam [a] serium nimis, illæ tamen jocum ac lusum interpretantur: ut est ingeniosus, præsertim ad prætexenda commissa sua, sexus ille. Igitur ut ad fatuorum felicitatem redeam, multa cum jucunditate

mensa apposita, cum in pultem ferventem rursum inflaret, admiratus Satyrus, sciscitatus est, cur id faceret: Vti pultem, inquit, refrigerem. Tum Satyrus surgens, quid audio? inquit, σὺ ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγεις; *id est, Tu ne ex eodem ore calidum, & frigidum educis? non mihi cum talibus habendum commercium est, idque dicens abiit.*

Serium nimis) *Verecunde significat, nonnunquam mulieres coire cum morionibus, & ex iis concipere, putantes futurum uti lateat.*

ditate peracta vita, nullo mortis vel metu, vel sensu, recta in campos [a] Elysios demigrant, & illic pias atque ociosas animas lusibus suis delectaturi. Eamus nunc, & quemvis etiam sapientem cum huius morionis sorte, conferamus. Finge jam mihi quod huic opponas exemplar sapientiæ hominem qui totam pueritiam atque adolescentiam in perdiscendis disciplinis contriverit, & suavissimam vitæ partem perpetuis vigiliis, curis, sudoribus perdiderit, ne in reliqua quidem omni vita vel tantillum voluptatis degustarit, semper parcus, pauper, tristis tetricus, sibi ipsi iniquus ac durus aliis gravis & invisus, pallore, macie, valetudine, lippitudine confectus, senio canitieque multo [b] ante diem contracta ante diem fugiens

Elysios) *Elysium, Suidas ait,* πεδίον εἶναι ἐν ᾧ οἱ παρ' Ἕλλησι δίκαιοι αὐλίζονται μετὰ θάνατον ἐκεῖσε ἐλευσομένοι. *id est, Campum esse, in quo apud gentiles justi demorantur post mortem eo se conferentes. Quemadmodum injusti ad Cocytum vadunt, Hunc nonnulli apud inferos, nonnulli sub concavo orbis lunæ esse putant, nec desunt qui Elysium putent esse ipsas insulas fortunatas.*

Ante diem contracta.) *In vehementer studiosis, dum intentissime meditantur, oportet vehementem spirituum fieri agitationem, quam calor consequitur: caloris autem comes est resolutio, consumptio, exiccatio. Spiritus autem sic resolutos oportet ex optimo sanguine instaurari. unde sanguinem paucum evadere necesse est, sic subinde in spiritus resolutum. Ad hæc in studiosis, propter cerebri agitationem, & ex agitatione ortum calorem, opportet ex corde spiritus copiosos, qui fiunt animales, ascenderet siquidem ubi agitatio, eò spiritus & calor vergunt: spiritus igitur naturales, qui in ventriculo & jocinore*

iens è vita. Quanquamquid refert quando moriatur stiusmodi, qui [a] nunquam vixerit? Habetis egregiam illam sapientis imaginem. At hic rursus obganniunt mihi [b] 'οι ἐκ τῆς Στοᾶς βάτραχοι. Nihil, inquiunt, miserius insania. Sed insignis stulticia, vel insaniæ proxima est, vel ipsa potius insania. Quid enim aliud est insanire, quam errare animo?

ocinore concoctioni serviunt, diminuuntur, quibus diminutis, sanguis & paucus & pituitosus generatur. Quocirca studiosos necessum est 'ολιγαίμους *evadere,* τὰ δ' 'ολίγαιμα ἤδη, *ut ait Aristoteles in secundo libro de partibus animalium,* προοδοποιεῖται πρὸς τὴν φθορὰν ἡ γὰρ φθορὰ ὀλιγαιμία ἐστί· καὶ τὸ ὀλίγον παθητικὸν καὶ ὑπὸ ψυχροῦ τοῦ τυχόντος, καὶ ὑπὸ θερμοῦ. *Quæ pauci sanguinis sunt, jam faciunt viam ad corruptionem. Corruptio enim paucitas sanguinis est: & quod paucum est, facile patitur à quovis & frigore & calore. Galenus quoque autor est, eos qui paucum habent sanguinem, senium accelerare.*

Nunquam vixerit) *Vivere hic accipitur pro suaviter vivere, ut Terentius, Vixit dum vixit bene. Et Persius Satyra quinta: Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est. Quod vivis. Et Martialis: Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe. Quod dicunt Græci,* 'ραῖον ἄγειν.

'Οι ἐκ τῆς Στοᾶς βάτραχοι) *Id est, Stoicæ ranæ. Sic illos vocat, quod obstrepant suis argumentis. Et Origines, atque hunc sequutus Hieronymus, Ægyptiorum ranas, dialecticorum & sophistarum molestam garrulitatem interpretatur, ut etiam scriptum est in decretis canonicis distinctione trigessima septima.*

animo? Sed isti tota errant via. Age hunc quoque syllogismum dissipemus, Musis bene fortunantibus. Argute quidem isti. Verum, quemadmodum apud Platonem docet Socrates, [a] ex una Venere secta duas, & ex uno Cupidine dissecto duos faciens; itidem & istos dialecticos decebat insaniam ab insania distinguere, si modo ipsi sani videri vellent. Neque enim protinus omnis insania calamitosa. Alioqui non dixisset Horatius [b] An me ludit amabilis insania? neque Platonis poetarum

Ex una Venere secta) *Pausanias in symposio Platonis reprehendit Phædri orationem, quod de amore disputasset, eum neque dividens, neque definiens. Itaque Pausanias dividere volens amorem, duasque dicens esse Veneres ait,* Ἡ μὲν γάρ τις πρεσβυτέρα, οὐκ ἔχουσα μήτηρα, οὐρανοῦ θυγάτηρ, ἣν δὴ καὶ οὐρανίαν ἀποκαλοῦμεν. ἡ δὲ νεωτέρα, Διὸς καὶ Διώνης, ἣν δὴ πάνδημον. Ἀναγκαῖον δὴ καὶ ἔρωτα τὸν μὲ τῆ ἑτέρᾳ συνεργὸν, πάνδημον ὀρθῶς καλεῖσθαι, τὸν δὲ οὐράνιον, *id est, Altera quidem antiquior, matreque carens. Cœli filia quam cœlestem cognominamus, Altera autem junior, Iovis & Dionæ quam vulgarem vocamus, Necessum est autem & Cupidinem alterum, Veneri alteri cooperatorem, Vulgarem recte vocari, alterum autem Cœlestem. Vulgarem cupidinem, dicit Pausanias, stimulare ad amorem fœminarum, partumque corporis: cœlestem autem ad amandos mares, disciplinis idoneos, ad partumque animi stimulare.*

An me ludit amabilis) *Est in Odis, ubi de furore poetico loquitur, quo fit ut videre videantur, quæ procul absunt.*

[a] poetarum, vatum, & amantium furorem inter præcipua vitæ bona collocasset: [b] nec vates illa laborem Æneæ vocasset insanum. Verum est duplex insaniæ genus: alterum quod ab inferis [c] diræ ultrices submittunt, quoties [d] immissis anguibus, vel ardo-

Poetarum, vatum, & amantium) *Socrates in Phædro Platonis, amorem laudaturus, negansque amorem esse vituperandum quod furoris species esset, quadruplicem facit furorem, quorum unumquemque fœlicem videri vult. Primum vatum, quem μαντικὴν μανίαν, quasi μανικὴν, interpositione τοῦ, vocari ait. Secundum mysterialem, qui per expiationes propitiationesque, morborum remedia invenit. Tertium poeticum, de quo dicit, ὃς δ' ἄνευ μουσῶν μανίας, ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐν τέχνῃ ἱκανῶς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων οὐ τῆ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. id est, Qui autem sine Musarum furore ad poeticas fores se confert, persuasus quod arte sufficienter poeta sit evasurus, imperfectus quidem tum ipsa tum poesis ejus, præ illa ex furore procedit equidem hæc quæ à prudentia fit, evanescit. Quartum furorem facit amatorium, qui ἀπ' αὐτῆς ῥώμης εὐνομίαν λαβὼν ἔρωτα ἐκλήθη. id est, qui ab ipso robore cognomen sumens amor quasi robur dicitur.*

Nec vates illa) *Est quod Maronem Æneidos libro sexto, ubi Sibylla sic loquitur Æneæ, Et insano juvat indulgere labori. Nam insanum vocatur, quicquid immodicum est. Vnde illud Insanire libet.*

Diræ ultrices) *Diras poetæ furias vocant, ultrices, quod sontes torqueant.*

Immissis Anguibus) *Apud Maronem Æneidos 7. Alecto furiam Amatæ & Turno immittit.*

ardorem belli vel inexplebilem auri ſitim, vel dedecoroſum, ac nefarium amorem, vel parricidium, inceſtum, ſacrilegium, aut aliam id genus peſtem aliquam in pectora mortalium invehunt, ſive eum [a] nocentem & conſcium animum, furiis ac tæniculorum facibus agunt, Eſt alterum huic longe diſſimile. quod videlicet à me proficiſcitur, omnium maxime exoptandum. Id accidit quoties jucundus quidam mentis error, ſimul & anxiis illis curis animum liberat, & multijuga voluptate delibutum reddit. Arqui hunc mentis errorem ceu magnum quoddam deorum munus, [b] ad Atticum ſcribens, optat Cicero, nimirum quo tantorum malorum ſenſu carere poſſet. Neque perperam ſenſit [c] Argivus ille, qui hactenus inſaniebat, ut totos dies ſolus deſideret in theatro ridens, plaudens, gaudens, quod crederet illic miras agi tragœdias, cum nihil

Nocentem & conſcium animum) *Cicero in Paradoxis: Quocunque aſpexiſti, ut furiæ ſic tuæ tibi occurrunt injuriæ, ſuſpirare quæ te liberum non ſinunt. His furiis conſcii animi fuit agitatus Oreſtes. Pœna autem quam hæ furiæ infligunt, vehemens, Et multo ſævior illis, ut ait Iuvenalis, quas Rhadamantus habet.*

Ad Atticum ſcribens, optat) *Atticus arguit M. Tullium, triumviris occupantibus tyrannidem, quod nimium animo diſcruciaretur, adeo ut quidam putarent illum errare mente. Is reſpondit ſe plane ſentire. Optat autem errorem mentis, quo tantorum malorum ſenſu vacaret. Itidem apud Euripidem Ajax dolet quod ab inſania reſipuiſſet: & apud Senecam Phædra. Quis me dolori reddit? & quam bene exciderat mihi?*

Argivus) *De hoc Horatius in epiſtolis.*

nihil omnino ageretur, cum in cæteris vitæ officiis probe sese gereret, [a] Jucundus amicis, Comis in uxorem, posset que ignoscere servis, Et signo læsæ non insanire lagenæ. Hunc ubi cognatorum opera datis pharmacis morbo levasset, sibique jam totus esset redditus, hunc in modum cum amicis expostulans, Pol me occidistis, amici. Non servastis, cui sic extorta voluptas, Et demptus per vim mentis gratissimus error. Et merito quidem: errabant enim ipsi, atque [b] elleboro magis opus habebant, qui tam felicem ac jucundam insaniam, ceu malum aliquod, existiment potionibus expellendam. Quanquam illud equidem non statui, num quivis sensus, aut mentis error insaniæ nomine sit appellandus. Neque enim si cui lippienti mulus asinus esse videatur: aut si quis indoctum carmen veluti doctissimum admiretur, is continuo videbitur insanire. Verum si quis non sensit tantum, sed animi judicio fallatur, idque præter usitatum morem ac perpetuo, is demum insaniæ censebitur affinis esse: veluti si quis quoties asinum

Jucundus amicis &c.) *Verba sunt Horatii.*

Elleboro magis opus) *Quod Latini veratrum, Græci elleborum vocant. Cujus duo sunt genera: alterum album, quod ut Dioscorides in quarto ait,* φύλλα ἔχει ὅμοια τοῖς τῦ ἀρνογλώσσου ἢ ἀγερίου, *id est, Folia habet similia foliis plantaginis, aut betæ sylvestris: alterum nigrum quod Græcis* ἑλλέβορος μέλας, *vel* μελαμπόδιον, *sive* πολύῤῥιζον *dicitur. Utrumque autem medetur melancholicis & insanientibus, educitque melancholiam, quibus & dari solet, unde Horat. Danda est ellebori pars maxima avaris & Sicyonii tribus Anticyris caput insanabile.*

asinum audierit rudentem, arbitretur sese miros [a] symphoniscos audire, aut si quis pauperculus infimo loco natus, [b] Crœsum Lydorum regem esse se credat. Sed hoc insaniæ genus si quemadmodum fere fit, vergat ad voluptatem, non mediocrem delectationem adfert, tum iis qui eo tenentur, tum illis quibus est hoc animadversum, nec tamen eodem insaniunt. Nam hæc insaniæ species multo latius patet quam vulgus hominum intelligit. Sed vicissim insanus insanum ridet, ac mutuam sibi voluptatem invicem ministrant. Neque raro fieri videtis ut major insanus, vehementius rideat minorem. Verum hoc quisque felicior, quo pluribus desipit modis, Stulticia judice, modo in eo genere insaniæ maneat, quod nobis est peculiare, quod quidem usque adeo late patet, ut haud sciam, an ex universa mortalium summa quempiam liceat reperire, qui [c] omnibus horis sapiat quique

Symphoniscos) *Sic musicos vocat concinne canentes, ἀπὸ τοῦ συμφονεῖν, quod concinere significat.*

Crœsum) *Hic omnium mortalium ditissimus fuit. cui tamen Solon quærenti, an omnium beatissimus foret respondet* ἐμοὶ δὲ σύπλουτέων μέγα φαίνεαι καὶ βασιλεὺς ἐστὶ πολλῶν ἀνθρώπων. ἐκεῖνο δὲ τὸ εἰρεό με οὔπω σε ἐγὼ λέγω, πρὶν ἂν τελευτήσαντα καλῶς τὸν αἰῶνα πύθωμαι *id est, mihi O Cræse. apprime dives esse videris, rexque multorum hominum. Illud autem quod siscitaris non antea à me audieris, quam te vita fœliciter defunctum audiero.*

Major insanus) *Sic Horatius in Serm. libro secundo, O major tandem parcas insane minori.*

Omnibus horis sapiat) *Proverbium est, Neminem omnibus horis sapere. Nemo est, qui non alicubi peccet.*

quiq; non aliquo insaniæ genere teneatur [a] Quanquam hoc tantum interest: [b] Qui cucurbitam eam videt, mulierem esse credit, huic insano nomen ponunt, propterea quod perpaucis id usu veniat: Verum ubi quis uxorem suam, quam cum multis habet communem, plusquam [c] Penelopen esse dejerat, sibique majorem in modum plaudit, felicíter errans, hunc nullus insanum appellat, propterea quod passim maritis hoc accidere videant. [d] Ad hunc ordinem pertinent & isti, qui præ venatu ferarum omnia contemnunt, atque incredibilem animi voluptatem percipere se prædicant quoties fœdum illum cornuum cantum audierint, quoties canum ejulatus. Opinor etiam, eum excrementa canum odorantur, illis cinnamomum videri. Deinde quæ suavitas quoties fera lanianda est? Tauros & verveces humili plebi laniare licet, feram nisi à generoso secari nefas. [e] Is nudo

Quanquam hoc tantum interest) *In hac disputatione de insania nonnihil imitatus est ex Horatii satyra, cujus initium, Sic raro scribis.*

Qui cucurbitam) *Hic morbus oritur ex corruptione virtutis imaginativæ.*

Penelopen esse) *Penelope uxor fuit Vlyssis, quam castissimam in Odyssea facit Homerus. unde subinde πιφρων, id est casta, & αἰδεῖν, id est verecunda, ab eodem vocatur. Ovidius: Penelope poterat tam multos salva per annos Vivere, Tam multis fœmina dignæ viris.*

Ad hunc ordinem) *Taxat ineptissimum venandi studium in quo sic insaniunt quidam magnates, ut in omni vita nihil aliud agant.*

Is nudo capite) *Id accipio fieri passim apud Britannos in his quoque feris, quas illi damas vocant. Quidam existimant magis esse platycerota. Nonnulli malunt sylvestrium caprarum genus.*

nudo capite, inflexis genibus, gladio ad id deſtinato, (neque enim quovis idem fas eſt) certis geſtibus certa membra certo ordine religioſe ſecat. Miratur interim perinde ut in re nova ſacraque circumſtans tacita turba, quamvis ſpectaculum hoc plus milies viderit. Porro cui contigerit è belua nonnihil guſtare, is vero exiſtimat ſibi non parum nobilitatis accedere. Itaque cum iſti aſſidua ferarum inſectatione atque eſu nihil aliud aſſequantur, niſi ut ipſi propemodum in feras degenerent, tamen interea regiam vitam agere ſe putant. Et his ſimillimum genus eorum, qui inſatiabili ædificandi ſtudio flagrant, [a] nunc rotunda quadratis, nunc quadrata rotundis permutantes. Neque vero finis ullus neque modus donec ad extremam redactis inopiam, nec ubi habitent, nec quid edant, ſuperſit. Quid tum poſtea? Interim annos aliquot ſumma cum voluptate peregerunt. Ad quos mihi quidem proxime videntur accedere, qui novis & arcanis artibus, rerum ſpecies vertere moliuntur, ac terra marique quintam quandam eſſentiam venantur. Hos adeo lactat mellita ſpes, ut neque laborum, neque impenſarum unquam pigeat, miroque ingenio ſemper aliud excogitent, quo ſeſe denuo fallant, ſibique ipſis gratam faciant impoſturam, donec abſumptis omnibus, non ſit quo jam fornaculam inſtruant. Non deſinunt tamen jucunda ſomniare ſomnia, cæteros pro viribus ad eandem felicitatem animantes. Cumque jam prorſus omni ſpe deſtituuntur, ſupereſt tamen una ſententia, abunde magnum ſolatium, In magnis

Nunc rotunda quadratis) *Sic Horatius: Dirwit, ædificat, mutat quadrata rotundis.*

magnis & voluiſſe ſat eſt. Ac tum vitæ brevitatem incuſant, ut quæ magnitudini negocii non ſuffecerit. Porro aleatores non nihil addubito num in noſtrum collegium ſint admittendi. Sed tamen ſtultum onium ridiculumque ſpectaculum eſt, quoties videmus nonnullos uſque adeo addictos, ut ſimul atque ſtrepitum tesserarum audierint, protinus illis cor ſaliat, palpitetque. Deinde cum ſemper illiciente vincendi ſpe, omnium facultatum naufragium fecerint, in aleæ ſcopulum illiſa nave, non paulo formidabiliores [a] Malea, vixque nudi emerſerint, [b] quoſvis potius fraudant quam victorem, ne ſcilicet viri parum graves habeantur. Quid cum ſenes jam & cæcutientes, vitreis etiam oculis luſitant? Poſtremo cum jam [c] juſta chiragra contudit articulos,

Malea) *Malea promontorium eſt Laconiæ, circa quod periculoſiſſimam eſſe navigationem, autor eſt Strabo lib. 8. unde proverbium hoc celebratum fuiſſe dicit:* Μαλέαν δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε, *id eſt: Maleam prætervigans, domeſticorum obliviſcere.*

Quoſvis potius fraudant) *Id narrat Cornelius Tacitus de populis & moribus Germaniæ, eos hybernis menſibus potiſſimum ablectare ſe alea, & victos aliquoties ad mortem & ſervitutem dedere ſeſe, ſumma fide.*

Juſta chiragra) *Chiragra ſpecies eſt arthriticæ, quam juſtam vocat, quod aleatorum puniat inſaniam. Alluſit autem ad illud Horatianum in Serm. Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis, Scurra Volanerius, poſtquam illi juſta chiragra Contudit articulos, qui proſe tolleret atque Mitteret in pyrgum talos, mercede divina conductum. Pyrgus turricula eſt luſoria, quam alii fritillum dicunt, ut Iuven. Si damnata ſenem juvat alea, ludit & heres Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.*

articulos, vicarium etiam mercede conducunt, qui pro ſe talos in pyrgum mittat. Suavis quidem res, niſi quod hic ludus plerumque ſolet in rabiem evadere, iamque ad furias, non ad me pertinere. Cæterũ illud hominũ genus haud dubie totum eſt [a] noſtræ [b] qui farinæ miraculis ac prodigioſis gaudent mendaciis, vel audiendis vel narrandis, nec ulla ſatietas talium fabularum, cum portentoſa quædam, de ſpectris, de lemuribus, de [c] larvis, de inferis, de id genus millibus miraculorum commemorantur: quæ quo longius abſunt à vero, hoc & creduntur lubentius, & jucundiore pruritu titillant aures. Atque hæc quidem non modo ad levandum horarum tædium mire conducunt, verum etiam ad quæſtum pertinent. præcipue [c] ſacrificis & concionatoribus. His rurſum

Noſtræ farinæ] *Id eſt, noſtræ conditionis. Perſ. Noſtræ paulo ante farinæ.*

Qui miraculis ac prodigioſis) *Hac de re libellum conſcripſit Lucianus. quem Morus, cui libellus hic dicatus, elegantiſsime vertit in ſermonem Latinum. Hoc genus hominum execratur & divus Hieronymus in epiſtolis qui pugnas cum dæmonibus atque huiuſmodi portenta confingunt. Vide, calumniator, nec à Moria damnari miracula, ſed illorum vanitatem, qui fictis miraculis quæſtui ſuo conſulunt, & eorum ſtulticiam, qui talibus figmentis magis capiuntur quam ſacris hiſtoriis.*

Larvis) *Larvæ noxiæ inferorum umbræ ſunt, quas vulgo ſpiritus vocamus à laribus dictæ.*

Sacrificis & concionatoribus) *Palam eſt, hic non reprehendi miracula, ſed conficta, & conficta ad quæſtum, quo plus extorqueant à mulierculis & ſemibus, ſtulteque credulis. Nam his difficillime credunt, qui maxime credunt Euangelio. Et fere videmus, ut, qui huiuſmodi fabulamentis maxime fidem habent, a-*

pud

rursum adfines sunt ii, qui stultam quidem, sed tamen jucundam persuasionem induerunt, futurum, ut, si ligneum aut pictum aliquem [a] Polyphemum Christophorum [b] aspexerint, eo die non sint

pud hos Evangelii levissima sit autoritas. Videtur autem taxare genus hominum illaudatum, quos vulgo quæstuarios vocant, qui circumferentes sanctorum reliquias, magna impudentia solent apud populum hujusmodi portenta narrare, quæ post ipsi inter pocula rident. Quæso te, lector, expende locum, & vide an hic damnetur pius cultus divorum, an non potius superstitio. Superstitiosus est qui colit divum ob id, quod frustra sibi quis à deo promitteret, (neque enim conspecta trinitatis imago præstat, ne eo die male pereas, utcunque vivas) dein quod incertum est. Quis enim pollicitus est, hoc hunc aut illum divum posse? Prætereo, quod id petitur à divo velut autore, quod dare solius est dei. Postremo secum pugnantia petunt, dum cupiunt bene mori, quum non desinant male vivere. Hæc tantum notat Moria.

Polyphemum Christophorum) *Polyphemum vocat, quod hunc immani & plusquam gigantea magnitudine fingant pictores & sculptores, & malum baculi loco tenentem ingressum undas, qualis Polyphemus apud Virgilium, quem 3. Æneidos sic describit: Monstrum horrendum ingens, cui lumen ademptum. Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat. & paulo post: Graditurque per æquor Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit. Quem & Homerus Odyssex 1. describit.*

Aspexerint, eo die) *Quæso quid dici potuit stultius aut superstitiosius? & tamen mirum, quam id vulgo persuasum habeatur. Quis istiusmodi plusquam hæreticas opiniones insevit in animos Christianorum? Bene morietur, quisquis vixerit in Christo, non qui ligneum viderit Christophorum.*

ſint perituri, [a] aut qui ſculptam Barbaram præſcriptis verbis ſalutarit, ſit incolumis è prælio rediturus, [a] aut ſi quis Eraſmum certis diebus, certis cereolis, certiſque preculis convenerit, brevi ſit dives evaſurus. Jam vero [b] Georgium etiam Herculem invenerunt, quemadmodum & [c] Hippolytum alterum. Hujus equum [d] phaleris ac bullis religioſiſſime adornatum [e] tantum non ado-

Aut qui ſculptam Barbaram) *Vtriuſque hiſtoria non admodum gravis eſt. Et tamen hujuſmodi fabulamentis permiſſum eſt olim ludere Chriſtianis potius quam Ethnicis.*

Aut ſi quis Eraſmum) *Animadverte, & intelliges, nihil hic dici contumelioſum in ſanctos, ſed in eos qui illos ſuperſtitioſe colunt. Nauticum genus, quo vix aliud ſceleratius, cum non mutent vitam, tamen ita ſe domum redituros confidunt, ſi ſimulachrum Chriſtophori conſpexerint. Milites, perditiſſimum genus, ſi ad Barbaræ procubuerint imaginem, & caſtrenſia quædam demurmuraverint precamina, credunt ſe incolumes ad priſtinam vitam redituros è prælio. Avari in hoc colunt Eraſmum, & id ſuperſtitioſe, ut brevi diteſcant.*

Georgium Herculem) *Nonnulla, quæ de hoc feruntur, videntur effecta ex Herculis laboribus, qui cum hydra Lernæa congreſſus eſt.*

Hippolytum alterum) *Nam habent gentiles ſuum Hippolytum ab equis diſcerptum. Vnde & nomen inditum nam ἵππος & equus* λυτὸς *ſolutus dicitur.*

Phaleris ac Bullis) *Olim in templis Chriſtianorum nihil erat neque ſculptum neque pictum: nunc equus Georgii veris inſtructus armis, bonam aliquoties templi partem occupat.*

Tantum non adorant) *Id eſt, propemodum. quemadmodum Græci dicunt* μονονχὶ, *id eſt, tantum non. Qua figura uſus eſt Titus Livius, Suetonius, & Valerius Maximus.*

adorant ac ſubinde novo quopiam [a] munuſculo demerentur: per hujus æream galeam dejerare, plane regium habetur. Nam quid dicam de iis, qui ſibi fictis [b] ſcelerum condonationibus ſuaviſſime

Munuſculo demerentur) *Id eſt, conciliant, & ſibi devinciunt.*

Scelerum condonationibus) *Has vulgo vocant indulgentias, quas hic non improbat ſi veræ ſint, ſed ſimulatas ridet, ideoque addidit, fictis. ſæpe enim quidam ad quæſtum fictas bullas circumferunt, ut agreſtibus & imperitis imponant. Nonnunquam abutuntur & his quas vere conceſsit pontifex, dum eas populo proponunt & commendant, non quatenus conducit ad ſalutem animarum, ſed quatenus ad ipſorum quæſtum maxime confert. In ſumma, non erat noſtrum de poteſtate pontificum diſputare. Hoc unum ſcio, certius eſſe quod Chriſtus in Evangelio promiſit, de remittendis peccatis, quam quod pollicentur homines præſertim cum hæc tota recens ſit, & nuper inventa. Poſtremo complures mortalium his condonationibus freti, ſibi male blandiuntur, nec cogitant de vita mutanda. Pontificum condonationibus, quales nunc vulgo venditantur, non ita multum tribuunt Theologi. Et tamen Moria profitetur, ſe duntaxat notare fictas condonationes, fraude impetratas; id quod non raro deprehenditur. Notat autem potiſsimum eas relaxationes, quæ promittunt diminutionem pœnarum in Igne purgatorii. De quibus adeo dubitant Theologi, ut complures ambigant an ullum ſit purgatorium. Adhæc, notat eos qui perperam accipiunt condonationes: quum enim offerantur confeſsis & contritis, plerique ſe puros arbitrantur, ſi nummum in ſcrinium conjecerint. Id explicat paulo poſt: Hic mihi puta negociator aliquis &c. Hac porro admonitione quid ſalubrius.*

vissime blandiuntur, ac purgatorii spacia [a] veluti clepsydris metiuntur, [b] secula, annos, menses, dies, horas, tanquam è tabula mathematica, citra ullum errorem dimetientes? Aut de iis, [c] qui magicis quibusdam notulis ac preculis, quas [d] pius aliquis impostor, vel animi causa vel ad quæstum excogitavit, freti nihil sibi non pollicentur, [e] opes, honores, voluptates, saturitates, valetudinem.

Veluti Clepsydris) *Clepsydris olim horas metiebantur in agendis causis. Vasa erant angustis foraminibus, per quæ guttatim defluens aqua, temporis modum significabat. Plinius in epistolis: Dixeram horis pœne quinque; nam tribus clepsydris, quas spaciosissime acceperam, sunt additæ quatuor. Dicuntur autem ἀπὸ τῦ κλέπτειν, id est, furando seu abscondendo, & ἀπὸ τῦ ὕδατος, id est, quod aquam absconderent.*

Secula) *Seculum, spacium centum annorum.*

Qui magicis quibusdam) *Hujusmodi superstitiosissimis nugis passim referta sunt omnia. Quodque magis mirum est, hæc pietas habetur apud nonnullos etiam eruditos & religiosos.*

Pius impostor) *Facete conjunxit pugnantia. Sentit eum, qui sub specie pietatis impostura facit.*

Opes honores) *Vides quid isti petant suis precibus, non bonam mentem sed commoda hujus mundi. ut palam intelligas, non taxari preces, sed superstitiosas, præsertim si his utaris ad hunc finem, quem dicit. Nam tales & Ethnici irriserunt poetæ. Vnde Persius Satyra secunda hujusmodi preculas ridens ait: Haud cuivis promptum est murmur humilesque susurros Tollere de templis, & aperto vivere voto. Et Iuven. Sat. 10. Prima fere vota & cunctis notissima templis, Divitiæ; crescant ut opes, ut maxima toto Nostra sit arca foro.*

tudinem perpetuo proſperam, vitam longævam, ſenectam viridem, denique proximum Chriſto apud ſuperos conſeſſum? quem tamen nolint niſi admodum ſero contingere; hoc eſt, cum hujus vitæ voluptates invitos eos, ac mordicus renitentes, tamen deſeruerint, tum ſuccedant illæ cœlitum deliciæ! Hic mihi puta negotiator aliquis, aut miles, aut judex, abjecto ex tot rapinis unico nummulo, univerſam [a] vitæ Lernam ſemel expurgatam putat, totque perjuria, tot libidines, tot ebrietates, tot rixas, tot cædes, tot impoſturas, tot perfidias, tot proditiones exiſtimat velut ex pacto redimi, [b] & ita redimi, ut jam liceat ad novum ſcelerum orbem de integro reverti. Quid autem ſtultius iis, immo quid felicius, qui [c] ſeptem illis ſacrorum pſalmorum verſiculis quotidie recitatis pluſquam

Vitæ lernam) *Lerna palus Argivorum peſtilentiſſima, quæ prodidit hydram ſeptem capitum. Proverbium eſt, λερνὴ κακῶν, id eſt, lerna malorum. de immenſis & innumeris malis.*

Et ita redimi) *Et hinc palam, nihil dici adverſus indulgentias. Taxantur enim non qui his utuntur ut debent, ſed qui ſatis putant abjeciſſe nummum in corbonam, cum nihil de vita priſtina mutetur.*

Seprem illis ſacrorum) *Quidam è ſeptem fecerunt octo. Super hac re vide quam ridiculam narrent, immo ſcribant, fabulam. Dæmon occurrens divo Bernardo jactavit ſe ſcire ſeptem verſiculos in Pſalmis Davidicis, quos qui quotidie recitaſſet, non poſſet non ire in cœlum. Inſtabat Bernardus, ut indicaret quinam eſſent. Cumq; ille recuſaret; Nihil agis, inquit Bernardus, quandoquidem quotidie totum evolvam pſalterium, in quo tui quoque ſeptem verſus inſint neceſſe eſt. At dæmon veritus ne tanti boni dediſſet occaſionem, maluit verſiculos ſuos indicare: atque hoc tantum bonium quantum nec in Evangelio legimus, cacodæmoni ferimus acceptum.*

citatis pluſquam ſummam felicitatem ſibi promittunt? Atque hos magicos verſiculos daemon quiſpiam, facetus quidem ille, ſed futilis magis quam callidus, Divo Bernardo creditur indicaſſe, ſed arte circumventus miſer. Et hæc tam ſtulta, ut me ipſam propemodum pudeat, tamen approbantur, idque non à vulgo modo, verum etiam à religionis profeſſoribus. Quid jam nonne eodem fere pertinet, cum ſingulæ regiones ſuum aliquem peculiarem vindicant divum: eumque in ſingulos ſingula quædam partiuntur, ſingulis ſuos quoſdam culturæ ritus attribuunt: ut hic in dentium cruciatu ſuccurrat, ille parturientibus dexter adſit, alius rem furto ſublatam reſtituat; hic in naufragio proſper affulgeat, ille gregem tueatur? atque item de cæteris. nam omnia percenſere longiſſimum fuerit. Sunt qui ſinguli pluribus in rebus valeant, præcipue [a] deipara virgo, cui vulgus hominum

Deipara) *Imitatus eſt Græcam vocem* Θεοτόκος. *Mirum eſt autem quam vulgus hominum ab hac omnia petat, perinde quaſi Chriſtus aut minus ſit exorabilis quam Maria, aut minus poſſit. Sed ſtultum vulgus imaginatur in ſacra virgine, quod vident in filio quopiam principe & huius matre. Quod ab illo non poſſunt extorquere, vel quod ſit implacabilior hic ſexus, vel quod ad hunc non pateat aditus, id per mulierem impetrari putant. Illud animadverte, lector, quanquam Mariam loquentem facit, tamen hoc cavit, ut ne uſquam lædat Chriſtianam religionem. Ne videretur taxare eos, qui impenſe addicti ſunt cultui divi virginis, addit, Plus prope tribuit quam filio, ut intelligeres, ſtultam vulgi ſuperſtitionem notatam, qui magis fidit Mariæ, quam Chriſto. Ipſe cum in Italia ſtudiorum gratia commorarer, vidi in æde ſacra affixum epigramma, in quo quidam teſtabatur ſe graviſſima febri correptum, nihil ſpei collocaſſe*

num plus prope tribuit quam filio. Verum ab his divis quid tandem petunt homines nisi quod ad stulticiam attinet? Agedum [a] inter tot anathemata, quibus templorum quorundam parietes omnes ac testudinem ipsam refertam conspicitis, vidistis ne unquam qui stulticiam effugerit, qui vel pilo sit factus sapientior? [b] Alius enatavit incolumis. Alius ab hoste confossus vixit. Alius è prælio, pugnantibus cæteris, non minus feliciter quam fortiter aufugit. Alius in crucem subactus, favore divi cujuspiam furibus amici, decidit, ut nonnullos etiam male divitiis onustos pergeret exonerare. Alius perfracto carcere fugit. [c] Alius irato medico à febre revaluit. [d] Alii potum venenum, alvo soluta, remedio, non exitio fuit, idque non admo-

in medico, non multum in deo, sed tamen divæ virginis ope revixisse. Nulla, inquit, erat in medico spes, neque multa deo. Nam hunc versiculum forte memoria teneo.

Inter tot Anathemata) *Ita vocantur donaria suspensa in templis, ac monumenta dicata divis. Apud Italos in ædibus sacris hujusmodi plena sunt omnia.*

Alius enatavit) *Effingunt argumentum picturis aut ceris: deinde addunt superscriptionem miraculi. Lusit autẽ mira facetia, in his argumentis explicandis.*

Alius irato Medico) *Quia maluerit morbum diuturniorem, quæstus sui causa. Tales enim nonnulli sunt, sed hoc indigni nomine.*

Alii potum venenum) *Extat Ausonii super hac re sane quam lepidum Epigramma, de uxore, quæ virum voluit veneno necare. Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito, Nec satis ad mortem credidit esse datum, Miscuit argenti lethalia pondera vivi, Cogeret ut celerem vis geminata necem. Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum, Antidotum sumet,*

admodum læta uxore, quæ operam & impensam luserit. Alius everso plaustro, equos incolumes domum abegit. Alius oppressus ruina vixit. Alius [a] à marito deprehensus elusit. Nullus pro depulsa stulticia gratias agit. Adeo suavis quædam res est nihil sapere, ut omnia potius deprecentur mortales, quam Moriam. Sed quid ego hoc superstitionum pelagus ingredior? [b] Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox, omneis fatuorum evolvere formas, Omnia stulticiæ percurrere nomina possim. usque adeo [c] omnis omnium Christianorum vita istiusmodi delirationibus undique scatet: quas

sumet, qui sociata bibet. Ergo inter sese dum noxia pocula certant, Cessit lethalis noxa salutiferæ, Protinus & vacuos alvi subiere recessus, Lubrica dejectis quæ via nota cibis. Quam pia cura deum? prodest crudelior uxor: Et cum fata volunt, bina venena juvant.

A marito deprehensus elusit) *Sunt qui constanter in his quoque casibus sanctos sibi fuisse præsidio jactent.*

Non mihi si linguæ) *Carmen Maronis, commutatis aliquot verbis, ad suam detorsit sententiam. Est autem Æneidos sexto: Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas, Omnia pœnarum percurrere nomina possim. Quod imitatum est ex illo Homeri Iliados β: Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι. δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη. id est, Non mihi si denæ linguæ sint, oraque dena, Vox simul infracta, ac animus mihi aheneus esset.*

Omnis omnium Christianorum) *Cave sic accipias, lector, quasi Christiana vita sit superstitiosa, Sed eorum qui Christiani vocantur more, his superstitionibus*

quas ipſas tamen ſacrifici non gravatim & admittunt & alunt, non ignari quantum hinc lucelli ſoleat accreſcere. Inter hæc, ſi quis odioſus ſapiens exoriatur, ſuccinatque id quod res eſt: [a] Non male peribis, ſi bene vixeris: [b] peccata redimis ſi nummulo addideris odium malefactorum, tum lachrymas, vigilias, precationes, jejunia, ac totam vitæ rationem commutaris. [c] Divus hic tibi favebit [d] ſi vitam illius æmulaberis. Hæc, inquam, atque id genus alia, ſi ſapiens ille obganniat, vide à quanta felicitate repente mortalium animos in quem tumultum retraxerit! Ad hoc collegium pertinent, qui vivi, qua funeris pompa velint efferri, tam diligenter ſtatuunt, ut nominatim etiam præſcribant, quot tædas, quot pullatos, quot cantores, [e] quot luctus hiſtriones velint adeſſe,

bus ſic ſunt infecti, ut nulla pæne res ſit tam ſacra, cui non admiſceant aliquid hujuſmodi. Quæ quidem tam multa ſunt, ut Livianam ſuperent hiſtoriam, tam ridicula, ut ſatius ſit reticere.

Non male peribis) *Hoc pertinet ad imaginem Chriſtophori conſpectam, & ad verſiculos à dæmone proditos.*

Peccata redimis) *Hoc ad condonationes pertinet.*

Divus hic) *Hoc ad Eraſmum cultum.*

Si vitam illius) *Hic eſt veriſſimus atque ipſis acceptiſſimus divorum cultus. Sed quoniam hoc longe difficilius, negligitur à vulgo, & ad faciles quaſdam cæremonias confugiunt.*

Quot luctus hiſtriones) *Durat mos adhuc apud complures Chriſtianos, ex gentilitate relictus, ut conducti quidam plorent in funere. Vnde Flaccus: Vt qui conducti plorant in funere; dicunt Et faciunt.*

prope

ædesse, perinde quasi futurum sit, ut aliquis [a] hujus spectaculi sensus ad ipsos sit rediturus, aut ut pudescant defuncti, nisi cadaver magnifice defodiatur, haud alio studio, quam si [b] ædiles creati, ludos aut epulum edere studeant. Equidem tametsi propero, tamen haud possum istos silentio prætercurrere, qui eum [c] nihil ab infimo cerdone differant, tamen inani nobilitatis titulo mirum quam sibi blandiuntur. Alius ad Æneam, alius ad Brutum, alius ad Arcturum genus suum refert. Ostendunt undique sculptas & pictas majorum imagines. Numerant proavos atque atavos, & antiqua cognomina commemorant, cum ipsi non multum absint à muta statua, pæne iis ipsis, quæ ostentant, signis deteriores. Et tamen hac tam suavi Philautia felicem prorsum vitam agunt. Neque desunt æque stulti, qui hoc beluarum genus perinde ut deos suspiciunt. Sed quid ego de uno aut altero genere loquor? quasi vero non passim hæc Philautia plurimos ubique miris modis feliciſſimos efficiat? cum hic quavis simia de-

prope plura dolentibus ex animo. Principes equos etiam pullis obtectos stragulis in hanc pompam inducunt, cervice ad tibias alligata, quasi lugeant, & dominum requirant.

Hujus spectaculi) *Nam ista defuncti aut non sentiunt, aut suo malo sentiunt. Sed tolerantur in solatium infirmorum, si modo tam moderate fiant, ut ferri possint. Nunc aliquoties ambitio usque ad insaniam exit.*

Ædiles creati) *Horum erat, fabulas edere populo, & viscerationes exhibere.*

Nihil ab infimo cerdone) *Vide ut circumspecte taxat nobiles, non quosvis, (sunt enim vere nobiles, qui generis claritati doctrina moribusque respondent) sed eos qui vita, cæteris que bonis rebus, nihilo antecellunt infimam plebem, aut, quod sæpe videmus, vincunt vitiis,*

deformior, sibi plane [a] Nireus videtur: alius simul atque treis lineas circino duxerit, prorsum Euclidem sese putat: hic [b] ὄνος πρὸς λύραν, &, [c] Quo deterius nec Ille sonat, quo mordetur gallina marito, tamen [d] alterum Hermogenem esse se credit. Est autem illud longe suavissimum insaniæ genus, quo nonnulli, quicquid ulli suorum dotis adest, eo non aliter atque suo gloriantur. [e] Qualis erat ille bis beatus

Nireus) *Nireum pro formosissimo posuit. Nam Homerus ut Thersiten turpissimum Græcorum, ita hunc post Achillem, formosissimum fecit, quem sic describit* Iliados β: Νιρεὺς Ἀγλαΐης δ' υἱὸς, Χαροπός τ' ἄνακτος, Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα. Ἀλλ' ἀλαπαδνὸς ἦεν. *id est, Filius Aglaies Nireus regis Charopique, Nireus, quo Troiam venit formosior alter Græcorum haud ullus, si invictum demis Achillem. Sed mollis fuit. Lucianus* ὁν νεκυικοῖς, *cum hoc Thersiten de forma fecit contendentem.*

Ὄνος πρὸς λύραν) *Id est, asinus ad lyram. Græcis proverbium est de indocili.*

Quo deterius) *Carmen est Iuvenalis è Satyra tertia, quo gallum significat gallinaceum, cui vox est rauca & inamabilis. Proinde ab animante Græci nomen dederunt huic vocis vitio, ut testatur Quintilianus.*

Alterum Hermogenem) *Hunc Flaccus nominat in Satyris, ut summum canendi artificem: Invideat quod & Hermogenes ego canto.*

Qualis erat ille bis beatus) *Est lepidissima fabula de quodam divite stulto, qui putabat se scire quicquid ullos servorum sciret. Erat adeo oblivioſus, ut nar-*

tus apud Senecam dives, qui narraturus hiſtoriolam quampiam, ſervos ad manum habebat, qui nomina ſuggererent, non dubitaturus vel in pugilum certamen deſcendere, homo alioqui adeo imbecillus, ut vix viveret, hac re fretus, quod multos haberet domi ſervos egregie robuſtos. Porro de artium profeſſoribus quid attinet commemorare? quando peculiaris eſt horum omnium Philautia, [a] ut reperias citius, qui velit agello paterno quam ingenio cedere, verum præcipue hiſtrionum, cantorum, oratorum, ac poetarum, quorum quo quiſque eſt indoctior, hoc ſibi placet inſolentius, hoc ſeſe magis jactat, ac dilatat. Et inveniunt [b] ſimiles labra lactucas, immo quo quicquam eſt ineptius, hoc plures admiratores nanciſcitur, ut peſſima quæque ſemper [c] plurimis arrident, propterea quod maxima pars hominum, ut diximus, Stulticiæ obnoxia eſt. Proinde ſi, qui eſt imperitior, & ſibi ipſi multo jucundior eſt, & pluribus admirationi, quid eſt quod is veram eruditionem malit, primum magno conſtaturam, deinde reddituram [d] &

narraturus aliquid ſæpe requireret nomen Hectoris, aut Achillis, & opus erat ſervo qui nomen ſuggereret. Huic adeo invalido ut vix viveret, adulatores ſuadebant, ut in pugilum certamen deſcenderet. & reſpondenti, Qui poſſum? vix vivo. Non vides, inquiunt, quam multos validos ſervos habeas domi tuæ?

Ut reperias citius) *Ita Martialis in Epigrammatis ait, inveniri forte, qui cedant agro paterno, Qui velit ingenio cedere, nullus erit.*

Similes labra lactucas) *Proverbium eſt, cum digna contingunt dignis, ut ineptus cantor inſulſo auditori.*

Plurimis arrident) *Eleganter arrident poſuit pro placent, quemadmodum & blandiri dicuntur quæ placent.*

[a] & putidiorem & timidiorem, poſtremo multo paucioribus placituram? Jam vero video, naturam, ut ſingulis mortalibus ſuam, ita ſingulis nationibus ac pæne civitatibus, communem quandam inſeviſſe Philautiam: Atque hinc fieri, ut [b] Britanni, præter alia, formam, muſicam & lautas menſas proprie ſibi vendicent: Scoti, nobilitate, & regiæ affinitatis titulo, neque non dialecticis argutiis ſibi blandiantur: Galli morum civilitatem ſibi ſumant: Pariſienſes, Theologicæ ſcientiæ laudem, omnibus prope ſubmotis, ſibi peculiariter arrogent: Itali bonas literas & eloquentiam aſſerant, atque hoc nomine ſibi ſuaviſſime blandiantur omnes, quod [c] ſoli mortalium barbari non ſint. Quo quidem in genere felicitatis, Romani primas tenent, ac [d] veterem

[a] Et putidiorem) *Putidum aliquando moleſtum vocant. Horatius: Quorſum hæc tam putida tendunt?*

Brittanni præter alia) *Vide lector ut rem per ſe mordacem feſtiviter & circa morſum tractat. Quis neſcit, ut ſingulis hominibus, ita & ſingulis nationibus ſua quædam vitia eſſe? de quibus vulgus etiam ſua habet proverbia. At hic nil attingit odioſum, ſed tantum ridicula quædam commemorat, ut intelligas illum candido illo Mercurii ſale ludere voluiſſe. Nam Britannos etiam laudavit, ſi vendicant ſibi, quod & habent, & habere pulchrum eſt.*

Soli mortalium) *Olim Græci cæteros appellabant Barbaros: deinde culti literis Itali, cæteros omnes præter Græcos, barbaros appellare cœperunt. Et nunc rebus omnibus commutatis, adhuc mirum eſt, quam inani nomine ſibi placeant, & quantopere barbaros execrentur.*

Veterem illam Romam) *Referrem hoc loco nonnihil de Romanorum affectu, ni ſcirem, ſine gemitu non poſſe audiri à piis. Et præſtat Eraſmi, quem interpretor, modeſtiam imitari.*

terem illam Romam adhuc jucundiſſime ſomniant. Veneti nobilitatis opinione ſunt felices. Græci tanquam diſciplinarum autores, veteribus illis laudatorum heroum titulis ſeſe venditant: Turcæ, totaque illa vere barbarorum colluvies, etiam religionis laudem ſibi vendicat. Chriſtianos perinde uti ſuperſtitioſos irridens. Ac multo etiam ſuavius Judæi etiamnum Meſſiam ſuum conſtanter expectant, ac Moſen ſuum hodieque mordicus tenent: Hiſpani bellicam gloriam nulli concedunt: Germani corporum proceritate & magiæ cognitione ſibi placent. Ac ne ſingula perſequar, videtis, opinor, quantum ubique voluptatis pariat ſingulis & univerſis mortalibus Philautia. Cui prope par eſt Aſſentatio ſoror. [a] Nihil enim aliud Philautia quam cum quis ipſe ſibi palpatur. Idem ſi alteri facias, [b] Κολακία fuerit. At hodie res quædam infamis eſt adulatio, ſed apud eos, qui rerum vocabulis magis, quam rebus ipſis commoventur. Exiſtimant, cum adulatione fidem male cohærere: quod multo ſecus ſeſe habere, vel brutorum animantium exemplis poterant admoneri. Quid enim cane adulantius? at rurſum quid fidelius? Quid [c] ſciuro blandius? at hoc quid eſt, homini magis amicum? Niſi forte vel

Nihil enim aliud) *Feſtiviter per collationis occaſionem miſcuit jocum, & tamen dixit. Eſt autem perniciosiſſima adulatio cum quis aſſentatur ſibi.*

Κολακία) Κόλαξ, *id eſt, adulator. Inde* κολακία *adulatio. Miro vero ingenio, rem omnium peſſimam laudat, & ita laudat, ut nihilominus verum dicat.*

Sciuro blandius) *Sciurus muris genus eſt, piloſa cauda, qua ſe tegit, unde & nomen habet.* σκιὰ umbra, & οὐρὰ *cauda dicitur Eſt enim huic animanti peculiare, cauda corpus obtegere. Habetur in deliciis ob luſum perpetuum.*

vel aſperi leones, vel immites tigres, vel irritabiles pardi magis ad vitam hominum conducere videntur. Quanquam eſt omnino pernitioſa quædam adulatio, qua nonnulli perfidioſi, & irriſores, miſeros in perniciem adigunt. Verum hæc mea ab ingenii benignitate candoreque quodam proficiſcitur, multoque virtuti vicinior eſt, quam ea, quæ huic opponitur, aſperitas, ac moroſitas inconcinna, [a] ut ait Horatius, graviſque. Hæc dejectiores animos erigit, demulcet triſtes, extimulat languentes, expergefacit ſtupidos, ægrotos levat, feroces mollit, amores conciliat, conciliatos retinet. [b] Pueritiam ad capeſſenda ſtudia literarum allicit,

Ut ait Horatius) *Is ponit duo vitia in amicitia, aſſentationem, & huic diverſam, aſperam morum truculentiam, qua nihil amico concedimus. Eſt autem medium quiddam, ut amicum admoneas errantem, ſed non quavis de re, nec amarulente, ſed amice; quædam condones quibuſdam faveas. Vnde Flaccus in epiſtola ad Lollium ſic ait: Diſcolor infido ſcurræ diſtabit amicus. Eſt huic diverſum vitio vitium prope majus, Aſperitas agreſtis, & inconcinna graviſque, Quæ ſe commendat tonſa cute, dentibus atris, Dum vult libertas mera dici, veraque virtus. Virtus eſt medium vitiorum utrinque redactum.*

Pueritiam ad capeſſenda) *Laude & munuſculis alliciebant pueros ad amandas literas. Vnde Flaccus: Pueris olim dant cruſtula blandi Doctores, elementa velint ut diſcere prima. Nunc vero truculentia doctorum, et plagis, primum diſcunt odiſſe literas et præceptorem: qua re, vel Fabio teſte, nihil magis puerorum ingeniis perniciosum eſſe poteſt. Nam præter odium literarum, ingeniique ſervilitatem, quam ſævitia præceptorum parit, etiam corpuſculis adhuc tenuis et creſcentibus, non*

allicit, ſenes exhilarat, [a] principes citra offenſam, ſub imagine laudis, & admonet & docet. In ſumma, facit ut quiſque ſibi ipſe ſit jucundior & charior, quæ quidem felicitatis pars eſt vel præcipua. Quid autem officioſius quam cum [b] mutuum muli ſcabunt? Ut ne dicam interim, hanc eſſe [c] magnam illius laudatæ eloquentiæ partem, majorem medicinæ, maximam poeticæ: denique hanc eſſe totius humanæ conſuetudinis mel & condimentum. Sed falli, inquiunt, miſerum eſt. Immo non falli miſerrimum. Nimium enim deſipiunt, qui in rebus ipſis felicitatem hominis ſitam eſſe exiſtimant. Ex opinionibus ea pendet. Nam rerum humanarum tanta eſt obſcuritas, varietaſque, ut nihil dilucide ſciri poſſit: quemadmodum recte dictum eſt ab Academicis meis [d] inter philoſophos quam minimum

parum nocet nimia illa ſævitia & aſperitas, quam mirum quantum ſtulti, non ſane pauci, tanquam præceptoris virtutem mirantur.

Principes citra) *Si neceſſe eſt admonere principem, tamen jucunde monendus eſt, non acerbe, ne eveniat quod evenit Calliſtheni præceptori Alexandri, et pedagogo Ptolemæi. Porro colorem quem oſtendit, ipſe mire ſervavit in Panegyrico, quo Philippi Burgundionum ducis laudes proſequutus eſt. Nihil enim aliud illic agit laudans, quam ut doceat et admoneat, qualem opportet eſſe principem.*

Mutuum muli ſcabunt) *Proverbium eſt, cum viciſſim alius alium laudat. à mulis ſumptum, qui, quod manibus carent, mutuo ſe ſcabunt.*

Magnam illius &c.) *Nam ut ſupra diximus, Plato in Gorgia oratoriam aſſentationis partem fecit.*

Inter philoſophos) *Socrates modeſtiæ cauſa dicebat, ſe nihil ſcire, ridens arrogantem ſophiſtarum profeſſionem, qui ſe jactabant nihil neſcire: hinc Academici*

mum insolentibus. Aut si quid sciri potest, id non raro officit etiam vitæ jucunditati. Postremo sic sculptus est hominis animus, ut longe magis fucis, quam veris capiatur. Cujus rei si quis experimentum expositum & obvium quærat, conciones ac templa petat, in quibus si quid serium narratur, dormitant, oscitant, nauseant omnes. quod si [a] clamator ille, (lapsa sum, declamator, dicere volebam,) ita ut sæpe faciunt, anilem aliquam fabellam exordiatur, expergiscuntur, eriguntur, inhiant omnes.

Item

mici nihil affirmabant, sed quod ubique probabile viderent, id sequebantur. Porro Socrates in Apologia dicit, se putare idcirco ab Apolline judicatum omnium sapientissimum, quod se nihil scire sciret. Sic enim ait loquens de quodam, qui et sibi et aliis videretur sapientissimus: Πρὸς ἐμαυτὸν δ' οὖν ἀπιὼν, ἐλογιζόμην ὅτι τούτου μὲν τοῦ ἀνθρώπου ἐγὼ σοφώτερός εἰμι. κινδυνεύομεν μὲν γὰρ ἡμῶν οὐδέτερος οὐδὲν καλὸν οὐδ' ἀγαθὸν εἰδέναι, ἀλλ' οὗτος μὲν οἴεταί τι εἰδέναι οὐκ εἰδώς· ἐγὼ δ' ὥσπερ οὖν οὐκ οἶδα, οὐδ' οἴομαι. δοκῶ γοῦν τούτου γε σμικρῷ τινι αὐτῷ τούτῳ σοφώτερος εἶναι, ὅτι ἃ μὴ οἶδα, οὐδὲ οἴομαι εἰδέναι. *id est: Ad me ipsum igitur conversus sic ratiocinabat: Hoc profecto homine sapientior sum. Videtur enim nostrum neuter quid bonum quidve malum sit scire. Cæterum hic quidem putat se aliquid scire, nihil sciens. Ego vero ut nihil scio, ita nihil scire me puto. Visus sum igitur pulo hoc ipso sapientior, quod ea quæ nescio, ne puto quidem me scire.*

Clamator) *Quidam clamant tantum. Declamant autem qui ex arte dicunt, præsertim exercendi causa. Quod autem per jocum hic narrat, mirum est quam quotidie videamus evenire.*

Item ſiquis ſit divus fabuloſior & poeticus, quod ſi exemplum requiris, [a] finge hujus generis Georgium, aut Chriſtophorum, aut Barbaram, videbis hunc longe religioſius coli, quam Petrum, aut Paulum, aut ipſum etiam Chriſtum. Verum hæc non hujus ſunt loci. Jam quanto minoris conſtat hæc felicitatis acceſſio? Quandoquidem res ipſas aliquoties magno negocio pares oportet, vel leviſſimas, uti grammaticen. At opinio facillime ſumitur, quæ tamen tantundem, aut amplius etiam, ad felicitatem conducat. Age ſi quis putribus veſcatur ſalſamentis, quorum alius nec odorem ferre poſſit, & tamen huic ambroſiam ſapiant, quæſo quid intereſt ad felicitatem? Contra ſi [b] acipenſer alicui nauſeam ſapiat, quid referet ad vitæ beatitudinem? Si cui ſit uxor egregie deformis, quæ tamen marito vel cum ipſa Venere certare poſſe videatur, nonne perinde fuerit, ac ſi vere formoſa foret? Si quis tabulam minio lutoque male oblitam ſuſpectet, ac demiretur, per-

Finge hujus generis) *Ne quis hic calumnietur, aliquid parum reverenter dictum de ſanctis, non enim vocat divos fabuloſos, quod non ſint ſancti, ſed quod de his fabuloſa quædam ferantur, ut Horatius fabuloſum dixit Hydaſpem fluvium. Nec id ſimpliciter affirmat, ſed addit, exempli cauſa. Nam horum hiſtoriæ fabulis ſimillimæ videntur. Et tamen hæc qualiacunque ſunt, libentius amplectitur vulgus, quam quæ in Actis apoſtolorum aut in Evangeliis legimus certa & indubitata.*

Acipenſer alicui) *Acipenſer ſive acipenſis piſcis eſt optimi ſaporis, qui ſquamas ad os verſas habet, olim in maximo precio habitus. Martialis in diſtichis. Ad Palatinas acipenſem mittite menſas, Ambroſias ornent munera rara dapes.*

perſuaſum habens [a] Apellis aut Zeuxidis eſſe picturam, nonne felicior etiam fuerit eo, qui eorum artificum manum magno emerit, fortaſſis minus ex eo ſpectaculo voluptatis percepturus? Novi ego quendam [b] mei nominis, qui novæ nuptæ gemmas aliquot adulterinas dono dedit, perſuadens, ut erat facundus nugator, eas non modo veras ac nativas eſſe, verum etiam ſingulari atq; inæſtimabili precio. Quæſo, quid intererat puellæ, cum vitro non minus jucunde paſceret & oculos & animum, nugas perinde ut eximium aliquem theſaurum conditas apud ſeſe ſervaret? Maritus interim & ſumptum effugiebat, & uxoris errore fruebatur, nec eam tamen ſibi minus habebat devinctam, quam ſi magno empta donaſſet. Nam quid intereſſe cenſetis, inter eos, qui in [c] ſpecu illo Platonico variatum rerum umbras & ſimulacra demirantur, modo nihil deſiderent, neque minus ſibi placeant, & ſapientem

Apellis aut Zeuxidis) *Plinius lib. 35. Apellem dicit ſuperaſſe omnes ante ſe genitos, poſteaque ſequutos, quippe qui pinxerit ea, quæ alii pingere non potuerint, fulmina, nitrua, bronten, aſtrapen. Zeuxidis item meminit Plinius, quem ſummas divitias dicit arte ſua ſibi comparaſſe, oſteaque cenſentem opera ſua majora eſſe, quam quæ pretio poſſent comparari, cœpiſſe ea dono dare. Plura de his apud eundem invenies.*

Mei nominis) *Apparet eam loqui de quopiam, cui nomen fuerit Moro, qui puellam ſponſam hac arte deluſerit.*

Specu illo Platonico) *Plato πολιτειῶν ζ, homines, qui relictis divinis ideis & ſpiritualibus rebus, quæ vere ſunt, nihil præter res corporeas, verarum rerum umbras mirantur, tanquam cæcos & ſomniantes fingit ἐν καταγείῳ σικήσει σπηλαιώδει, id eſt, ſubterraneo domicilio, ſpeluncæ formam præ ſe ferenti.*

tem illum, qui ſpecum egreſſus, veras res aſpicit? Quod ſi [a] Mycillo Lucianico dives illud & aureum ſomnium perpetuo ſomniare licuiſſet, nihil erat cur aliam optaret felicitatẽ. Aut nihil igitur intereſt, aut ſi quid intereſt, potior etiam ſtultorum conditio. Primum quod iis ſua felicitas minimo conſtat, id eſt, ſola perſuaſiuncula. Deinde, quod ea fruuntur cum plurimis communiter. Porro nullius boni jucunda ſine ſocio poſſeſſio. Quis enim neſcit quanta ſapientum

ſuis affectibus vinctos ſedere. Ad hunc enim modum Socrates fere apud eum loquitur: Naturam noſtram, quo ad eruditionem & ruditatem pertinet, tali quadam imagine contemplare: Finge ſubterraneum ſpecus, cujus ingreſſus verſus lumen per antrum totum perviusundique pateat: in eo homines nutritos à pueritia, cervicẽ & crura ita devinctos, ut & immobiles permanere cogantur, & ad ſola anteriora proſpicere: capita vero vinculis adſtricta circumducere nequeant: poſt tergum autem ſuperne ac procul, ignis lumen ſuſpenſum ſit, interque ignem & vinctos homines via ſuperior appareat, ſecus quam paries ſit conſtructus; quemadmodum præſtigiatoribus apponuntur coram ſpectantium oculis cortinæ quædam, ſuper quibus ſua miranda oſtentant: finge præterea homines alios inter parietes ferre res varias. Hos demum homines ait nihil aliud quicquam vel ſui ipſorum vel aliarum rerum poſſe videre, præter umbras quæ ex igne ad adverſam ſpeluncæ partem cadent.

Mycillo Lucianico) *Apud Lucianum Mycillus quiſpiam credo, pauperculus, exnaverat apud prædivitem vicinum; nocteque ſomniavit ſe ſubito divitem vehi humeris, poſſidereq; quæcunque divites poſſident. Et ob id minatur gallo, quod ſuo cantu tantam felicitatem interrupiſſet. Extat dialogus, ab Eraſmo Latinus factus.*

tum paucitas, si modo quisquam inveniatur? quanquam ex tot seculis Græci septem omnino numerant, quos mehercle si quis accuratius excutiat, dispeream si vel semisapientem inveniet, immo si [a] vel trientem viri sapientis. Proinde cum inter multas Bacchi laudes, illud habeatur, ut est, primarium, [b] quod animi curas eluat, idque ad exiguum modo tempus: nam simul atque villum edormieris, protinus [c] albis, ut aiunt, quadrigis recurrunt animi molestiæ: quanto meum beneficium cum plenius, tum præsentius, quæ, perpetua quadam ebrietate, mentem gaudiis, deliciis tripudiis, expleo, idq; nullo negocio? Neque quenquam omnino mortalem mei muneris expertem esse sino, cum reliquæ numinum dotes. aliæ ad alios perveniant. Non ubivis nascitur generosum

Vel trientem) *Triens est quarta pars aßis, hoc est tres unciæ.*

Quod animi &c.) *Vnde in Epigrammate Græco, γηθόσυνος, id est lætus: λυσιμέριμνος, id est, curam solvens: φιλομειδὴς, id est, amator risus: τερπνὸς, id est, delectabilis: & ῥαδινὸς, id est, facilis, dicitur. Bacchi laudes complexus est Flaccus hoc carmine: Quid non ebrietas designat? operta recludit, Spes jubet eße ratas, ad prælia trudit inermem, Solicitis animis onus eximit, addocet artes. Fœcundi calices quem non fecere disertum? Contracta quem non in paupertate solutum? Tibullus quoque: Adde merum, vinoque novos compesce dolores. Et Propertius Elegiarum tertio ad Bacchum ait: Curarumque tuo sis medicina mero, Homerus item Illiados ζ: Ἀνδρὶ δὲ λεκμηῶτι, μέγα οἶνος ἀέξει, id est, Viro autem qui laboravit, robur magnum vinum augebit.*

Albis quadrigis) *Hoc proverbio summam indicamus celeritatem.*

[a] generoſum & lene metum, Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet. Paucis contigit formæ gratia, Veneris munus; paucioribus eloquentia, Mercurii donum. Non ita multis obtigerunt opes, [b] dextro Hercule. Imperium non cuivis concedit [c] Jupiter Homericus. Sæpenumero Mavors neutris favet copiis. Complures ab [d] Apollinis tripode triſtes diſcedunt. Sæpe fulminat [e] Saturnius, [f] Phœbus aliquando jaculis peſtem immittit. Neptunus plures

Generoſum & lene) *Sic Horatius: Ad mare cum venio, generoſum & lene requiro, Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet, Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.*

Dextro Hercule) *Huic decimas bonorum voverunt ut diteſcerent, unde Perſius Sat. 2. Et O ſi ſub raſtro crepet argenti mihi ſeria, dextro Hercle.*

Jupiter Homericus) *Homerus ſcribit ſceptrum & jus à Iove dari regibus. apud quem Vlyſſes Iliados β. ſic loquitur:* Εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς ᾧ ἔδωκε Κρόνου πάϊς ἀγκυλομήτεω Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας ἵνα σφίσι βασιλεύῃ, *id eſt, Vnus dominus ſit, unus rex, cui dedit filius Saturni verſuti ſceptrum atque fas, ut ipſos regat. Et Neſtor Il. α.* Σκηπτοῦχος βασιλεὺς ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν, *id eſt, Sceptriſer rex cui Iupiter gloriam dedit.*

Apollinis tripode) *Cum reſpondet quæ nollent audiſſe.*

Saturnius) *id eſt, Iupiter, cui fulmen tribuunt poetæ, unde* τερπικέραυνος *dicitur.*

Phœbus aliquando) *Vt in primo Iliad. ob ereptam ſacerdotis Chryſæ filiam,* βασιλῆϊ χολωθείς, Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὄρσε κακὴν ὀλέκοντο δὲ λαοί. *id eſt, Regi iratus morbum excitavit malum, perieruntque populi. Vnde Pæan dicitur* ἀπὸ,

plures extinguit quam ſervat. Ut interim [a] Vejoves iſtos, Plutones, [b] Atas, [c] Pœnas, Febres, atq; id genus

ἀπὸ τοῦ πάιειν, id eſt, à feriendo: & Apollo, ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν, id eſt, à corrumpendo & βαλιτοξάρης, id eſt, ſagittis gaudens: & ἑκατηβόλος, id eſt, longe jaciens.

Vejoves iſtos) *Antiqui Romani ut Iovem & Dijovem à juvando appellarunt: ita eum deum, qui non juvandi poteſtatem, ſed vim nocendi haberet (nam deos quoſdam ut prodeſſent, celebrabant, quaſdam ut ne obeſſent, placabant) Vejovem apellaverunt, demptæ atque detractæ juvandi facultate, per hos στερητικὸν μόριον, id eſt, privativam particulam, ve. Hujus dei ſimulacrum, quod fuit Romæ in æde ipſius, quæ erat inter arcem & Capitolium, ſagittas tenebat, quæ videlicet erant ad nocendum paratæ. Qua propter plerique Apollinem dixerunt. Hujuſmodi fere Aulus Gellius libri quinti capite duodecimo.*

Atas) *Aten finxit Homerus, quam Latine Noxam poſſis dicere. Hæc immittit turbas & offenſas rebus mortalium, quæ Litæ ſtudent componere. Eam Iupiter capillis arreptis, præcipitavit è cœlo, ut dicit Homerus Iliados τ. Eadem inter Agamemnonem & Achillem excitavit diſſidium, de qua Iliados quoque Δ. ſic dicit:* Ἡ δ' Ἄτη δὴ ἀρή τε ἰχυία τε ἐστίν, οὕνεκα πάσας πολλὸν ὑπὲρ πεύθει. φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν βλάπτουσ' ἀνθρώπους. *id eſt, Ate autem robuſta veloxque eſt, quoniam omnes Litas curſu ſuperat: prævenit autem in omnem terram nocens hominibus.*

Pœnas, Febres) *Quidam duos tantum deos faciebant beneficium & pœnarum, ut Democritus: quod, ut Plin. ait, ad majorem accedit ſocordiam, quam ponere innumeros, qui & lib. 2. autor eſt, Febri publice fanum dicatum fuiſſe in Palatio.*

nus non deos, ſed carnifices, commemorem; Ego ſum una illa Stulticia, quæ omneis ex æquo tam parata beneficientia complector. Nec vota moror, nec iraſcor, expoſcens [a] piamina, ſi quid cæremoniarum fuerit prætermiſſum. [b] Nec cœlum terræ miſceo, ſi quis reliquis invitatis diis, me domi relinquat, nec admittat ad nidorem illum victimarum. Nam cæterorum deorum tanta in his eſt moroſitas, ut prope maius ſit operæ precium, atque adeo tutius, illos negligere quam colere. Quemadmodum ſunt & homines nonnulli, tam difficiles, & ad lædendum irritabiles, ut præſtiterit eos prorſum alieniſſimos habere, quam familiares. At nemo, inquiunt, Stulticiæ ſacrificat, neque templum ſtatuit. Equidem demiror, ut dixi, nonnihil hanc ingratitudinem. Verum hoc quoque pro mea facilitate boni conſulo: quanquam ne hæc quidem deſiderare poſſum. Quid enim eſt cur *tuſculum aut

Piamina) *Credebant offendi deos, ſi quid in ſacris fuiſſet non rite peractum: id ſi accidiſſet, expiabant.*

Nec cœlum terra) *Proverbium eſt, quo ſignificamus ſummum tumultum. Sic Iuv. Saty. 2. Quis cœlum terris non miſceat & mare cœlo? Idem ſexta: Clames licet, & mare cœlo Confundas. Alluſit autem ad fabulam apri Calydonii, quem immiſit Diana, quod cæteris diis ad convivium vocatis, ſola domi remanſerit. quæ apud Naſonem transformationum lib. 8. ſic: Tangit & ira deos: at non impune feremus: Quæque inhonoratæ, non & dicemur inultæ, inquit; & Oeneos ultorem ſpreta per agros Miſit aprum. De hac re multus eſt jocus apud Lucianum, in convivio philoſophorum ſive Lapithis.*

Tuſculum) *Ture olim litabant, & mola. Plinius in præfatione: Et mola tantum falſa litant, qui non habent tura. Eſt autem mola far toſtum, ſale conſperſum*

aut molam, aut hircum, aut ſuem requiram, cum mihi mortales omnes ubique gentium eum cultum perſolvant, [a] qui vel à Theologis maxime probari ſolet? Niſi forte [b] Dianæ debeam invidere, quod illi humano ſanguine litatur. Ego me tum religioſiſſime coli puto, cum paſſim ut faciunt omnes, animo complectuntur, moribus exprimunt, vita repreſentant. Qui quidem divorum cultus nec apud Chriſtianos admodum frequens eſt. [c] Quanta turba eorum, qui deiparæ virgi-

conſperſum, quo hoſtiæ aſpergebantur, dictum à molito farre.

Qui vel à Theologis) *Sentit de imitatione vitæ. cultus enim dei præcipuus eſt, illum imitari. Moriam imitantur omnes.*

Dianæ debeam invidere) *Apud Scythas Tauricæ Dianæ humano ſanguine litabatur. in Latio quoque, ut Strabo in quinto ſcribit, templum Dianæ Tauricæ erat, Dianium dictum, non procul ab Alba, in quo humanis hoſtiis litabatur Dianæ. Idcirco inquit Lactantius divinarum inſtitutionum lib. 2. Dii humanas hoſtias excogitaverunt, ipſi hoſtes humani generis, ut quam plurimas devorarent animas.*

Quanta turba) *Oſtendit quid dixiſſet cultum optimum, qui conſtat imitatione vitæ, non ceremoniis. Et ait plurimos eſſe qui beatam Mariam cæremonis colunt, perpaucos qui vitam ſtudeant æmulari, hoc eſt, humilitatem, puritatem, contemptum divitiarum, meditationem divinæ ſcripturæ. Quod autem per jocum additum eſt, In meridie; nemo malignius interpretetur, quaſi damnet ſimplicem populi pietatem: etiamſi Hieronymus Vigilantio deridenti hunc morem nihil aliud reſpondet, quam, cereos accendi, non in honorem martyrum, ut ipſe calumniabatur, ſed in ſolatium nocturnæ caliginis. Qui calumniis gaudent, dividunt quod conjunctum oportuit.*

virgini cereolum affigunt, idque in meridie, cum nihil eſt opus? Rurſum quam pauci qui eandem vitæ caſtimonia, modeſtia, cœleſtium rerum amore ſtudeant æmulari? Nam is demum verus eſt cultus, longeque cœlitibus gratiſſimus. Præterea cur templum deſiderem, cum orbis hic univerſus templum mihi ſit ni fallor, pulcherrimum? Neque vero [a] deſunt myſtæ, niſi ubi deſunt homines. Nec jam uſque adeo ſtulta ſum [b] ut ſaxeas ac coloribus fucatas imagines requiram, quæ cultui noſtro nonnunquam officiunt, cum à ſtupidis, & pinguibus iſtis, ſigna pro divis ipſis adorantur. Nobis

tuit. Ecce, inquiunt, damnat publicam eccleſiæ conſuetudinem, quæ cereos etiam clara luce accendit divis. Imo Moriæ non damnat eos, qui talem cultum qualemcunque exhibent divæ virgini, ſed illos taxat qui quod eſt minimum præſtant, quod eſt præcipuum negligentes.

Deſunt myſtæ) *Qui initiati numini ſacra celebrant.*

Ut ſaxeas) *Omnes ferme veteres ſancti damnabant in templis imagines, ob metum idololatriæ. id quod ex compluribus patet locis. Vt apud Hieronymum, epiſcopus quidam velum ſuſtulit, & concidit è templo, quod hominis haberet pictam imaginem. Et divus Gregorius epiſcopum quendam reprehendit, non quod imagines fregerit, ſed quod id fecerit abſque conſilio fratrum. Et in eadem epiſtola ſæpius inculcat, nihil manufactum ullo modo deberi adorari. At poſteriores Theologi rationem invenere, ut ipſis videtur, argutam, qua eadem ratione adoremus ſaxeam aliquam & vermiculoſam imaginem, & Chriſtum. Verum de his non diſputo. Sit magna pietatis pars, provolvi gypſo coloribus lito. Non taxatur hic conſuetudo Chriſtianorum, ſed illorum ſtultitia qui imagines venerantur non ut ſigna, ſed per*

inde

Nobis interim usu venit, quod solet iis, qui à vicariis suis extruduntur. Mihi tot statuas erectas puto quot sunt mortales, vivam mei imaginem præ se ferentes, etiam si nolint. Itaque nihil est quod reliquis diis invideam, si aliis in angulis terrarum alii colantur, idq; statis diebus: quemadmodũ * Rhodi Phœbus, in *Cypro Venus * Argis Juno, Athenis Minerva, *in Olimp. Jupiter, Tarenti Neptunus Lampsaci

inde quasi ipsæ sensum aliquem habeant, & huic magis fidunt quam illi. Quod si consultum est vitare scelerum occasiones, nullum autem scelus execrabilius idololatria, profecto non alienum fuerit hanc è medio tollere, ne quid ostendat imperitos.

Rhodi) *Insula est Lyciæ, ut Mela scribit, in qua, ut Solinus ait nunquam tam nubilum est cœlum, ut sol non videatur. Vnde Horatius in Odis, eam claram dicit. Quocirca in ea Phœbus colebatur.*

Cypro) *Insula est, quæ Ciliciam à septentrione, Isicum sinum ab oriente, Pamphylium ab occidente, & Ægyptiacum à meridie habet: de qua Strabo libro decimo quarto. Hanc Flaccus dicit dilectam Veneri: inde & Cypria dicitur.*

Argis) *Strabo libro octavo, multiplices ponit Argos. hic de Peloponesiaco loquitur, ubi dicat um erat Iunoni templum. de hoc apud Homerum Iliados δ. sic loquitur* Iuno Ἦτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόλεις, Ἄργος, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυαγυίη Μυκήνη, *id est, Tres mihi civitates: multo omnium sunt maxime dilectæ. Argos, Sparta, & latas vias habens Mycene.*

In Olympo) *Strabo lib. 8. quatuor dicit esse Olympos. hic de Peloponnesiaco loquitur, circa quem est Elis & Pisa Iovi dicata, ut Strabo ait, & Olympia, ubi Olympici agones fiebant.*

[a] Lampſaci Priapus: modo mihi communiter orbis omnis longe potiores victimas aſſidue præbeat. Atqui ſi cui videor hæc audacius quam verius dicere, agedum pauliſper ipſas hominum vitas inſpiciamus, quo palam fiat, & quantum mihi debeant, & quanti me faciant maximi pariter ac minimi. At non quorumlibet vitam recenſebimus, nam id quidem perlongum, verum inſignium tantum, unde reliquos facile ſit æſtimare. Quid enim attinet de vulgo plebeculaque commemorare, quæ citra controverſiam tota mea eſt? tot enim undique ſtulticiæ formis abundat, tot indies novas comminiſcitur ut nec mille Democriti ad tantos riſus ſuffecerint: quanquam illis ipſis Democritis rurſum alio Democrito foret opus. Quin etiam incredibile ſit dictu, quos riſus, quos ludos, quas delicias, homunculi quotidie præbeant ſuperis. Nam hi quidem horas illas ſobrias & antemeridianas jurgioſis [b] conſultationibus aç votis audiendis impartiunt: Cæterum ubi jam nectare madent, neque lubet quicquam ſerium agere, tum qua parte cœlum quam maxime prominet, ibi conſident, ac pronis frontibus quid agitent homines ſpeculantur. Nec eſt aliud ſpectaculum illis ſuavius. Deum immortalem, quod theatrum eſt illud, quam varius ſtultorum tumultus? Nam ipſa nonnunquam in deorum poeticorum ordinibus conſidere ſoleo. Hic deperit in mulierculam, & quo minus adamatur hoc amat impotentius. Ille dotem ducit,

Lampſaci) *Lampſacum oppidum eſt circa anguſtias Helleſpontiacas, non procul ab Abydo, ubi Priapus colebatur. De hoc Plin. lib. 5.*

Conſultationibus) *Lege Icaromenippum Luciani, quem Eraſmus latinitate donavit, & rectius intelliges hunc locum. Hic locus totus jocoſus eſt, & tamen ludens depingit imaginem vitæ humanæ.*

ducit, non uxorem. Ille ſponſam ſuam proſtituit. Alius zelotypus velut Argus obſervat. Hic in luctu papæ quam ſtulta dicit facitque? conductis etiam velut hiſtrionibus, qui luctus fabulam peragant. Ille [a] flet ad novercæ tumulum. Hic quicquid undecunque poteſt corradere, id totum [c] ventriculo donat, paulo poſt fortiter eſuriturus. Hic ſomno & & ocio nihil putat felicius. Sunt qui alienis obeundis negociis ſedulo tumultuantur, ſua negligunt. Eſt qui [d] verſuris atque ære alieno divitem ſe eſſe putat, mox [e] decocturus. Alius nihil Arbitratur felicius, quam ſi ipſe pauper heredem locupletet. Hic ob exiguum, idque incertum lucellum, per omnia maria volitat, undis ac ventis vitam committens, nulla pecunia reparabilem. Ille mavult bello divitias quærere, quam tutum ocium exigere domi. Sunt qui captandis [f] orbis ſenibus putant quam commodiſſime ad opes perveniri. Neque deſunt, qui idem malint deamandis [g] beatis aniculis aucupari.

Flet ad novercæ tumulum) *Proverbium dictum eſt apud Græcos,* δακρύειν πρὸς τὸν τῆς μητρυιῆς τάφον, id eſt, *Flere ad novercæ tumulum. de his qui fingerent dolorem, cum apud ſe gauderent.*

Ventriculo) *Quem vulgus ſtomachum, Latini ventriculum vocant.*

Verſuris) *Verſura eſt, cum æs alienum ære alieno diſſolvitur, & creditor mutatur, non liberatur debitor, ſed magis involvitur. hinc ducta voce, ut autor eſt Feſtus, quod creditorem verterent. Terrentius in Phor. In eodem luto hæſitas, verſuram ſolves.*

Decocturus) *Decoxiſſe dicuntur, qui abſumptis omnibus, cedunt bonis, ut loquuntur jure conſulti.*

Orbis ſenibus) *Orbi ſunt quibus liberi non ſunt, hos potiſſimum captant.*

Beatis aniculis) *Beatas vocat divites: Iuvenalis: Optima ſummi Nunc via proceſſus, vetulæ veſica beatæ.*

cupari. Quorum utrique tum demum egregiam de se voluptatem diis spectatoribus præbent, cum ab ipsis, [a] quos captant, arte deluduntur. *Est* omnium stultissimum ac sordidissimum negotiatorum genus, (quippe qui [b] rem omnium sordidissimum tractent, idque sordidissimis rationibus,) qui cum passim mentiantur, pejerent, furentur fraudent, imponant, tamen omnium primos sese faciunt, propterea quod digitos habeant auro evinctos. Nec desunt adulatores fraterculi, qui mirentur istos ac venerabiles palam appellent nimirum ut ad ipsos aliqua male partorum portiuncula redeat. Alibi

Quos captant) *Id Horatius narrat de Nasica & Corano. Lucianus item de nonnullis, ἐν νεκρικοῖς.*

Rem omnium sordidissimam) *Sordidum vocat illiberale & magno animo indignum. Porro in bonorum ordine, etiam juxta Peripateticos nihil vilius pecunia, quam solam captant negociatores. Nec Cicero probat hoc negotiatorum genus, qui hic coemuut, ut alibi carius vendant. Et paucissimi sunt, immo nulli, opinor, qui sine fraude ditescant. Et tamen hi soli habentur in precio; cum in sententiis Theologorum plane damnata sit negotiatio, si Gregorio credimus; nam hic citatur in sententiis; nec minus si Chrysostomo, Augustino & Cassiodoro credimus: nam hi citantur in decretis dist. octogessima octava. quorum sanctissimis scriptis, nescio quis frater, mercatoribus assentari volens, paleas præposuit. Augustinus etiam palam dicit in lib. de pænitentia, mercatores & milites pœnitentiam agere non posse.*

Adulatores fraterculi.) *Non taxat religiosos, sed adulatores cujusmodi sunt in hoc genere non parum multi qui concionantur ad quæstum & nullos sæpius aut honorificentius appellant, quam mercatores, quos vocant venerabili mercadanti, quod hi dent largius.*

[a] Alibi videas Pythagoricos quoſdam, quibus uſque adeo omnia videntur eſſe communia, ut quicquid uſquam incuſtoditum nacti fuerint, id, velut hæreditate obvenerit, æquo animo tollant. Sunt qui [b] votis tantum divites ſunt, & jucunda quædam ſibi fingunt ſomnia; idque ad felicitatem ſatis eſſe putant. Nonnulli [c] foris divites haberi gaudent, domi gnaviter eſuriunt. Hic feſtinat quicquid habet profundere, ille per fas nefaſque congerit. Hic candidatus ambit populares honores, ille ad focum ſemèt oblectat. Bona pars lites nunquam finiendas agitat, & hinc atque hinc certatim contendunt, ut [d] prorogatorem judicem, [e] & colluſorem ditent advocatum. Hic rebus novandis ſtudet, ille magnum quiddam molitur. [f] Eſt qui

Alibi videas Pythagoricos) *Iocatur in furaces, quia Pythagoras dixit, τῶν φίλων τὰ πάντα κοινὰ εἶναι. id eſt, amicorum omnia eſſe communia. Id dogma ſequi videntur, cũ ab omnibus, velut ab amicis, accipiunt.*

Votis tantum) *Vt apud Lucianum in Navi.*

Foris divites) *Ajunt Venetiis multos hujuſmodi patricios eſſe.*

Prorogatorem judicem) *Differt enim ſententiam, ne perdat quæſtum.*

Et colluſorem) *Colludit, qui nocet patri quam videtur tueri, & adjuvat quam videtur oppugnare, quod ureconſulti vocant prævaricationem.*

Eſt qui Hieroſolymam) *Non damnat eos, qui pio animo viſunt loca quædam. Tametſi non video quid in his ſit magnæ pietatis, niſi forte ſit aliquid, vidiſſe veſtigia Chriſti & ſanctorum, ut his accendamur ad æmulationem. Et maxima pars hominum hodie maximo ſuo malo peregrinatur. Plerique ſub hoc prætextu planos & errones agunt. Verum hæc non libenter audiunt, qui ex hominum vel ſuperſtitione vel malicia*

qui Hierosolymam, Romam, aut divum Jacobum adeat, ubi nihil est illi negocii, domi relictis cum uxore liberis. In summa, si mortalium innumerabiles tumultus è luna, [a] quemadmodum Menippus olim, despicias, putes, te muscarum aut culicum videre turbam, inter se rixantium, bellantium, insidiantium, rapientium, ludentium, lascivientium, nascentium, cadentium, morientium. Neque satis credi potest, quos motus, quas tragœdias ciat tantulum animalculum, tamque mox periturum. Nam aliquoties vel levis belli, seu pestilentiæ, procella multa simul millia rapit ac dissipat. Sed ipsa stultissima sim, plane neque digna quam multis cachinnis rideat Democritus, si pergam popularium stulticiarum & insaniarum formas enumerare. Ad eos accingar, qui sapientiæ speciem inter mortales tenent, & [b] aureum illum ramum, ut ajunt, aucupantur. Inter quos grammatici primas tenent; genus hominum profecto, quo nihil calamitosius, nihil afflictius, nihil æque diis invisum foret, nisi ego miserrimæ professionis incommoda dulci quodam insaniæ genere mitigarem. Neque

malicia lucrum sentiunt. Verumtamen vide quam circumspecte locutus est Erasmus, etiam sub aliena persona, nequis possit offendi. Non probat eos, qui domi relinquunt quos curare debebant, & visunt loca, in quibus nihil negocii habebant, tantum visunt, ut visant.

Quemadmodum Menippus) *Extat, ut dixi, dialogus Icaromenippus, in quo Menippus in luna sedens contemplatur mortalium vitam.*

Aureum illum ramum) *Alluſit ad ramum quem duce Sibyllæ reperit Æneas apud Virgilium. ad inferos descensurus. hunc interpretatur sapientiam.*

Neque enim [a] πέντε κατάρεις); id est, quinque tantum diris obnoxii sunt isti, quemadmodum indicat epigramma Græcum, verum sexcentis; ut

Πέντο κατάραις) *Id est, quinque execrationibus, sive devotionibus. Alluſit autem ad Græcum epigramma, quod jocatur, grammaticis esse* πέντε γένη, πέντε πτώσεις καὶ πέντε κατάρας, *id est, quinque genera, quinque casus, & quinque devotiones. ob quinque primos versus Homericos. Quorum primus incipit à* μῆνιν, *quod iram significat. Secundus* ἀλομένην, *quod perniciosam significat, habet & μυρία ἄλγεα, id est, innumeros dolores. Tertius animas mittit ad inferos. Quartus, canum laniationem. Quintus, avium, & iram Iovis. Atque his auspiciis ingrediuntur suum munus. Epigramma autem est libro primo Palladæ, titulo hujusmodi;* Ἀρχὴ γραμματικῆς πεντάσιχός ἐστι κατάρα. Πρῶτος μῆνιν ἔχει, δεύτερος ἀλομένην. Καὶ μετὰ ἀλομένην, Δαναῶν πάλιν ἄλγεα πολλά. Ὁ τρίτος ψυχὰς εἰς ἀΐδην κατάγει. Τῷ δὲ τετάρτῳ τὰ ἑλώρια, καὶ κύνες ἀργοί. πέμπτῳ, οἰωνοί, καὶ χόλος ἐστὶ Διός. πῶς οὖν γραμματικὸς δύναται μὴ πέντε κατάρας, Καὶ πέντε πτώσεις, μὴ μέγα πένθος ἔχειν; *id est: Principium grammatices quinque versibus contenta est devotio. Primus iram habet, secundus perniciosam. Et post perniciosam, Græcorum rursum dolores multos. Tertius animas in infernum deducit. Quarti autem, tractus, & canes veloces. Quinti, aves, & ira est Iovis. Quomodo igitur grammaticus potest post quinque execrationes & quinque casus non magnum luctum habere?*

ut qui ſemper famelici, ſordidique in ludis illis ſuis, (in ludis dixi? imo [a] in φροντιστηρίοις, vel piſtrinis potius, ac carnificinis,) inter puerorum greges, conſeneſcant laboribus, obſurdeſcant clamoribus, fœtore pædoreque contabeſcant. tamen meo beneficio fit, ut ſibi primi mortalium eſſe videantur. Adeo ſibi placent, dum pavidam turbam minaci vultu voceque territant, dum ferulis, virgis, loriſque conſcindunt miſeros, dumque modis omnibus ſuo arbitratu ſæviunt, [b] aſinum illum Cumanum imitantes. Interim ſordes illæ, meræ mundiciæ videntur, pædor [c] amaracinum olet, miſerrima illa ſervitus regnum eſſe putatur, adeo ut [d] tyrannidem

In φροντιστηρίοις) Ariſtophanes in Nubibus, Socratis ſcholam vocat φροντιστήριον, quaſi dicas, ſolitudinis locum, quod illic triſtes ac cogitabundi ſederent. Et Socrates dicere conſuevit, φρόντιζον, hoc eſt, cogita, hoc dicto adhortans ad diligentem rei conſiderationem.

Aſinum illum Cumanum) *Is repertum leonis exuvium adaptarat corpori ſuo, atque ita leo creditus timebatur, donec quidam ex aurium prominentium indicio ſenſit aſinum eſſe: deinde fuſte contuſus, ad ſtabulum reductus eſt.*

Amaracinum olet) *De compoſitione unguenti Amaracini, quod & ſampſucinum vocant, vide Dioſcoridem in primo. Hoc Plinius in 13. libro dicit optimum fuiſſe in Cypro & Mytilenis, quod ibi ſampſucus abundet.*

Tyrannidem ſuam) *Eſt omnino ſimulacrum tyranni, ſævus, ut fere ſunt omnes, ludimagiſter. adeo ut Dionyſius Syracuſis expulſus, Corinthi ludum aperuerit literarum, cum ſine tyrannide vivere non poſſet, tam malus præceptor, quam fuerat rex.*

dem ſuam noljnt cum [a] Phalaridis aut Dionyſii imperio commutare. Sed longe etiam feliciores ſunt, nova quadam doctrinæ perſuaſione. Siquidem cum plerique mera deliramenta pueris inculcent, tamen dii boni, quem non illi Palæmonem, quem non Donatum præ ſe contemnunt? idque neſcio quibus præſtigiis mire efficiunt, ut ſtultis materculis & idiotis patribus tales videantur, quales ipſi ſe faciunt. Jam adde & hoc voluptatis genus. quoties iſtorum aliquis [b] Anchiſæ matrem, aut voculam vulgo incognitam, in putri quapiam charta deprehenderit, puta [c] bubſequam, [d] bovinatorem aut [e] manticulatorem, aut ſi quis [f] vetuſti ſaxi fragmentum, mutilis notatum literis, alicubi effoderit: ô Jupiter, quæ tum exultatio, qui triumphi, quæ encomia! perinde quaſi vel [g] Africam devicerint,

Phalaridis) *Phalaris Agrigentinorum tyrannus, adeo crudelis, ut φαλαεισμὸν vocent durius impepium.*

Anchiſa matrem) *Ex Homero ſolent talia proponere, & facinus eſt ignorare quicquam hujuſmodi.*

Bubſequam) *Hoc utitur Apuleius, pro eo qui ſequitur boves.*

Bovinatorem) *Bovinari veteres dicebant tergiverſari in cauſa: & bovinator, tergiverſator. Cujus meminit Aul. Gellus.*

Manticulatorem) *Feſtus oſtendit, olim manticulari dictum fuiſſe, pro clanculum ſuffurari.*

Vetuſti ſaxi fragmentum) *Sunt qui adeo ſuperſtitioſe venerentur antiquitatem, ut rudera quoque tantum non adorent, & putria ſaxa. quanquam moderatam antiquitatis ſtudium in laude ponendum eſt.*

Africam devicerint) *Quod longo ancipitique bello, vix tandem, Scipionum maxime auſpiciis, devicta ſit à Romanis.*

rint, [a] vel Babylonas ceperint. Quid autem, cum frigidissimos & insulsissimos versiculos suos passim ostentant, neque desunt qui mirentur? jam plane [b] Maronis animam in suum pectus demigrasse credunt. At nihil omnium suavius, quam cum ipsi inter sese mutua talione laudant ac mirantur, vicissimq; scabunt. Quod si quis alius verbulo lapsus sit, idque forte fortuna hic oculatior deprehenderit, [c] Ἡράκλεις, quæ protinus tragœdiæ, quæ digladiationes, quæ convitia, quæ invectivæ? Male propitios habeam omnes grammaticos, si quid mentior. Novi quendam πολυτεχνότατον, Græcum, Latinum, mathematicum, philosophum, medicum, καὶ ταῦτα βασιλικὸν, jam sexagenarium, qui cæteris rebus omissis, annis plus viginti se torquet ac discruciat in grammatica: prorsus felicem se fore ratus, si tam diu liceat vivere, donec certo statuat, quomodo distinguendæ sint octo partes orationis, quod hactenus nemo Græcorum aut Latinorum ad plenum præstare valuit. Perinde quasi res sit bello quoque vindicanda, si quis conjunctionem faciat dictionem ad adverbiorum jus pertinentem. Et hac gratia, cum totidem sint grammaticæ quot grammatici: (imo plures; quandoquidem Aldus meus unus

Vel Babylonas) *Proverbiale est apud Lucianum. Hanc opulentissimam urbem cœpit Darius opera Zopyri.*

Maronis animam) *Alludit ad id, quod Ennius somniavit, animam Homeri in suum demigrâsse corpus. Quod notans Persius, ait: Nec in bicipiti somniasse Parnaso Memini, ut repente sic poeta prodirem.*

Ἡράκλεις) *Id est, O Hercules. Est autem vox abominantis, quod Hercules soleat in malis opitulari. Vnde & ἀποτρόπαιον vocant.*

unus plus quinquies grammaticam dedit:) hic nullam omnino quantumvis barbare aut moleſte ſcripram prætermittit, quam non evolvat, excutiatque; nemini non invidens, ſi quid quantumlibet inepte moliatur in hoc genere, miſere timens, ne quis forte gloriam hanc præripiat, & pereant tot annorum labores. Utrum inſaniam hanc vocare mavultis, an ſtulticiam? Nam mea quidem haud magni refert; modo fateamini, meo beneficio fieri, ut animal omnium alioqui longe miſerrimum, eo felicitatis evehatur, ut ſortem ſuam neque [a] cum Perſarum regibus cupiat permutare. Minus mihi debent poetæ, tametſi vel ex profeſſo meæ ſunt factionis, quippe liberum genus, [b] ut habet proverbium, quorum omne ſtudium non alio pertinet, quam ad demulcendas ſtultorum aures, idque meris nugamentis, ac ridiculis fabulis. Et tamen his freti, dictu mirum ut cum ſibi polliceantur immortalitatem, & diis parem vitam, tum aliis eandem promittant. Huic ordini præ cæteris familiares [c] φιλαυτία καὶ κολακία nec

Cum Perſarum regibus) *Quod de horum opulentia prodigioſa quædam ferebantur. Horatius: Perſarum vigui rege beatior. Et, Perſicos odi puer apparatus.*

Ut habet proverbium) Τῶν ποιητῶν καὶ ζωγράφων ἀνέυθυνον γένος, *id eſt, Poetarum & pictorum liberum genus. Meminit Lucianus. Item Horatius: Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

Φιλαυτία καὶ κολακία) φιλαυτία, *id eſt, amor ſui: quod fere ſibi ipſis placent.* κολακία, *id eſt, adulatio: quod palam aſſententur his quos laudant, & ex nebulonibus ſpurciſſimis deos nonnunquam faciant.*

nec ab ullo mortalium genere color neque ſimplicius, neque conſtantius. Porro rhetores, quanquam nonnihil illi quidem prævaricantur, [a] colluduntque cum philoſophis, tamen hos quoque noſtræ factionis eſſe, cum alia multa, tum illud in primis arguit, quod præter alias nugas, tam accurate, tam multa [b] de jocandi ratione conſcripſerunt. Atque adeo ſtultîcia ipſam inter facetiarum ſpecies numerat: quiſquis is fuit, qui [c] ad Herennium dicendi artem conſcripſit: quodque apud Quintilianum, hujus ordinis longe principem, caput eſt de riſu vel Iliade prolixius. Tantum denique ſtulticiæ tribuunt, ut ſæpenumero, quod nullis argumentis diluí poſſit, [d] riſu tamen eludatur. Niſi ſi quis hoc arbitretur ad ſtultitiam non pertinere, ridiculis dictis excitare cachinnos, idque arte. Hujus farinæ ſunt & iſti, qui libris edendis famam immortalem aucupantur. Hi cum omnes mihi plurimum debent, tum præcipue qui meras nugas chartis illinunt. Nam qui erudite ad paucorum doctorum judicium ſcribunt, quique

Colluduntque) *Admiſcent enim hi nonnihil philoſophiæ, velut Fab. & Cicero.*

De jocandi ratione) *In oratore Ciceronis plurima traduntur de facetia, apud Quintilianum de riſu.*

Ad Herrenium) *Stylus judicat, non eſſe Ciceronis, & alia quædam argumenta. Is igitur quiſquis fuit, in primo libro tradens, quibus modis ſuccurrendum eſt, quoties judex defeſſus eſt audiendo, plurimas jocandi ſpecies attingit, et inter cæteras ponit ſtulticiam.*

Riſu tamen eludatur) *Vt Cicero deprehenſus in mendacio, quod domum emiſſet, quam negaverat ſe empturum, eluſit ad hunc modum, ut diceret, eſſe ſapientis patrisfamilias, diſſimulare quod velit agere.*

que [a] nec Perſium nec Lælium judicem recuſant, mihi quidem miſerandi magis, quam beati videntur, ut qui ſeſe perpetuo torqueant. Addunt, mutant, adimunt, reponunt, repetunt, reducunt, oſtendunt, [b] nonum in annum premunt, nec unquam ſibi ſatisfaciunt, ac futile præmium, nempe laudem, eamque perpaucorum, tanti emunt, tot vigiliis, [c] ſomnique, rerum omnium dulciſſimi, tanta jactura, tot ſudoribus, tot crucibus. Adde nunc valetudinis diſpendium, formæ perniciem, lippitudinem, aut etiam cæcitatem, paupertatem, invidiam, voluptatum abſtinentiam, ſenectutem præproperam, mortem præmaturam, & ſi qua ſunt alia ejuſmodi. Tantis malis ſapiens ille redimendum exiſtimat, ut ab uno [d] aut altero lippo probetur. At meus ille ſcriptor, quanto delirat felicius, dum nulla lucubratione, verum utcunque viſum eſt animo, quicquid in calamum incidit, vel ſomnia ſua, ſtatim literis prodit, levi duntaxat chartarum jactura; non ignarus, futurum ut quo nugaciores nugas ſcripſerit, hoc à pluribus, id eſt, ſtultis & indoctis

Nec Perſium nec Lælium) *Hos judices velut doctos recuſat Lucilius, qui vocatur, ſe Tarentinis, et Conſentinis, velut craſſis hominibus, ſcribere. Lege præfationem Ciceronis, in primum librum de finibus bonorum et malorum.*

Nonum in annum premunt) *Alluſit ad illud Horatianum, Nonumque prematur in annum.*

Somni rerum omnium dulciſſimi) *Nam id epithetum poetæ ſomno frequentiſſime tribuunt. ut Theocritus in Europe:* ὕπνος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἰφίζων. *id eſt, Somnus quando dulcior melle palpebris inſedit.*

Aut altero lippo) *Quod lippiant fere impendio ſtudioſi. Ita Horatius: Namque pila crudis inimicum et ludere lippis.*

ctis omnibus probetur. Quid enim est negocii, treis illos doctos, si tamen ea legerint, contemnere? Aut quid valebit tam paucorum sapientum calculus in tam immensa reclamantium turba? Sed magis etiam sapiunt, qui aliena pro suis edunt, & [a] alieno magnoque partam labore gloriam verbis in se transmovent, hoc videlicet freti, quod arbitrentur, futurum, ut, etiam si maxime [b] coarguantur plagii, tamen aliquanti temporis usuram sint interim lucrifacturi. Videre est operæ precium, quam hi sibi placeant, cum vulgo laudantur, cum digito ostenduntur in turba, [c] Οὗτός ἐστιν ὁ δεινὸς ἀνήρ, cum apud bibliopolas prostant, cum in omnium paginarum frontibus leguntur tria nomina, [d] præsertim peregrina, [e] ac magicis illis similia. Quæ per

Alieno magnoque) *Retulit Terentii verba ex Eunucho.*

Coarguantur plagii) *Plagium est furti genus, quoties abducuntur aliena mancipia aut liberi? id qui faciunt, plagiarii vocantur.*

Οὗτός ἐστιν ὁ δεινὸς ἀνήρ) *id est, Hic est admirandus ille. Id olim joco tortum est in Demosthenem, gloriæ cupidissimum,* Οὗτός ἐστιν ὁ Δημοσθένης. *id est, Hic est ille Demosthenes. At Diogenes ostendit illum medio digito porrecto. Persius: At Pulchrum est digito monstrari, & dicier, Hic est. Et Horatius: Quod monstror digito prætereuntium. In eundem Demosthenem jactatum est carmen illud Hom.* Δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο. *id est, Difficilis vir facile & insontem accusaverit.*

Præsertim peregrina) *Fastidiunt enim Christiana nomina, sed iam Hercules, Hannibales vocari gaudent.*

Ac magicis illis) *Nam magi Hebraicis aut Arabicis, & quam possunt peregrinis utuntur verbis, quo magis miretur vulgus.*

per deum immortalem quid aliud ſunt quam nomina? Deinde quam à paucis cognoſcenda, ſi mundi vaſtitatem reſpicias? Tum à quanto paucioribus laudanda? ut ſunt etiam indoctorum [a] diverſa palata: Quid quod ea ipſa nomina non raro confinguntur, aut è priſcorum libris adoptantur? Cum alius ſeſe [b] Telemachum, alius Stelenum aut Laertem? hic Polycratem, ille Thraſymachum ſeſe nominari gaudet. Ut nihil jam referat, etiam ſi chamæleonti aut cucurbitæ, ſive, quemadmodum ſolent philoſophi loqui, [c] alpha aut beta librum inſcribas. Illud autem lepidiſſimum, cum mutuis epiſtolis, carminibus, encomiis ſeſe viciſſim laudant, ſtulti ſtultos, indoctos indocti, [d] Hic illius ſuffragio diſcedit Alcæus, ille hujus Callimachus, ille huic eſt M. Tullio ſuperior, hic illi Platone doctior. Nonnunquam etiam [e] antagoniſtam quærunt, cujus æmulatione

Diverſa palata) *Non omnibus idem placet cibus, ita non idem ſtylus omnibus. Horatius: Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur, Poſcentes vario multum diverſa palato.*

Telemachum) *Videat data opera caverit, ne alicujus famam læderet. Hic poterat nominare quoſdam, & locus requirebat: tamen de induſtria poſuit nomina, quæ nullus adhuc ſcriptorum hujus temporis uſurpavit.*

Alpha & beta) *Per literas demonſtrat ſæpenumero & Ariſtoteles, et maxime mathematici.*

Hic illius ſuffragio) *Alluſit ad illam Horatianam fabulam de duobus fratribus, altero rhetore, altero jureconſulto, qui mutuo ſe laudabant in cauſis agendis. Ita poeta poetæ adulatur. Diſcedo, inquit, Alcæus puncto illius: ille meo quis? Quis niſi Callimachus?*

Antagoniſtam) Ἀνταγωνιστὴς *eſt concertator, ſive*

latione famam augeant. Hinc [a] Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus, donec uterque dux re bene geſta victor diſcedit, uterque triumphum agit. Rident hæc ſapientes, ut veluti ſunt, ſtultiſſima. Quis enim negat? Sed interim meo beneficio ſuavem vitam agunt, ne cum Scipionibus quidem ſuos triumphos commutaturi. Quanquam docti quoque interim, dum hæc magna cum animi voluptate rident, & aliena fruuntur inſania, non paulum mihi debent & ipſi, quod inficiari non poſſunt, niſi ſint omnium ingratiſſimi. Inter eruditos jureconſulti ſibi vel primum vindicant locum, neque quiſquam alius æque ſibi placet; dum [b] Siſyphi ſaxum aſſidue volvunt, ac ſexcentas leges eodem ſpiritu contexunt, nihil refert quam ad rem pertinentes; dumque gloſſematis gloſſemata, opiniones opinionibus cumulantes, efficiunt ut ſtudium illud omnium difficillimum eſſe videatur. Quicquid enim laborioſum, idem protinus & præclarum exiſtimant. Adjungamus his dialecticos ac ſophiſtas, hominum genus quovis [c] ære Dodonæo

ſive adverſarius in certamine. Hic Eraſmus videtur divinaſſe, Leos, Latomos ac Stunicas ſuos exorituros.

Scinditur incertum) *Verſus eſt Virgilianus: Studium vocat hic favorem.*

Siſyphi ſaxum) *Apud inferos magno conatu Siſyphus ſaxum volvit in ſummum montem: id rurſum devolvitur in imam vallem: illeque rurſum in montem tollit. Ita quidam jureconſulti mittunt nos ad aliquam legem. Ad eam ubi ventum eſt, et nihil inventum, remittunt nos ad ſuperiorem legem, atque ita lectorem Siſyphio labore exercent.*

Ære Dodonæo loquacius) *In oraculo Iovis Dodonæi locus erat undique ſeptus æreis lebetibus, ita compoſitis,*

nxo loquacius, ut quorum unuſquiviſ cum vicenis delectis mulieribus garrulitate decertare poſſit: feliciores tamen futuri, ſi tantum linguaces eſſent, non etiam rixoſi; adeo ut [a] de lana caprina pertinaciſſime digladientur, & [b] nimium altercando plerunque veritatem amittant. Hos tamen ſua

G Phi-

ſitis, ut unus motus moveret proximum, & is item proximum, ſicque ſonitu per ſucceſſionem obambulante in orbem, multo tempore durabat tinnitus. Vnde proverbium dictum in querulos, & quamvis puſilla de re verba ſine fine facientes. Qui plura volet cognoſcere, legat Eraſmi Chiliadas, in quibus copioſius explicatur. Illud obiter annotandum, pueriliter lapſum Franciſcum Picum in commentariolis, quæ ſcripſit in hymnum ſuum de trinitatis laude. Admiratur enim, quoſdam interpretari de loquacibus, cum Suidas teſtetur dici ſolitum περὶ τῶν μικρολογούντων, *arbitrans,* μικρολογεῖν *idem eſſe quod pauca loqui, cum ſignificet, de re puſilla verba facere, quod eſt ſordidorum & parcorum, quos minima quoque movent. Stephanus in dictione* Δωδώνη *palam interpretatur de loquacibus. Sic enim ait:* Ἔστι δὲ καὶ παροιμία, Δωδωναῖον χαλκεῖον, ἐπὶ τῶν πολλὰ λαλούντων, ἢ ὅτι τὸ χαλκεῖον πληττόμενον ἦχει ὑπὸ μάστιγος, ἢ ὅτι τῇ βίᾳ τῶν ἀνέμων ἦχει, ἀφ' οὗ ἡ παροιμία. *id eſt, Eſt autem proverbium, Dodonæum æs, de multa loquentibus: vel quod æs, dum percutitur à flagello, ſonat: vel quod ventorum violentia ſonat, à quo proverbium.*

De lana caprina) *Proverbium pro re nihili. ſimile eſt, De aſini umbra. Horatius: Rixantur de lana ſæpe caprina.*

Nimium altercando) *Mimus eſt Publianus, quem citant inter cæteros Aul. Gellius & Macrobius: Nimium altercando veritas amittitur.*

Philautia beatos reddit, dum [a] tribus instructi syllogismis, incunctanter audent quavis de re cum quovis manum conserere. Cæterum pertinacia reddit invictos, [b] etiamsi Stentorem opponas. Sub hos prodeunt philosophi, barba pallioque verendi; qui se solos sapere prædicant; reliquos omnes mortales, [c] umbras volitare. Quam vero suaviter delirant, cum innumerabiles ædificant mundos, dum solem, dum lunam, stellas, orbes, tanquam pollice filove metiuntur, dum fulminum, ventorum, eclipsium ac cæterarum inexplicabilium rerum causas reddunt, nihil usquam hæsitantes? perinde quasi naturæ rerum architectrici fuerint à secretis! quasive è deorum consilio nobis advenerint! quos interim natura cum suis conjecturis magnifice ridet. Nam nihil

apud

Tribus instructi) *Tres posuit, pro paucis, ut illud apud Terentium. Tria hodie non commutabitis verba.*

Etiamsi Stentorem) *Hunc inducit Homerus clamosissimum, ut vox illius esset tanta, quanta quinquaginta hominum. Vnde Iliados σ.* Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ. Ὅς τόσον ἀὐσῆσας ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα. *id est: Stentori assimilis magnanimo æneam vocem habenti. Qui tantum clamavit, quantum alii quinquaginta. Vnde Iuven. Clamas ut Sentora vincere possis.*

Umbras volitare) *Homerus Odiss. ν scribit, solum inter manes Tiresiam sapere, cæteros umbras volitare. Vnde Circe ad Vlyssem de Tiresia loquens, sic ait:* τῷ τε φρένες ἔμπεδοί εἰσι, Τῷ καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια Οἶῳ πεπνύσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀἴσσουσι. *id est: Hujus mens firma est, huicque mortuo mentem dedit Persephone, ut solus sapere possit, aliæ autem umbræ volitant.*

apud illos esse comperti, vel illud satis magnum est argumentum, quod singulis de rebus inexplicabilis inter ipsos est digladiatio. Ii cum nihil omnino sciant, tamen omnia se scire profitentur. cumque se ipsos ignorent, neque fossam aliquoties aut saxum obvium videant, vel [a] quia lippiunt plerique, vel quia peregrinantur animi. tamen ideas, universalis, formas separatas, primas materias, [b] quidditates, formalitates, instantia videre se prædicant, res adeo tenues, ut neque Lynceus, opinor, possit perspicere. Tum vero præcipue prophanum vulgus aspernantur, quoties triquetris, & tetragonis, circulis, atque hujusmodi picturis mathematicis, [c] aliis super alias inductis, & [d] in labyrinthi speciem confusis, præterea literis velut in acie dispositis, ac subinde alio atque alio repetitis ordine, [e] tenebras offun-

Quia lippiunt) *Nimirum ob studium; Animus autem peregrinatur, dum intenti cogitationibus non sumus apud nos. Horatius: Dum peregre est animus sine corpore velox. Alluſit ad duas fabellas. Alteram de philosopho dum contemplatur astra in foveam lapso, quem anus irrisit, quod conaretur videre quod esset in cœlis, cum quod ante pedes esset, non videret. Alteram de astrologo, qui revertens à cœna, impegit in saxum, è pariete prominens, cujus meminit Ioannes Campanus.*

Quidditates, ecceitates) *Hæc sunt portenta verborum à recentioribus Theologis excogitata.*

Aliis super alias) *Hoc imitatus est ex Icaromenippo Luciani, sicut alia nonnulla.*

In labyrinthi) *Dicuntur & picturæ quædam labyrinthi, lineis ita circumductis, ut non sit exitus. Notat autem figuras astrologorum.*

Tenebras offundunt) *Hinc palam est, hoc loco reprehendi eos, qui figuris his non docendi causa utuntur*

offundunt imperitioribus. Neque desunt ex hoc genere, qui futura quoque prædicant consultis astris, ac miracula plus quam magica polliceantur: & inveniuntur homines fortunati. qui hæc quoque credant. Porro Theologos silentio transire fortasse præstiterit, [a] καὶ ταύτην καμαρίναν μὴ κινεῖν, [b] nec hanc anagyrim tangere, utpote genus hominum mire superciliosum atque irritabile, ne forte turma-

tur, sed in hoc ut res difficilior cognitu videatur, ut solent indocti ostentatores, aut certe molesti. Quorsum enim attinet rem per se facilem, hujusmodi difficultatibus involvere? Ita ut fecit Rabanus suis literariis figuris.

Καὶ ταύτην καμαρίναν οὐ κινεῖν.) *id est, Et hanc camarinam non movere. Camarina palus erat, pestilenti exhalatione noxia civitati proximæ. Consultus Apollo num eam deberent siccare, respondit,* μὴ κινεῖν τὴν καμαρίναν, *id est, ne movete Camarinam. Post obliti oraculi, desiccarunt. & cessavit quidem pestis, sed hostes per eam ingressi populati sunt civitatem. Ita Servius. Sed copiosius super hac re in Chiliadibus suis Erasmus. Neque vero quisquam iniquius interpretetur, hic notari Theologos vere Theologos, cum id habeam compertum, Erasmum omnibus quidem favere studiis, nulli tamen magis, quam Theologorum, in quo totus noctes diesque versatur. Notantur autem quidam crassi Theologi, & nihil minus quam Theologi, qui vel ineptas quæstiunculas consectantur, vel arroganter magis quam pie docti sunt, id quod paulo post ex ipsius verbis palam fiet.*

Nec hanc Anagyrim) *Quidam anagyrim herbam putant, quæ contrectata, pessime oleat. quam Dioscorides libro tertio sic describit:* ἀνάγυρις θάμνος ἐστὶ φύλλοις καὶ ῥάβδοις προσεμφερὴς ἄγνῳ, δενε

matim ſexcentis concluſionibus adorantur, & [a]ad palinodiam adigant, quod ſi recuſem, protinus hæreticam clamitent. Nam illico ſolent hoc terrere fulmine, ſi cui ſunt [b] parum propitii. Sane quanquam non alii ſunt qui minus libenter agnoſcant meam in ſe beneficentiam, tamen hi quoque non mediocribus [c] nominibus obſtricti ſunt: Dum felices ſua Philautia, perinde quaſi ipſi tertium incolant cœlum, ita reliquos mortaleis omneis, ut humi reptantes pecudes, è ſublimi deſpiciunt, ac prope commiſerantur: Dum tanto magiſtralium definitionum, concluſionum, [d] corol-

ἀνδρώδης, βαρύοσμος ἰσχνῶς, ἄνθος χραμβῃ ἐοικώς. *id eſt: Anagyris frutex eſt, foliis & virgis aſſimilis agno, arbori ſimilis. odore vehementer gravi: florem habet crambæ ſimilem.*

Ad palinodiam) Παλινῳδία, *recantatio, cum diverſa oratione corrigimus ſuperiorem.*

Parum propitii) *Propitios vocamus deos aut parentes, cum irati non ſunt, ſed bene volunt. Eſt autem mirum ſupercilium quorundam Theologorum, (nam de doctis & bonis non loquor,) qui nihil non definiunt, ut, qui ulli decretorum refragetur, aut ullum verbum commutet, ſtatim odioſum illud nomen hæretici occlament, cum palam ſit, nullum hominum genus longius abeſſe à vera Chriſti doctrina.*

Nominibus obſtricti) *Nomina vocat titulos debitorum, & quidem eleganter.*

Corollariorum) *Corollarium Latini vocant auctarium illud quod præter debitum additur, dictum à corona. Nam ſi in ludis placuiſſent actores, adjiciebantur eis, præter coronam promiſſam, parvæ corollæ, quæ corollaria vocabant. Sophiſtæ capiunt pro propoſitione, quam ex aliis concluſionibus inferunt.*

rollariorum, propositionum [a] explicitarum & implicitarum agmine septi sunt, tot exuberant [b] κρησφυγέτοις, ut nec [c] Vulcaniis vinculis sic possint irretiri,

Explicitarum & implicitarum) *His verbis utuntur illi, putidis profecto nimium ac molestis auribus ingenuis. Explicitas exigunt ab omnibus Christianis, implicitas ab eruditis.*

Κρησφυγέτοις) Κρησφύγετον *Græci vocant suffugium, à Creta & fuga composita dictione. de quo Suidas sic ait:* κρησφύγετα τὰ πρὸς τοὺς χειμῶνας στενὰ, καὶ ὀχυρώματα καὶ καταφυγή. οἱ δέ φασιν, ὅτι τοὺς Κρηταιεῖς οἱ νησιῶται, ἅμα Μίνῳ τῷ βασιλεῖ θαλαττοκρατοῦνται, ἔφυγον εἰς σπήλαιά τινα. ὅθεν ἐκεῖνα ὠνομάσθησαν κρησφύγετα *id est: Cresphygeta sunt quæ contra aeris frigiditatem angusta sunt, & munitiones, & refugium. Nonnulli autem dicunt, quod Cretensibus simul cum Minoe rege maris imperium tenentibus, cæteri insulares fugerunt in speluncas. unde illæ vocatæ sunt Cresphygeta.*

Vulcaniis vinculis) *Apud Homerum Vulcanus obsepsit thorum suum vinculis adamantinis & inevitabilibus, quibus Martem & Venerem irretivit. Quæ Homerus Odysseæ θ sic describit:* Βῆ ῥ' ἴμεν ἐς χαλκεῶνα, κακὰ φρεσὶ βυσσοδομεύων. Ἐν δ' ἔθετ' ἀκμοθέτῳ μέγαν ἄκμονα, κόπτε δὲ δεσμοὺς Ἀῤῥήκτους, ἀλύπους, ὄφρα ἔμπεδον αὖθι μένοιεν. Αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε δόλον κεχολωμένος Ἄρει, Βῆ ῥ' ἴμεν ἐς θάλαμον, ὅθι οἱ φίλα δέμνι' ἔκειτο, Ἀμφὶ δ' ἄρ' ἑρμῖσιν χέε δέσματα κύκλω ἀπαντῆ. Πολλὰ δὲ καὶ καθύπερθε μελαθρόφιν ἐξεκέχοντο, Ἠΰτ' ἀράχνια

irretiri, quin [a] elabantur distinctionibus; quibus nodos omneis adeo facile secant, ut non [b] Tenedia bipennis melius; tot [c] nuper excogitatis vocabulis, ac prodigiosis vocibus scatent: Præterea dum [c] arcana mysteria suo explicant arbitratu; qua ratione conditus ac digestus sit mundus; per quos carnalis

ῥάχνια λεπτὰ; τά κ' οὐκέτις οὐδὲ ἴδοιτο Οὐδὲ θεῶν μακάρων. *id est: Properiter ivit in officinam, mala profunda mente struens, suoque loco incudem imposuit, excuditque vincula infrangibilia, insolubilia, ut firma manerent: sed postquam fabricavit dolum, iratus Marti, ivit in thalamum, ubi chara cubilia posita erant, circumque fulcra fudit vincula, in circuitu ubique. Multa autem et superius per domum effusa fuerunt, tanquam aranex tenues, quas nullus videret, ne deorum quidem quisquam.*

Elabantur distinctionibus) *Apte dixit, elabantur. Elabitur enim, qui captus erat. Quid est enim quod distinctionibus solvi non possit?*

Tenedia bipennis) *Proverbium est in eos, qui statim ac facile rem expediunt.* Τενέδιος πέλεκυς. *à securi Tenedia, qua statim occidebatur, qui in causa victus fuisset. Sed de hoc copiosius in Chiliadibus.*

Nuper excogitatis vocabulis) *Quæ nec apud ethnicos reperiuntur, ut sorteitas, quidditas, qualificatio, ecceitas, annihilare, transubstantiare, atque id genus sexcenta.*

Arcana mysteria) *Ludit Moria. tamen, ut serio loquamur, veteres illi Theologi, qui vere divinas literas, imbiberant, et sapiebant eas, nec solum intelligebant de rebus hujusmodi et pauca tradiderunt, et non sine reverentia, denique coacti disputationibus hæreticorum Nunc miro supercilio definimus omnia, non solum quid sit, sed quibus modis id fieri possit, aut factum sit. Veteres tantum crediderunt peccatum defluxisse ab Adam-*

nalis labes illa peccati in posteritatem derivata sit; quibus modis, qua mensura, quantulo tempore in virginis utero sit absolutus Christus; quemadmodum [a] in synaxi accidentia subsistant sine domicilio. Sed hæc protrita. Illa demum magnis, & [b] illuminatis, ut vocant, Theologis digna putant; ad hæc, si quando incidunt, expergiscuntur: [c] Num quod instans in generatione divina: Num plures in Christo filiationes: Num possibilis propositio, [d] Pater deus odit filium: Num deus potuerit sup-

nunquam putide disputant de modo defluendi. quasi vero quicquam hoc pertineat ad Christianam pietatem; aut Christi mysteria, quæ magis adoranda, quam excutienda sophisticis argutiis.

In synaxi) *Quod Latine dicere possis, conjunctionem sive coagmentationem, aut conciliationem. ita vocat Dionysius, quam nos vocamus Eucharistiam. quod hoc mysterio repræsentatur humana conjunctio, & ut ita dicam, unitas Christianorum.*

Illuminatis Theologis) *Tribuunt illuminato Theologo nonnihil supra Romanum pontificem, aut etiam concilium.*

Num quod instans) *Quot locis divus Paulus deterret ab hujusmodi quæstionibus, quæ nihil conferant ad pietatem, sed magis gignant lites & rixas, sapiant fastum, et scholam, ut ait Augustinus, diaboli! Quo magis admiror, esse Theologos, quibus nihil aliud placeat.*

Pater deus odit filium) *Dic mihi, candide lector, etiam si vera sint quæ super his disputantur, quæso cujus pias aures non ab istis abhorreant? Et tamen his absurdiora plurima disputantur à quibusdam non solum in scholis publicis, verumetiam apud plebem in concionibus. Deploranda magis sunt hæc, quam ridenda.*

[a] suppositare mulierem, num diabolum, num asinum, num cucurbitam, num silicem: Tum quemadmodum cucurbita fuerit concionatura, editura miracula, figenda cruci: Et quid consecrasset Petrus, si consecrasset eo tempore, quo corpus Christi pendebat in cruce: Et num eodem tempore Christus homo dici potuerit: Et num post resurrectionem edere aut bibere fas sit futurum, jam nunc famem sitimq; præcaventes. Sunt innumerabiles [b] λεπτολεσχίαι, his quoq; multo subtiliores de notionibus, relationibus, [c] instantibus, de [d] formalitatibus,

Suppositare) *Et illud unum est è verbis illorum facticiis, pro eo quod est, suppositum sive personam assumere, quam Græci nonnunquam vocant ὑπόστασιν.*

Λεπτολεσχίαι) *Id est, subtilia nugamenta. vox est composita à* λεπτὸς, *quod tenuis est, et* λέσχη, *quod nugas significat. Aristophanes philosophos de minutulis quibusdam rebus disputantes,* λεπτολεσχεῖς *&* λεπτολόγους *vocavit* ἐν νεφέλαις. *quo nomine ut digni sint, sedulo nostri philosophi et theologi operam navant. Philostratus Apollonium, tanquam verum philosophum, dicit,* οὐδὲ λεπτολογία δεδωκέναι τοὺς λόγους, *id est, neque de tenuibus illis nugis habuisse orationes.*

Instantibus) *De illis instantibus loquitur, quæ Scotistæ ponunt in generatione divina. Porro id quod in lineis punctum, in motu momentum est; id in tempore instans dicunt esse. Et Scotus dist. 2. lib. 2. ponit instans unam illarum quatuor mensurarum, qua dicit mensurari mutationes instantaneas.*

Formalitatibus & quidditatibus) *Formalitates eas vocant, quæ recipiuntur in subjecto, quidditates autem quæ recipiunt.*

bus, de quidditatibus, [a] ecceitatibus, quas nemo possit oculis assequi, nisi tam [b] Lynceus, ut ea quoque per altissimas tenebras videat [c] quæ nusquam sunt. Adde nunc his [d] γνώμας illas, adeo παραδόξους, ut illa Stoicorum oracula, quæ paradoxa vocant, crassissima præ his videantur, & circumforanea. Velut, [e] levius esse crimen, homines mille

Ecceitatibus) *Somniant etiam* λεπτολόγοι *nostri quasdam differentias individuales et individuationes. quarum Thomas, secundi scripti dist. 3. principium esse vult materiam et quantitatem. cui Scotus super eadem dist. refragatur. Atque ita diversa somniant somnia. Has differentias quidam ecceitates; quidam sorteitates vocant, portenta inaudita monstrosis et inauditis vocibus appellantes.*

Lynceus) *Hic unus Argonautarum fuit, tam acuto præditus visu, ut ipsos visu penetraret parietes. quo nostri sophistæ longe sunt oculatiores, quippe qui ea vident, quæ sunt nusquam.*

Quæ nusquam sunt) *Nam neminem opinor tam hardum esse, qui harum nugarum aliquid esse putet: et tamen mirum est, quam nihil aliud quam de secundis intentionibus, naturis, communibus, atque id genus aliis sexcentis, his nugacioribus nugis disputent. Cumque hæc monstra somniant, subtiles sibi videntur, gravique supercilio eos, qui his contemptis, ad ipsas res penetrant, præ se contemnunt.*

Γνώμας) *Id est, sententias, quas* παραδόξους *vocat, id est, inopinatas.*

Devius esse crimen) *Sic enim dicunt, propterea quod alterum immediate est contra deum, alterum immediate contra proximum. Argutior profecto ratio quam Christus, crassus videlicet Theologus, potuerit intelligere, cum bovem proximi in foveam prolapsum, in sabbatho extrahi voluerit.*

mille jugulare quam ſemel in die dominico calceum pauperi conſuere. [a] Et, potius eſſe committendum, ut univerſus orbis pereat una cum victu & veſtitu, quod ajunt, ſuo, quam unicum quantumlibet leve mendaciolum dicere. Jam has ſubtiliſſimas ſubtilitates ſubtiliores etiam reddunt tot ſcholaſticorum viæ, ut citius è [b] Labyrinthis temet explices, quam ex involucris [c] Realium, [d] Nominalium, Thomiſtarum, Albertiſtarum, Occaniſtarum, Scotiſtarum: & nondum omneis dixi ſectas, ſed præcipuas duntaxat. In quibus omnibus tantum eſt eruditionis, tantum difficultatis, ut exiſtimem, ipſis apoſtolis [e] alio ſpiritu opus fore, ſi cogantur hiſce de rebus cum hoc novo Theologorum genere conſerere manus. Paulus fidem præſtare po-

Et, potius eſſe committendum) *De hac re vide in decretis canonicis diſt. 22. quæſt. 2. ne quis arbitretur. & in ſententiis lib. 3. diſt. 38: ubi ex Auguſtini ſententia dicitur, quod perfectus, pro vita alicujus, non debet mentiri, ſed verum occultare. ac ſi longe aliud eſſet verum occultare, & mentiri.*

Labyrinthis) *Labyrinthi, loca erant viarum ambagibus adeo inflexa, ut qui intraſſet, exitum in eis invenire non poſſet qualia quatuor fuiſſe memorantur.*

Relium) *Hi ponunt, univerſalia eſſe res diſtinctas à ſingularibus, quantitatem à re quanta, reſpectus à fundamentis & terminis. Vnde ad ſaltum pulicis totum mundum dicunt moveri.*

Nominalium) *Hi dicunt univerſalia nihil aliud eſſe quam terminos,*

Alio ſpiritu) *Sophiſtico videlicet, & mundano, quem ſe habere negans, ſic ait,* ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ. *id eſt, nos enim non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum dei.*

potuit. at idem, cum ait: Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium: parum [a] magistraliter definivit. Idem ut charitatem optime præstitit, ita parum dialectice vel dividit vel definit, in priore ad Corinthios epistola, cap. decimotertio. Ac pie quidem illi consecrabant synaxim. & tamen rogati [b] de termino à quo & termino ad quem, de transsubstantiatione, de modo quo corpus idem sit in diversis locis: de differentia qua corpus Christi est in cœlo, qua fuit in cruce, qua in sacramento synaxeos: quo puncto fiat transsubstantiatio, cum oratio, per quam ea fit, ut quantitas discreta, sit in fluxu: non pari, sicut opinor, respondissent acumine, quo [c] Scotidæ differunt hæc, ac definiunt. Noverant illi Jesu matrem, sed quis eorum tam philosophice demonstravit, quomodo fuerit ab Adæ macula præservata, quam nostri Theologi? Petrus accepit claves, & accepit ab eo, qui non committit indigno, & tamen an intellexerit, nescio, certe nusquam attigit subtilitatem, quomodo [d] scientiæ clavem habeat is quo-

Magistraliter definivit) *Alluſit ad gloſſema illud, quod eſt in principio Decretalium, aſſerens, deffinitionẽ fidei, à Paulo datam, non eſſe bonam, tum quod conveniat ſpei, quæ etiam eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, tum quod tantum loquatur de futuris. Deffinit autem magiſtraliter fidem ſic, Fides eſt voluntaria certitudo abſentium infra ſcientiam & ſupra opinionem conſtituta.*

De termino à quo) *Hujuſmodi nunc noſtri Theologi tractant ſuper decimam quarti diſtinctionem, quæ plurimum habent contentionis, & pietatis nihil.*

Scotidæ) *Sic vocavit Scotiſtas, alludens ad Iuvenalem, qui Stoicos vocavit Stoicidas. Fugerunt trepidi vera ac manifeſta fatentem Stoicidæ.*

Scientia clavem habeat) *Hoc conſtanter affirmant ſuper*

quoque, qui ſcientiam non habeat. Baptizabant illi paſſim, & tamen nuſquam docuerunt, quæ ſit [a] cauſa formalis, materialis, efficiens, & finalis baptiſmi: nec [b] characteris delebilis & indelebilis apud hos ulla mentio. Adorabant quidem illi, ſed in

ſuper diſtinct. 18. quarti. Nam clavem ſcientiæ dicunt non aliquam actualem aut habitualem ſcientiam, ut verbis eorum loquar, aut ullam diſcretionem, ſed ſolam autoritatem & poteſtatem diſcernendi, quam Scotus dicit poſſe eſſe in eo, qui omni ſcientia & diſcretione vacat; etſi is, qui collegit ſententias, clavem ſcientiæ vocat ſcientiam diſcernendi.

Cauſa formalis, materialis, efficiens, & finalis baptiſmi.) *Nam in ſingulis ſacramentis cauſas quatuor inquirunt.*

Characteris delebilis) *Vocant characterem ſignum quoddam ſpirituale, impreſſum à deo ſuſcipienti ſacramentum non iterabile, manens indelebiliter. Porrò ſacramenta non iterabilia dicunt eſſe tria, Baptiſmum confirmationem, & ordinem. De his characteribus, neque ſacræ literæ, neque veteres Theologi meminerunt. Cæterum quemadmodum Aſtronomi, non potentes motuum cæleſtium varietatis cauſam invenire, eccentricos & epicyclos in orbibus finxerunt, ſic neoterici Theologi, ut cauſam aliquam darent, quare unum ſacramentum non niſi ſemel, aliud frequenter liceat ſumere, hos characteres commenti ſunt, quibus ſemel receptis (nam ut Ariſtotelis ait,* ἐνὸς ἀτόπου δοθέντος τἄλλα συμβαίνει.) *plurimæ de his dubitationes motæ ſunt. quales ſunt hæ, Vtrum character ſit forma abſoluta, aut relativum: utrum ſit in potentia animæ, an in eſſentia. an baptizatis flamine & igni, etiam inſit character; an Mariæ & Chriſto etiam inſit character.*

in ſpiritu, nihil aliud ſequentes, quam illlud Euangelicum, Spiritus eſt deus, & eos qui adorant, eum in ſpiritu & veritate oportet adorare. verum haud apparet eis tum fuiſſe revelatum, [a] una eademque adoratione adorandam imagunculam [b] carbone delineatam in pariete, & Chriſtum ipſum ſi modo duobus ſit [c] porrectis digitis, intonſa coma, & in umbone, qui adhæret occipitio, [d] tres habeat notas. Quis enim hæc percipiat, niſi triginta ſex annos totos in phyſicis & ultra mundanis Ariſtotelis & Stoicis contriverit? Identidem inculcant apoſtoli gratiam. at iidem nuſquam diſtinguunt, [e] quid interſit inter gratiam gratis datam, & gratiam gratificantem. Hortantur ad bona opera nec diſcernunt opus operans & opus operatum. Paſſim

Vna eademque adoratione) *Hæc enim eſt una concluſio Theologorum, ſcribentium ſuper diſt. 10. libri tertii, imagines rerum adorandarum, eadem ſpecie adorationis adorandas eſſe, qua ipſæ res ſignificatæ: ſic quod ſi res adorentur latria, latria & imagines adorabuntur; ſi dulia, dulia; ſi hyperdulia, hyperdulia.*

Carbone) *Alluſit jocoſe ad illas imagunculas, quibus videmus nebulones iſtos ocioſos paſſim parietes per ocium inficere, quas dicunt non minus adorandas, quam ipſum Chriſtum, cum tamen tales à nemine, niſi non admodum ſani capitis ſic adorari videmus.*

Porrectis digitis) *Graphice expreſsit habitum & geſtum, quo Chriſtum pingunt. nam digitis porrectis pingitur ut videatur dare benedictionem, aut cruce ſe munire.*

Tres habeat notas) *Nam in umbone. hoc eſt, hemicyclo qui caput circumdat, tres radiorum ordines delineant unum in vertice, & reliquos duos à temporibus.*

Quid interſit inter gratiam) *Theologi ſuper viceſima ſexta:*

fim inculcant charitatem. nec ſecernunt infuſam ab acquiſita: nec explicant, accidens ne ſit, an ſubſtantia, creata res an increata. Deteſtantur peccata, at emoriar, ſi potuerunt ſcientifice definire, quid ſit illud quod peccatum vocamus, niſi forte Scotiſtarum ſpiritu fuerunt edocti. Nec enim adduci poſſum, ut credam, Paulum è cujus unius eruditione ſlicet omneis æſtimare, toties damnaturum fuiſſe quæſtiones, diſcrepationes, genealogias, & ut ipſe vocat, [a] λογομαχίας, ſi eas percalluiſſet argutias: præſertim cum omnes illius temporis contentiones pugnæq; iuſticanæ fuerint, & craſſæ, ſi cum magiſtrorum noſtrorum pluſquam [b] Chryſippeis

ma ſexta diſtinctione libri ſecundi, varias ponunt gratiæ diviſiones. Secant enim eam in increatam, & creatam; & in large acceptam, & ſtricte; item in largiſsime acceptam, & ſtricliſsime; & in gratum facientem, & gratis datam. Item in diſponentem, prævenientem, & cooperantem.

Λογομαχίας) *Id eſt, pugnas verborum, quas interpres Græcus* ταῖς λογισμῶν, *id eſt, ſeditiones opinionum interpretatus eſt. Sic enim ait Paulus in epiſtola ad Timoth.* ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας, ἐξ ὧν γίνεται φθόνος, ἔρις βλασφημίαι, ὑπόνοιαι πονηραί. *id eſt Sed ægrotans circa quæſtiones et pugnas verborum, ex quibus ſit invidia, rixa maledicentia, ſuſpiciones malæ*

Chryſippeis) *Chryſippus diſcipulus fuit Cleanthis, poſt quem præfuit ſcholæ Stoicorum. hic ſolitus fuit argutiſsima quædam ſophiſmata proponere. Quale fuit hoc:* ὁ λέγων τοῖς ἀμυήτοις τὰ μυστήρια, ἀσεβεῖ. ὁδέ γε ἱεροφάντης τοῖς ἀμυήτοις λέγει. ὁ ἱεροφάντης ἄρα ἀσεβεῖ. *id eſt; Qui dicit prophanis myſteria, impie agit. ſacerdos*

ſippeis ſubtilitatibus conferantur. Quanquã homines modeſtiſſimi, ſi quid forte ſcriptum ſit ab Apoſtolis indolatius parumque magiſtraliter, non damnant quidem, ſed commode interpretantur: hoc videlicet honoris, partim antiquitati, partim apoſtolico nomini deferentes. Et herc le parum æquum erat, res tantas ab illis requirere, de quibus ex præceptore ſuo ne verbum quidem unquam audiſſent. Idem ſi eveniat in Chryſtomo, Baſilio, Hieronymo, tum ſat habent adſcribere, Non tenetur. Et illi quidem confutarunt ethnicos philoſophos ac Judæos, ſuapte natura pertinaciſſimos; ſed vita magis ac miraculis quam ſyllogiſmis; tum eos, quorum nemo fuerit idoneus vel unicum Scoti Quodlibetum ingenio conſequi. [a] nunc quis ethnicus, quis hæreticus non continuo cedat tot tenuiſsimis ſubtilitatibus, niſi tam craſſus ut non aſſequatur, aut tam impudens ut exibilet, aut iiſdem inſtructus laqueis ut jam par ſit pugnæ? perinde quaſi magum cum mago committas, aut ſi [b] gladio fortunato pugnet aliquis cum eo cui gladius ſit fortunatus:

ſacerdos prophanis dicit. ſacerdos igitur impie agit. item illud: Ἔστι τις κεφαλή. ὀυκοῦν δὲ οὐκ ἔχεις. Ἔστι δέ γε τις κεφαλὴ ἣν οὐκ ἔχεις. οὐκ ἄρα ἔχεις κεφαλήν. *id eſt, Eſt aliquod caput. illud autem non habes. eſt item aliquod caput quod non habes. non igitur habes caput.*

Nunc quis ethnicus) *Inductione ratiocinatur, ſophiſticam hanc Theologiam nec ad confutationem hæreticorum utilem eſſe. Nam hæretici, aut eorum argutias non intelligunt, aut intellectas ſpernunt, aut ipſis Theologis melius intelligunt.*

Gladio fortunato) *Talem gladium nonnulli principes noſtri temporis habere exiſtimati ledi cum ille adeſt à nemine poſſunt, niſi ſimilem habente.*

Tela

tus: tum enim nihil aliud quam [a] tela Penelopes retexeretur. Ac meo quidem judicio saperent Christiani, si pro pinguibus istis militum cohortibus per quos jam olim ancipiti Marte belligerantur, clamosissimos Scotistas, & pertinacissimos Occanistas, & invictos Albertistas, una cum tota sophistarum manu mitterent in Turcas & Saracenos; spectarent opinor, & conflictum omnium lepidissimum, & victoriam non ante visam. [b] Quis enim usque adeo frigidus, quem istorum non inflammment acumina? Quis tam stupidus, ut tales non excitent aculei? Quis tam oculatus, ut hæc illi non maximas offundant tenebras? Verũ hæc omnia videor vobis propemodum joco dicere. Nec mirum sane, cum sint & inter ipsos Theologos melioribus instituti literis, qui ad has frivolas, ut putant, Theologorum argutias nauseent. Sunt qui velut sacrilegii genus execrentur, summamq; ducant impietatem, de rebus tam arcanis, & adorandis magis, quam explicandis, tam

Tela Penelopes) πενελόπης ἱστὸν ἀναλύειν. *id est, Penelopes telam resolvere, aut retexere, proverbio dictum est, pro eo quod est, operam inanem sumere, rursumque destruere, quod effeceris. Nam Hom. Odyss. β. fingit, Penelopen telam, quam interdiu texuit, noctu retexuisse: atque eo pacto procos illusisse, quibus simul atque tela perfecta fuisset, pro miseratse nupturã. Vnde sic ait:* Ἔνθα καὶ ἠματίη μὲν ὑφαίνεσκεν μέγαν ἱστὸν, Νύκτας δ' ἀλύεσκεν, ἐπὴν δαΐδας παραθεῖτο. *id est, Et interdiu quidem texebat magnam telam noctu autem retexebat, postquam faces apposuit.*

Quis enim usque) *Totus hic locus* εἰρωνικῶς *accipiendus.*

[a] tam illoto ore loqui, tam prophanis Ethnicorum argutiis disputare tam arroganter definire, ac divinæ Theologiæ majestatem tam frigidis imo sordidis verbis simul & sententiis conspurcare. At interim ipsi felicissime sibi placent, imo plaudunt, adeo ut his suavissimis næniis nocte dieque occupatis ne tantulum quidem ocii supersit, [b] ut Euangelium aut Paulinas epistolas vel semel liceat evolvere. Atque interim dum hæc nugantur in scholis, existimant sese universam ecclesiam, alioqui ruituram non aliter syllogismorum fulcire tibicinibus, quam Atlas cœlum humeris sustinet apud poetas. Iam illud quantæ felicitatis esse putatis? dum arcanas literas perinde quasi cereæ sint, pro libidine [c] formant ac

Tam illoto ore) *Id est, irreverenter. Simile est illis* ἀνίπτοις ποσὶν καὶ ἀνίπτοις χερσίν. *id est, illotis pedibus, et illotis manibus.*

Ut Euangelium aut Paulinas epistolas) *Ex hoc loco palam est, non reprehendi Theologos doctos & pios, sed eos qui totam vitam in hujusmodi consumunt quæstiunculis. cum in primis oporteat Theologum ipsos imbibisse fontes, & in lege Domini nocles ac dies meditatum esse, ut assiduitas vertatur in naturam, ut non solum intelligat humano more, sed etiam afficiatur & rapiatur. Nemo vere intelligit Christum, nisi tractus à Christo. Tantum abest ut ab his comprehendatur, qui impii præter sophisticas næniας, nihil omnino vel sciunt vel legunt. Novi per multos Theologos, doctores, ut vocant, qui ante quinquagesimum annum nondum evolverant omnes epistolas Pauli, ut per familiaritatem mihi fatebantur. Isti quoties ad interpretandum sacras literas accedunt, Dii boni, quam sordent omnia, quam nihil adferunt Christo dignum.*

Formant ac reformant) *Notat eos, qui non accommodant suas sententias ad mentem scripturarum, sed scripturas*

mant dum conclusiones suas, quibus jam aliquot scholastici subscripserunt, plusquam Solonis leges videri postulant, & vel pontificiis decretis anteponendas: dumque veluti [a] censores orbis ad [a] palinodiam trahunt, si quid usquam cum explicitis illorũ conclusionibus non adamussim quadrarit: ac non secus atque ex oraculo pronunciant, Hæc propositio [c] scandalosa est, Hæ parum reverentialis,

scripturas ad suam mentem trahunt, quod vocant fundare. veluti cum duos Petri gladios trahunt ad duplicem potestatem: cum is locus prorsus eo spectet, ne pugnemus Christiani.

Censores orbis) *Censores, Romæ morum magistri & judices erant. hi cives sic notabant, ut qui senator esset è senatu ejiceretur; qui eques Romanus, equum publicum perderet: qui plebeius, in centum tabulas referretur, & ærarius fieret.*

Palinodiam) *Græci proverbio dicunt,* Παλινῳδεῖν, *pro eo quod est, prius damnata probare, & priorem sententiam revocare. De hac palinodia Socrates apud Platonem in Phædro sic loquitur:* Ἔστι τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρκαῖος, ὃν Ὅμηρος μετὰ οὐκ ἤσθετο, Στησίχορος δέ, τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς, διὰ τὴν τὲς Ἑλένης κατηγορίαν. οὐκ γνόησεν ὥσπερ Ὅμηρος· καὶ ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινῳδίαν, παραχρῆμα ἀνέβλεψε. *id est: Est his qui peccant circa fabularum narrationem, expiatio antiqua, quam Homerus quidem non cognovit, Stesichorus autem: oculis enim privatus propter in Helenam maledicta, non ignoravit quemadmodum Homerus; qui simul atque omnem palinodiam fecisset è vestigio rursum vidit.*

Scandalosa est,) *Data opera barbariem eorum imitatus*

tialis, [a] Hæc hæresim olet, [b] Hæc male tinnit. ut jam nec Baptismus, nec Euangelium, nec Paulus aut Petrus, nec sanctus Hyeronymus aut Augustinus, imo nec ipse Thomas [c] Ἀριστοτελικώτατος, Christianum efficiat nisi [d] baccalaureorũ calculus accesserit: tanta est in judicando subtilitas. Quis enim sensurus erat, eum Christianum non esse qui diceret, has duas orationes, [e] Matula putes, &, Matula putet,

tus est. σκάνδαλον *enim Græci* διαστροφὴν, *id est, perversionem vocant. Est autem dictum scandalum quasi* σκάζον, τυτὲστι χωλαῖνον, περὶ τὴν ἀλήθειαν *id est, claudicans circa veritatem. A scandalo autem inepte dicitur scandalosus.*

Hæc hæresim olet) *Sic enim ipsi dicunt, Hæc propositio sapit hæresim. data autem opera mutavit sapit in olet. Indicat autem hoc loco revocationes & condemnationes frigidas. quæ habentur in articulis illis erroneis, ut ipsi dicunt, Parisiis & in Anglia condemnatis.*

Hæc male tinnit) *Sic enim frequenter dicunt, Hæc propositio male sonat: quod jocose vertit in tinnit.*

Ἀριστοτελικώτατος) *id est, Aristoteliciſsimus. quod hic fere primus fuit, qui Aristotelica miscuit sacris.*

Baccalaureorum calculis) *Nam in articulis illis baccalaureorum authoritate & judicio condemnantur propositiones aliquot Thomæ quas, nescio quis fraterculus cum tanquam veras docuisset, coactus fuit à baccalaureis revocare.*

Matula putes, & Matula putet) *Sic vertit quod isti dicunt, Socrates curris, & Socrates currit. Quas orationes, nescio quis frater, dixerat esse æque perfectas & congruas, ut ipsi dicunt: quo circa baccalaurei Oxonienses eas damnaverunt.*

putet, item, Ollæ fervere, & Ollam fervere, pariter esse congruas, nisi sapientes illi docuissent? Quis tantis errorum tenebris liberasset ecclesiam quos ne lecturus quidem unquam quisquam fuerat: nisi [a] magnis sigillis isti prodidissent? Verum an non felicissimi dum hæc agunt? præterea [b] dum inferorum res omneis sic examussum depingunt, tanquam in ea Republ. complures annos sint versati? præterea dum pro arbitrio [c] novos orbes fabricantur, addito denique latissimo illo pulcherrimoque, ne scilicet deesset ubi felices animæ commode vel spatiari, vel convivium agitare, vel etiam pila ludere possent? His atque id genus bis mille nugis, horum capita adeo distenta differtaque sunt ut arbitrer, nec Jovis cerebrum æque gravidum

Magnis sigillis) *Nam hic mos est istis, ut post propositiones damnatas, in testimonium applicent magnum sigillum Universitatis.*

Dum inferorum res) *Nemo putet hic rideri inferos, sed fabulas, quas quidam veluti certam rem narrant apud populum.*

Novos orbes) *Veteres sphæras singulas septem tribuerunt planetis. His imposuerunt octavum orbem, stellarum fixarum. Deinde videntes octavum duobus motibus moveri, discentesque ab Aristotele, uniuscujusque orbis non esse nisi unum motum naturalem, coacti sunt dicere, alterum motum octavi orbis esse violentum. Motu autem violento non potest moveri superior orbis ab inferiori. Quocirca coacti sunt ponere nonum orbem, quem primum mobile vocant. His deinde Theologi addiderunt decimum orbem, quem empyreum dicunt perinde quasi sancti felices esse non possunt nisi suum habeant cœlum. At Basilides hæreticus cœlos fabricatus est trecentos sexagintaquinque, teste Augustino.*

gravidum fuiſſe, cum ille Palladem parturiens, [a] Vulcani ſecurim imploraret. Quare nolite mirari, ſi videtis caput illorum [b] tot faſciis tam diligenter obvinctum in publicis diſputationibus alioquin enim plane diſſilirent. Illud [c] ipſa quoque nonnunquam ridere ſoleo: Cum ita demum maxime ſibi videntur Theologi, ſi quam maxime barbare ſpurceque loquantur; cumque adeo balbutiunt, ut à nemine niſi balbo poſſint intelligi; acumen appellant, quod vulgus non aſſequatur. Negant enim, è dignitate ſacrarum literarum eſſe, ſi grammaticorum legibus parere cogantur. Mira vero majeſtas Theologorum, ſi ſolis illis fas eſt mendoſe loqui: quanquam hoc ipſum habent cum multis cerdonibus commune. Poſtremo jam diis proximos ſeſe ducunt, quoties quaſi religioſe Magiſtri noſtri ſalutantur. In quo quidem nomine tale quiddam ſubeſſe putant, quale eſt apud Judæos τιτρα-

Vulcani ſecurim) *Eſt Luciani dialogus de Iove capito gravido, cujus caput, ipſo Iove jubente, Vulcanus ſecuri medium ſecuit. Atque ita è Iovis cerebro Pallas nata eſt.*

Tot faſciis) *Id potiſſimum videmus in doctoribus apud Pariſios, quorum capita tot faſciis ſunt obvoluta, ut vix poſſint evolvere ſeſe. Diſſilit autem, quod ruptum in varias partes minutim ſolvitur.*

Ipſa quoque nonnunquam) *Vehementer ſtultum ſit oportet, quod ipſi quoque ſtulticiæ ridiculum ac ſtultum eſſe videatur. Hoc quod ait, nimis verum eſt in multis, qui nihil exiſtimant eruditum, nihil acutum, quod non ſit barbaris ac ſpurcis dictum verbis. Quicquid elegans, id ut grammaticum aſpernantur. Simplicitas ſermonis probe decet Theologum, ſpurcities minime, quæ veritatem non nudam, ut ipſi jactant, oſtendit, ſed oblitam, & ſordidatam.*

[a] τετραγράμματον. Itaque nefas ajunt esse, MAGISTER NOSTER secus quam majusculis scribere literis. Quod si quis præposterе. Noster magister, dixerit, is semel omnem Theologici nominis perverterit majestatem. Ad horum felicitatem proxime accedunt ii, qui se vulgo religiosos ac monachos appellant, [a] utroque falsissimo cognomine, cum & bona pars istorum longissime absit à religione,

Τετραγράμματον) *Id est quatuor literarum, quod solum ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile est inter nomina illa decem, quibus Hebræi deum vocant. Quæ ut etiam Hieronymus in epistola ad Marcellam testatur, ista sunt. Primum* אש, *quod Aquila* ἰσχυρον, *id est, fortem interpretatur. Secundum* אלה; *tertium* אלהים. *quæ deum significant. Quartum,* צבאו, *quod* Lxx. *virtutum, Aquila exercituum interpretatur. Quintum* עליון, *id est, excelsum. Sextum.* אשר אהיה *id est, qui ero. Septimum,* אדני, *id est, dominum. Octavum,* יה, *id est, laudate dominum tantum ponitur. Nonum, de quo hic loquitur,* יהוה, *quod ineffabile est. Nam quatuor illæ literæ, Iod, He, Vau, He, quibus signatur, conjunctæ nihil sonant. Quo mysterio innuunt divinam essentiam modis omnibus ineffabilem. At nos illam totam depingimus ineptis, ut ego censeo, commentis. Nam ut scriptum est,* ישת חשך מתרו, *id est, posuit tenebras, secretum suum. Decimum* שדי, *quod Aquila* αὐτάρκη, *id est, robustum interpretatur. Sunt & alia nomina quibus deus apud Hebræos significatur, ut* אש, *id est, ignis, &* חכמה *sapientia &c.*

Vtroque falsissimo) *Nam monachus Græce dicitur solitarius, & religio nihil aliud est quam pietas & dei*

religione, & nulli magis omnibus locis sint obvii. Iis non video quid possit esse miserius, nisi ego multis modis succurrerem. Etenim cum hoc hominum genus omnes [a] sic execrentur, ut fortuitum etiam occursum ominosum esse persuasum sit, tamen ipsi sibi magnifice blandiuntur. Primum summam existimant pietatem, si usque adeo [b] nihil attigerint literarum ut ne legere quidem possint. Deinde [c] cum psalmos suos, numeratos quidem illos, at non intellectos asininis vocibus in templis derudunt, tum vero se putant divorum aures multa voluptate demulcere. Et sunt ex his nonnulli, qui sordes

& dei cultus, quod est omnium Christianorum. Loquitur autem de malis, quæ maxima turba est, & hoc cognomine indignis.

Sic execrentur) *De vulgo loquitur.* Et *nimium verum est quod dicit. Quin ipse divus Hieronymus testatur, Romæ quoque monachi nomen invisissimum fuisse quanquam ea tempestate nihil aliud erant monachi, quam vere & simpliciter Christiani, nullis obstricti ceremoniis, nullo prodigioso cultu, nullis vinculis, nulla servitute, sed in libertate spiritus deoservientes.*

Nihil attigerint) *Olim monachi fere laici erant, quales Benedictini & Franciſci socii. Vnde sunt qui putent irreligiosum, scire literas, præcipue bonas, nec recipiunt eruditos, & libenter expellunt sorte receptos, cum ipsi ventres magis sint quam homines.*

Cum Psalmos suos) *Attende, lector, non rideri cultum divinum, sed eos (qui plurimi sunt) qui non curant intelligere quod psallunt, & odiosis clamoribus implent templum, quasi vociferatio delectet superos. Tum preces non numero constant, sed animi affectu.*

ſordes ac mendicitatem [a] magno vendunt, proque foribus [b] magno mugitu panem efflagitant, imo in nullis diverſoriis, vehiculis, navibus non obturbant, non mediocri profecto reliquorum mendicorum jactura. Atque ad eum modum homines ſuaviſſimi, ſordibus, inſcitia, ruſticitate, impudentia, apoſtolos (ut aiunt) nobis referunt. Quid autem jucundius, quam quod omnia faciunt ex præſcripto, quaſi mathematicis utentes rationibus, quas præterire piaculum ſit? Quot nodos habeat calceus, quo colore ſingula, veſtis quot diſcriminibus varieganda, qua materia, quotque culmis latum cingulum, qua ſpecie, & quot modiorum capax cuculla, quot digitis latum capillitium, quot dormiendum horas? Atque hæc quidem æqualitas in tanta corporum & ingeniorum varietate, quam ſit inæqualis, quis non perſpicit? [c] Et tamen his nugis non alios modo præ ſe naucifaciunt, verum invicem

Magno vendunt) *Vendunt dixit, pro oſtentant. Ita Politianus: Vultuque triſtes, vendunt ſanctimonias. Simulant enim nonnulli ſordes, ut plus accipiant à mulierculis.*

Magno mugitu) *Pudet me, quoties id video, & tamen videmus: imo irrumpunt in diverſoria publica, obſtrepunt in mediis convitiis, nihil pudet ſacerdotes. Paulus manibus laboravit, Chriſtus uſus eſt liberalitate amicorum. Ego putarim magis convenire, ut iſtis, ſi boni ſint, alia ratione provideretur, tamen Moriæ non damnat verecundam mendicitatem, ſed improbam & clamoſam, quæ in monachis fœdiſſima eſt.*

Et tamen his nugis) *Aperit peſtem cæremoniarum, quod his freti complures, contemnant eos qui non eadem faciant, putantes in his eſſe pietatem, quæ Chriſtus & Apoſtoli adeo non tradiderunt, ut dehortentur etiam.*

invicem alii alios contemnunt, atque homines apostolicam charitatem professi, ob aliter cinctam vestem, ob colorem paulo fusciorem, omnia mitis tragœdiis miscent. Et his videas quosdam adeo rigide religiosos, ut [a] summa veste non nisi [b] Cilicina utantur, intima Milesia: alios contra, qui superne linei sint, intime lanei. Rursum alios, [c] qui pecuniæ

summa veste) *Habet hoc ordo Cluniacensium, quorum magna pars ob divitias corrupta fuit, etiam ætate Bernardi, quod ex illius patet epistolis.*

Cilicina) *Cilicinam vestem asperrimam vocat, utpote quæ ex villis caprarum fieri soleat apud Cilices; unde & nomen habet. quemadmodum Milesiam vestem, pro mollissima posuit. Sicut & Horatius in Epistola: Alter Mileti textum, cane pejus & angue, vitabit chlamydem.*

Qui pecuniæ contactum) *Animo contemnenda est pecunia: quod si quid est in contactu periculi, certe plus est in contactu fœminæ, quam pecuniæ. At fœminarum contactum non prohibet Franciscus sed turpem amorem. Pecuniæ contactum cur tantopere prohibuisset? Quod si divus Franciscus, cum ait, Non recipiant, intelligi vult, Non attingant, cur addidit, Neque per se, neque per alios? Quis enim dicitur per alium aliquid attingere? Et quid si chirotheca contingat? Palam est, Franciscum sensisse, quod verba sonant. Recipit dominus, cui solvitur pecunia. Recipiunt procuratores, unde receptores dicti. Administrationem interdixit pecuniæ, non contactum. Sed ad eum modum interpretatum est pontifex, nescio quis. Deum immortalem, etiam pontifice opus erat, ut intelligeremus rem vel pueris perspicuam? Verum hisce de rebus disputent alii: mihi satis est illud optare, ut Christi regulam, hoc est evangelicam doctrinam, tanti faciamus omnes Christiani, quanti faciunt regulam hominis*

pecuniæ contactum ceu [a] aconitum horreant, nec à vino interim, nec à mulierum contactu temperantes. Denique mirum omnibus ſtudium, ne quid in ratione vitæ conveniat. Nec illud ſtudio eſt, ut Chriſto ſimiles ſint, ſed ut inter ſe diſſimiles. Porro magna felicitatis pars eſt in cognomentis: dum * hi ſanigeros appellari ſe gaudent: & inter hos alii

Coletas

Aconitum) *Aconitum herba eſt venenoſa, quam Dioſcorides in quarto inter frigidiſſimas numerat, quod in ſaxis creſcit; unde, ut Plinius autor eſt, nomen habet.* Ἀκόνη *enim cautes dicitur. Verum duas ſpecies Dioſcorides faciens, & de altero loquens, ait,* κτείνει δὲ παρδάλεις, καὶ σῦς, καὶ λύκους, καὶ πᾶν θηρίον, κρεαθέντος ἐν τιθύμῳ καὶ παρεμβαλλόμενον. *id eſt: Occidit autem & pardales, & ſues, & lupos, & omnem beſtiam, carunculis impoſitum & projectum.*

Hi ſanigeros) *Hæc ſunt portentoſa nomina Chriſtianæ illi & unitate & charitati inimica, quæ Paulus longe ante prævidens, tantopere deteſtatus eſt, nullas volens factiones eſſe inter Chriſtianos. Unde Corinthiis ſcribens ait:* παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες, καὶ μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα; ἦτε δὲ κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ. *id eſt: Hortor vos, fratres, per idem nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idem dicatis omnes, & non ſint in vobis ſciſſuræ, ſitis autem perfecti in eadem mente, & in eadem ſcientia. Quanto affectu has factiones Chriſtianæ Paci & unitati pernicioſiſſimas deprecatur? Unde idem indignatur, quod alii cognomen ſumerent Cephæ, alii Apollo, alii ſuum, hoc eſt, Pauli: Et vehementer ob id ſtomachans, Quid? inquit, diviſus eſt Chriſtus. Quanto ergo minus hujuſmodi ſtultis cogno-*

 mentis

Coletas, alii minores, alii minimos, alii buliſtas; rurſum hi Benedictinos, illi Bernardinos; hi Brigidenſes, illi Auguſtinenſes,; hi Guilhelmitas, illi Jacobitas. Quaſi vero parum ſit, dici Chriſtianos! [a] Horum magna pars in tantum ſuis nititur cæremoniis, & hominum traditiunculis, ut putet, unum cœlum parum dignum eſſe tantis meritis præmium; haud cogitantes, futurum, ut Chriſtus, contemptis his omnibus, [b] ſuum illud ſit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius oſtentabit [c] aqualiculum omni piſcium genere diſtentum. Alius plaſmorum

mentis gloriandum eſt? Idem cultus, aut certe Liber, idem victus, aut liber, idem Chriſti cognomen, multo magis facerent ad concordiam. Nunc videmus ex his tot diſcriminibus, magnas ac periculoſas naſci diſcordias: de quibus quid attinet multa dicere, cum nemo, neſciat?

Horum magna pars) *Audi, calumniator, qui dicit Magna pars, non damnat univerſos ordines.*

Suum illud ſit exacturus) *Nam Chriſtus in illa oratione, plena fervoris & charitatis, quam ultimam cum ſuis diſcipulis habuit, poſt multum charitatis commendationem, ita demum præcepit:* αὕτη ἐστὶν ἡ ἐντολὴ, ἡ ἐμὴ ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς. *id eſt. Hoc demum mandatum meum eſt, ut diligatis vos mutuo, quemadmodum dilexi vos. Quorſum igitur tanta homunculorum traditiunculæ, ad quas ſolum diſcendas vita non ſufficit, cum ſine hac, charitatem dico, quam ſolam Chriſtus præcepit, nihil bene à quoquam fieri poſſit, & cum hac nihil male?*

Aqualiculum) *Aqualiculum* ὑδροκοιλιακόν *eſt, ab aqualicur, quod alvum ſignificat. Perſius Satyra prima. Nugaris cum tibi, Calve, Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat. Quem diſtentum dixit, eo quod fratres illi fere piſcibus veſcantur, qui,*

quan-

plaſmorum, centum [a] effundet modios. Alius [b] jejuniorum myriadas annumerabit, & toties unico prandio pæne diſruptam imputavit alvum. Alius tantum cæremoniarum acervum proferet, quantus vix ſeptem onerariis navibus vehi poſſit. Alius gloriabitur ſexaginta annos nunquam attactam pecuniam, niſi digitis duplici chirotheca munitis. Alius eucullam ingeret, adeo ſordidam & craſſam, ut nullus nauta ſuo dignetur corpore. Commemorabit alius, ſe [c] pluſquam undecim luſtris ſpongiæ

quandoquidem carnibus frigidiores ſunt, plus pinguedinis, quam medici pituitam congelatam eſſe aiunt, generant. Ad hæc diſtentum dixit, ne videretur damnare, quod à carnibus abſtineant. Quanquam ne id quidem magnopere probet Paulus, ſed quod tam multis & variis piſcibus ſe ingurgitent, ut nulli rei præterquam ſomno utiles ſint.

Effundet modios) *Attende, candide lector, non hic damnari preces, quanquam ne Chriſtus quidem has verboſas preces probavit, ſed modios pſalmorum, id eſt, certas & ſtatas preces, modius enim menſuram.*

Jejuniorum myriadas) *Myrias numerus eſt decem milium. Sed nec hic jejunia damnavit, ſed illa numerata, & in quibus tantum vorant unico prandio, ut nec corpore, nec mente quicquam poſſint. Quibus mirum quam glorientur, qui cultum divinum magis externis & corporalibus quibuſdam obſervatiunculis quam ſpiritu metiuntur.*

Pluſquam undecim luſtris) *Nam tales ſunt nonnulli fratres, qui ſpongiarum, quæ ſaxis ſemper adhærent, ritu nunquam locum mutent, ſomniantes, pietatem eſſe, inanimata imitari. Spongiam quoque eſſe animal, ſupra ex Ariſtotelis & Plinii ſententia probavimus. Nam ipſis detractis, ſæpe ſanguis, axis adhærere videtur.*

ſpongiæ vitam egiſſe ſemper eidem affixum loco. Alius raucam aſsiduo cantu vocem adducet. Alius [a] lethargum ſolitudine contractum: alius linguam [b] jugi ſilentio torpentem. At Chriſtus interpellatis, nunquam alioqui finiendis gloriis, Undenam hoc, inquiet, novum [c] Iudæorum genus? Vnicam ego legem vere meam agnoſco, de qua ſola nihil audio. Et olim palam nulloque parabolarum utens involucro, paternam hæreditatem pollicitus ſum, non cucullis, preculis, aut inediis, ſed fidei & charitatis officiis. [d] Nec eos agnoſco,

Lethargum) *Lethargus apoſtema eſt in poſteriori ventriculo cerebri, ſomnum, oblivionem, & motus paucitatem inducens, quod oritur ex pituita craſſiſſima, præcipue in his, qui ſimul multum vorant, præcipue piſcium, & parum moventur, ſimulque in ſolitudine & ocio degunt: quales ſunt fratres iſti, qui ſe ad perpetuos carceres damnarunt.*

Iugi ſilentio) *Ndm certa ſua habent ſilentia. Hi fratres frigidis præcipue morbis ſunt obnoxii, quales ſunt apoplexia, paralyſis, tortura, lethargus, & ſpaſmus. Vnde multos tales vidi, qui linguam (nam hæc cum primis humida eſt) paralyſi vitiatum movere non poſſent.*

Judæorum genus) *Nam quemadmodum Iudæi in circumciſione, ſabbatis, jejuniis, & aliis id genus cæremoniis, gloriabantur, quemadmodum Paulus ſæpe vis exprobrat, cum ſpiritu vacarent, ita nonnulli Chriſtiani plus cæremoniis illis per ſe inanibus tribuunt, quam ſpiritui, cujus nunquam ſcintillam ſenſerunt. quos tanquam nihil à Iudæis re differentes, novum Iudæorum genus Stulticia, ſed haudquaquam ſtulte, vocat.*

Nec eos agnoſco) *Alluſit ad illum locum Euangelicum, qui eſt apud Matthæum, ubi juſti illi, quorum*

opera

gnosco, qui sua facta nimis agnoscunt: isti, qui me quoque sanctiores videri volunt, [a] Abraxasiorum cœlos, si libet occupent, aut ab his sibi novum extrui cœlum jubeant, quorum traditiunculas meis præceptis antepositerunt. Cum hæc audient, & videbunt nautas & aurigas sibi præferri; quibus putatis vultibus sese mutuo contuebuntur? Sed interim spe sua felices sunt non absque meo beneficio. Atque hos quidem quanquam è republica semotos, nemo tamen audet contemnere, præcipue mendicantes, propterea quod omnia omnium arcana teneant, ex confessionibus quas

opera Christus tantopere exoscultatus fuit, sua opera ignorant. Sic enim aiunt, Κύριε, πότε εἴδομέν σε πεινῶντα καὶ ἐθρέψαμεν, id est, Domine, quando vidimus esurientem, & nutrivimus? &c. Mali contra sua bona agnoscunt, & jactant, dicentes, Domine, quando vidimus esurientem, & non nutrivimus? Sed horum opera Christus non agnovit. Similis est illa parabolæ Publicani & Pharisæi sua jejunia & preculas jactantis & quasi deo opprobrantis.

Abraxasiorum cœlos) *Basilides hæreticus trecentos sexaginta quinque fabricatus est cœlos, ut auctor est divus Augustinus in libro ad Quodvult deum. Inde mysticum illud nomen suis discipulis commendavit Ἀβραξας. Nam eis literis juxta Græcam supputationem is numerus significatur. α & β. significant unum & duo, ρ & α centum & unum, & ξ quæ quinta est in hac dictione litera significat sexaginta. In summa reddentur trecenta sexaginta quinque. De hoc plura vide in scholiis. Erasmi in Hieronymi epistolas.*

quas vocant. Quæ tamen prodere nefas habent, [a] nisi si quando poti, fabulis amœnioribus delectare se volunt; sed conjecturis modo rem indicant, tacitis interim nominibus. Quod si quis [b] hos crabrones irritarit, tum in popularibus concionibus probe ulciscuntur sese, & obliquis dictis hostem notant adeo tecte, ut nemo non intelligat, nisi qui nihil intelligit: nec prius oblatrandi finem faciunt, quam [c] in os offam objeceris. Age vero quem tu mihi [d] comœdum, quem circulatorem spectare malis, quam istos in concionibus suis rhetoricantes omnino ridicule, sed tamen suavissime imitantes ea quæ rhetores de dicendi ratione tradiderunt? Deum immortalem, ut gesticulantur, ut apte commutant vocem, ut cantillant, ut jactant sese, ut subinde alios atque alios vultus induunt, ut omnia clamoribus miscent! Atque hanc orandi artem ceu rem arcanam fraterculus

fraterculo

Nisi si quando poti) *Hæc nihil ad bonos monachos pertinent. Mali putent se admonitos, quid debeant corrigere. Audivimus enim sæpenumero narrantes, quicquid audiverint à confitentibus, idque non ædificationem, sed ridendi causa. Nominant collegium, denique domum, hominem quoque si defunctus sit, si vivum nominatim non prodant. Multa possent hoc loco referri de malis, quæ malo ob honorem reticere.*

Hos crabrones irritarit) *Crabro insecti genus pertinaciſsimum, aculeoque pestilentiſsimo: cujus ictum Plinius lib.* 11. *dicit haud temere sine febri esse. Vnde proverbio dictum est,* τὰς σφηκιὰς ἐρεθίζειν, *id est, crabrones irritare, in pertinaces & rixosos. quo Plautus in Amphitryone usus est in mulieres.*

In os offam) *Sic apud Maronem, Æneas Cerbero oblatranti offam objicit, quo sileat.*

Comœdum) *Comœdus dicitur qui agit, Comicus vero qui scribit comœdias.*

fraterculo [a] per manus tradit. Eam, tametsi [b] mihi non est fas scire, tamen utcunque con ecturis sequar. Primo loco invocant; id quod à poetis mutuo sumserunt: deinde dicturi de caritate, [c] à Nilo Ægypti fluvio sumunt exordium: aut crucis mysterium enarraturi, [d] à Babylonio dracone Bel feliciter auspicantur: aut de jejunio disputaturi, [e] a duodecim zodiaci signis principium faciunt:

Per manus tradit) *Per successionem, proverbiali dictum figura.*

Mihi non est fas) *Mihi refertur ad personam Moriæ, quod nolint mulierem scire literas aut disciplinas.*

A Nilo Ægypti) *Id est, à re alienissima. In his autem mira quadam ὑποτυπώσει depingit illorum τὸ κακόζηλον, ut Græci vocant, id est, perversam imitationem. Nihil enim odiosius, quam ars male affectata.*

A Babylonio dracone Bel) *Hæc fabula de Bel dracone, inserta est scriptis Danielis à Theodotione, ut nonnulli putant: nam in Hebræo non habetur: quemadmodum nec Susannæ historia, nec Hymnus trium puerorum, quæ omnia obeliscis antepositis, divus Hieronymus jugulavit tanquam adulterina.*

A duodecim Zodiaci) *Solem enim aiunt in jejunio arietem primum zodiaci signum ingredi, eoque tunc omnia magis humescere & calescere, crassosque humores corporum, qui in hyeme propter cœli frigiditatem resolvi non poterant, tunc resolvi incipere, atque idcirco paucis tunc egere corpora nutrimentis, eoque bene institutum esse ab ecclesia jejunium verno tempore. Hacque occasione mira de zodiaco ejusque signis blaterant. quo indoctæ plebeculæ docti videantur.*

ciunt? aut de fide verba facturi, diu [a] de quadratura circuli præloquuntur. Audivi ipsa quendam eximie stultum, (erravi, doctum volebam dicere,) qui in concione celebertima divinæ [b] triadis mysterium explicaturus, quo & doctrinam suam non vulgarem ostentaret, & [c] Theologicis satisfaceret auribus, nova prorsus ingressus est via, nimirum à literis, syllabis & oratione, tum à concordia nominis & verbi, adjectivi nominis & substantivi; mirantibus jam plerisque, ac nonnullis Horatianum illud apud se mussitantibus: Quorsum hæc tam putrida tendunt? Tandem hùc rem deduxit ut in grammaticorum rudimentis sic expressum ostenderet totius triadis simulacrum, ut [d] nemo mathematicorum in pulvere posset evidentius depingere. Atque in hac oratione

De quadratura circuli) *Aristotelis* ὃν κατηγορίας περὶ τῆς πρός τι *scriptum reliquit*: ὀπιστήμης δὲ μὴ ὄσης, οὐδὲν κωλύει ὀπιστὸν εἶ. οἷον ἡ ὁ τοῦ κύκλου τετραγωνισμὸς, εἰ γέ ἐστιν ὀπιστὸν, ὀπιστήμη μετὰ αὐτοῦ ἐστιν οὐδέπω, αὐτὸς ὀπιστὸν ὄν. *id est, Scientia autem non existente, nihil prohibet scibile esse. ut circuli quadratura, si scibile sit, scientia tamen ipsius nondum est, ipsa autẽ scibile est. Hac igitur occasione, ut Aristotele plus scire videantur, & Sophistæ in suis scholis, & in concionibus suis fratres, de quadratura circuli multa garriunt.*

Triadis) Τριὰς *Græco vocabulo dixit: nam trinitas quo vulgus utitur, non satis est Latinum.*

Theologicis) *Iocus est, tacite enim significat, Theologos malle audire has subtiles nugas fabellasque, quam Euangelium aut Pauli as epistolas.*

Nemo Mathematicorum) *Nam his mos est figuras suas in pulvere depingere.*

ratione [a] θεολογώτατος ille totos octo menses ita desudarat, ut hodie quoque [b] magis cæcutiat quam talpa, nimirum [c] tota luminum acie ad ingenii cuspidem avocata. Verum haud pœnitet hominem cæcitatis, ac parvo quoque putat emptam eam gloriam. Auditus est à nobis alius quidam octogenarius, adeo Theologus, ut in hoc Scotum ipsum renatum putes. Is explicaturus mysterium nominis Jesu, mira subtilitate demonstravit, in ipsis literis latere, quicquid de illo dici possit. Etenim quod tribus duntaxat inflectitur casibus, id manifestum esse simulacrum divini ternionis. Deinde quod prima vox Jesus desinat in s, secunda Iesum in m, tertia Jesu in u, in hoc [d] ἄῤῥητον subesse mysterium:

θεολογώτατος) *Superlativus est Græcus ab hoc positivo Theologus.*

Magis cæcutiat quam talpa) *Græci enim proverbium est,* Ἀσπάλακος τυφλώτερος, *id est, Talpa cæcior, in vehementer luscioſum sibi notum, & forte luscioſum.*

Tota luminum acie) *Acies ad animum refertur. cuspis autem non dicitur, nisi de re corporea. data autem opera hic invertit.*

Ἄῤῥητον) *Id est, arcanum & ineffabile. Festiviter hujus delirii fratris ineptias ridet, qui vocem Hebraicum, quod vel teste Hieronymo ineptissimum est, in alienam linguam traxerit. Siquidem* ישע *Ieschа, Hebraica vox est, id significans quod Græce* σωτηρία, *& Latine salus. cui passim apud Hebræos interponitur* ו *cum* ה *in fine. ut ibi,* ליהוה הישועה. *id est, Domini est salus. quod alio sequente mutatur in* ת. *ut,* עינו לישועתך, *id est, Oculi mei defecerunt in salutari tuo. Ab* ישוע ישע *dicunt nostri salvatoris nomen dictum esse. Sunt tamen qui dictum putent à* יש *verbo substantivo.*

rium: nempe literulis indicantibus, eum esse summum, medium, & ultimum. Restabat mysterium his quoque retrusius: mathematica ratione Jesus sic in duas æquales diffidit portiones, ut scilicet [a] penthemimeres in medio resideret. Deinde docuit, eam literam apud Hebræos esse Ψ, quam illi Sin, appellant: porro Sin, Scotorum opinor lingua, peccatum sonare: atque hinc palam declarari Jesum esse qui peccata tolleret mundi. Hoc tam novum exordium sic inhiantes admirati sunt omnes, præcipue Theologi, ut parum abfuerit, quin illis acciderit, quod olim [b] Niobæ cum mihi

Penthemimeres) Πέντε *quinque sunt*, ἥμισυ *dimidium*, μέρος *pars. unde* πενθημιμερὴς *dimidium quinque dicitur. Quemadmodum etiam Terentianus ait: Hoc* πενθημιμερὲς *medium de quinque vocatur. Sicut igitur grammaticus penthemimeres vocatur, quando post duos primos pedes relinquitur syllaba dictionem terminans: (nam duo cum semis dimidium faciunt quinque:) sic Sin in medio penthemimeris positum erat a fratre: ut si divideretur, utrumque ei dimidium cum reliquis duabus literis sumptum, penthimimeres faceret.*

Niobæ) *Hæc cum pulcherrimos permultosque liberos haberet, eosque cerneret ab Apolline & Diana sagittis confessos, nimio dolore obstupuit diriguitque. Unde à poetis fingitur versa in saxum. De qua Ovidius transformatorum libro sexto: Exanimes inter natos natasque virumque, Diriguitque malis, nullos movet aura capillos. In vultu color est sine sanguine, lumina mœstis Stant immota genis. nihil est in imagine vivum. Græci maxima & intolleranda mala* Νιόβης πάθη, *id est, Niobes passiones vocant.*

mihi propemodum evenerit, quod [a] ficulno illi Priapo, qui magno ſuo malo, Canidiæ Saganæque nocturna ſacra ſpectavit. Nec injuria profecto: nam quando ſimilem [b] ἔφοδον commentus eſt Demoſthenes ille Graius, aut Cicero Latinus? Illis vitioſum habebatur proœmium, quod à re foret alienius: quaſi vero non ad iſtum modum exordiantur & ſubulci, natura videlicet magiſtra? At hi docti præambulum ſuum (ſic enim vocant) ita demum eximie rhetoricum fore ducunt, ſi nuſquam quicquam habeat cum reliquo argumento confine, ut auditor interim admirans, illud ſecum murmuret,

Quo

Ficulno illi Priapo) *Significat, ſe adeo riſiſſe, cum ſtulti Theologi præ admiratione ſtuperent, ut propemodum crepitum ventris faceret. Aluſit enim ad Priapum illum ficulnum, qui, ut Horatius in ea Satyra, quæ incipit, Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum, dicit, cum Canidiæ & Saganæ magica nocturna ſacra, quibus furias, Hecatem & animas mortuorum evocabant, ſpectaret, præ timore magnum bonumque crepitum ventris emiſit. quo aniculæ territæ, relictis dentibus & caliendro, è veſtigio auſugerunt. Vnde ſic ait: Et ut teſtis inultus horruerim voces furiarum & facta duarum. Nam diſploſa ſonat quantum veſica pepedi, Diffiſa nate fiſus. at illæ currere in urbem, Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum, Excidere; atque herbas atque incantata lacertis Vincula cum magno riſuque jocoque videres.*

Ἔφοδον) *Id eſt inſinuationem, quæ eſt oratio quadam diſſimulatione & circuitione obſcure ſubiens auditoris animum, ut ſcribitur in Rhetorica ad Herennium. Hac Quintilian. in libro quarto utendum eſſe ait in cauſa admirabili & turpi.*

[a] Quo nunc se proripit ille? Tertio loco ceu narrationibus vice nonnihil ex Evangelio, sed cursim ac velut obiter interpretantur, cum id solum fuerit agendum. Quarto loco jam nova sumpta persona quæstionem movent [b] Theologalem, aliquoties [c] Οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἁπτομένην. Atque id quoque ad artem arbitrantur pertinere. Hic demum Theologicum attollunt supercilium, doctores solennes, doctores subtiles, doctores subtilissimos, doctores seraphicos, doctores cherubicos, doctores sansanctos, doctores irrefragabiles, magnifica nomina, auribus inculcantes. Tum syllogismos, majores, minores, conclusiones, corollaria, suppositiones, frigidissimas ac plusquam scholasticas nugas, apud imperitum vulgus jactitant. Superest [d] jam quintus actus, in quo summum artificem præstare convenit. Hic mihi stultam aliquam & indoctam fabulam, ex Speculo opinor historiali, aut gestis Romanorum, in medium adferunt, [e] & eandem interpretantur, alle-

Quo nunc se proripit ille?) *Virgilianum est hemistichium.*

Theologalem) Μιμητικῶς *legendum, risus causa. Sic enim illi solent vocare verbo non admodum Latino.*

Οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἁπτομένην) *Id est, neque terram, neque cœlum attingentem. Proverbium est apud Lucianum de re vehementer aliena à proposito.*

Jam quintus actus) *Allusit ad hoc, quod commœdia quinque constat actibus. Et M. Tullius dicit in extremo actu poetam oportere esse optimum.*

Et eandem interpretantur) *Allegorias in vetus testamentum non ferremus, nisi necessitas nos cogeret, At quis feret somnium ociosi nebulonis, & rursum alio somno somnium explicatum? At quidam hæc religiosius pæne legunt, quam Evangelium.*

allegorice, tropologice, & anagogice. Atque ad hunc quidem modum [a] Chimæram ſuam abſolvunt, qualem nec Horatius unquam aſſequi potuit, cum ſcriberet: [b] Humano capiti &c. Sed audierunt à neſcio quibus, ingreſſum orationis ſedatum, minimeque clamoſum eſſe oportere: Itaque principio ſic exordiuntur, ut nec ipſi vocem propriam exaudiant, quaſi referat dici, quod nullus intelligat. Audierunt nonnunquam, ad concitandos affectus, exclamationibus utendum eſſe: Proinde preſſe alioqui loquentes, ſubinde repente vocem tollunt furioſo plane clamore, etiam cum nihil opus. Jures [c] elleboro homini opus eſſe, perinde quaſi nihil referat, ubi clames. Præterea quoniam audierunt oportere ſermonem in progreſſu ferveſcere: in ſingulis partibus principiis utcunque ſane recitatis, mox mira vocis contentione utuntur, etiam ſi res ſit frigidiſſima, atque ita denique deſinunt, ut ſpiritu

Chimæram ſuam) *Hoc eſt, ſermonem portentoſum ex partibus multo diverſiſſimis, tanquam monſtrum, conſtantem. Chimæram Iliad. 6 Homerus ſic deſcribit:* Ἡ δ' ἐκ θεῶν γένος ἐστὶ, οὐκ ἀνθρώπων. Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, δεινὸν ἀπόπνοιον πῦρ αἰθομένοιο. *id eſt: Hæc igitur erat divinum genus, non humanum. Ante leo, retro autem draco, media autem chimæra, gravem efflans ignis vim ardentis. Verſus Homeri Lucretius ſic imitatus eſt: Prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra.*

Humano capiti) *Sic ordiuntur artem poeticam, reprehendens inæqualitatem argumenti,*

Elleboro opus eſſe) *Hoc eſt, inſanire. Quandoquidem elleboro purgatur atra bilis, ut ſupra diximus.*

ritu defectos credas. Postremo didicerunt, apud rhetores [a] de risu fieri mentionem, eoque student & ipsi jocos quosdam aspergere, [b] ὦ φίλη Ἀφροδίτη, quam plenos gratiarum, quamque in loco, ut plane [c] ὄνον πρὸς τὴν λύραν esse dicas. Mordent quoque nonnunquam, sed ita, ut titillent magis quam vulnerent. Nec unquam verius adulantur quam cum maxime [d] παρρησιάζεσθαι videri student. Denique tota actio est ejusmodi, ut jures eos à fori circulatoribus didicisse, à quibus longe vincuntur. Quanquam utrique alteris usque adeo sunt similes, ut nemo dubitet, quin aut hi ab illis, aut illi ab his rhetoricen suam didicerint. Et tamen inveniunt hi quoque, mea nimirum opera, qui, cum hos audiunt. Demosthenes meros ac Cicerones audire

De risu fieri) *De risu movendo multa fit mentio apud Fabium libro 6.*

Ὦ φίλη Ἀφροδίτη) *Id est, ô amica Venus, ut viri dicunt,* Ἡρακλεῖς. *cum admirantur.*

Ὄνον πρὸς τὴν λύραν) *Id est, Asinum adhibitum lyræ. Proverbium est, quo significant hominem minime idoneum ad rem gerendam.*

Παρρησιάζεσθαι) *Id est, libere loqui. Inde* παρρησία, *libertas in admonendo, aut alioqui loquendi. contraria assentationi. Quod dicit, vero verius est. Clamant in mulierculas, quod trahant caudas, quod nimium niteant, & forma sollicitent viros, quod gemmis & auro fulgeant, quod viris imperent. Atque hæc narrant, ut illæ gaudeant.*

Fori circulatoribus) *Iuxta morem Italiæ dixit: nam illic in foro posita mensa, conscendunt nebulones herbarii, aut præstigiatores, aut aliud quippiam simile profitentes, et oratione populum illiciunt. Quorum pronunciatio non alia quam concionatorum, nisi quod illos vincunt.*

audire ſe putant. Quod genus ſunt præcipue mercatores ac mulierculæ: quorum auribus unice placere ſtudent: quod illi nonnullam prædæ portiunculam de rebus male partis ſoleant impertiri, ſi commode fuerint palpati: illæ cum aliis multis de cauſas huic ordini favent, tum præcipue, quod in horum ſinus ſoleant effundere, [a] ſi quid in maritos ſtomachantur. Videtis, opinor, quantopere mihi debeat hoc hominum genus, qui cum cæremoniolis, & nugis deridiculis, clamoribuſque, tyrannidem quandam inter mortales exerceant, Paulos atque Antonios ſeſe credunt. Verum ego iſtos hiſtriones, tam ingratos beneficiorum meorum diſſimulatores, quam improbos ſimulatores pietatis, libenter relinquo. Jamdudum enim juvat de regibus ac principibus aulicis, à quibus [b] ſimpliciſſime color, &, ut dignum eſt ingenuis, ingenue, nonnihil attingere. Qui quidem ſi vel ſemunciam ſani cordis haberent, quid eſſet horum vita triſtius, aut æque fugiendum? Neque enim exiſtimabit vel perjurio parricidioque parandum imperium, quiſquis ſecum perpenderit, quam ingens onus ſuſtineat humeris, qui vere principem agere velit. [c] Eum qui rerum gubernacula ſuſceperit, publicum, non privatum negocium gerere, nihil niſi de commodis publicis oportere cogitare: à legibus, quarum ipſe & autor & exactor eſt, [d] nec latum

Si quid in maritos) *Eſt enim querulum mulierum genus. Ad hos igitur deferunt quicquid maritus domi delirat.*

Simpliciſſime color) *Hoc eſt, aperte, et ſine fuco, non quemadmodum à monachis.*

Eum qui rerum gubernacula) *Vt ludens, tamen ita principis officium complexus eſt, ut non Ariſtoteles melius in ſuis Politicis.*

Nec latum digitum] *Id eſt, ne minimum quidem ſpacium. Sermo eſt proverbialis.*

latum digitum discedere, officialium omnium & magistratum integritatem sibi præstandam esse: sese esse unum omnium oculis expositum, qui vel ceu sidus salutare, morum innocentia maximam rebus humanis salutem possit adferre, vel veluti [a] cometa lethalis, summam perniciem invehere: aliorum vitia neque perinde sentiri, neque tam late manare Principem eo loco esse, ut si quid vel leviter ab honesto deflexerit, gravis protinus ad quam plurimos homines vitæ pestis serpat. Tum, quod multa secum adferat principum fortuna, quæ solent à recto deducere, [b] quod genus, deliciæ, libertas, adulatio, luxus: hoc acrius enitendum, ac solicitius advigilandum, necubi vel deceptus cesset in officio. Postremo, ut insidias, odia, cæteraque vel pericula, vel metus omittam, capiti imminere verum illum regem, qui paulo post ab eo sit etiam de minimo quoque commisso rationem exacturus, idque tanto severius, quanto præstantius gessit imperium. Hæc, inquam, atque hujusmodi plurima, si princeps secum perpenderet, (perpenderet autem, si saperet,) is nec somnum, nec cibum opinor jucunde capere posset. At nunc, meo munere, has omneis curas [c] diis permittunt, ipsi sese molliter curant, neque quenquam ad aurem admittunt, nisi qui jucunda loqui

Cometa) *Id est, stella crinita, quæ fere magnum humano generi portendit malum, si quando apparuerit. Dicitur autem* κομήτης, *Græco vocabulo, quod* αὐτῶ τὸ κάτω λεπτότατον, τὸ δ' ἄνω ἤπλωται, ὡς ἐπὶ κόμης, *hoc est, quod ipsius inferior pars tenuissima sit, superior passa, sicut in coma.*

Quod genus) *Pro eo quod Græci dicuat* οἷον. *Exemplum additur.*

Diis permittunt) *Proverbialiter dictum. Horatius. Permitte divis cætera.*

qui norit, ne quid animo ſollicitudinis oboriatur. Se probe principis partes omnes impleſſe credunt, ſi venentur aſſidue, ſi bellos alant caballos, ſi ſuo commodo vendiderint magiſtratus ac præfecturas, ſi quotidie novæ rationes excogitentur, quibus civium opes attenuent & [a] in ſuum converrant fiſcum, verum id appoſite repertis titulis, ut etiam ſi ſit iniquiſſimum, aliquam tamen æquitatis ſpeciem præ ſe ferat. Addunt data opera nonnihil adulationis, quo populares animos uteunque ſibi devinciant. Fingite mihi nunc, quales ſunt nonnunquam, hominem legum ignarum, publicorum commodorum pæne hoſtem, privatis intentum commoditatibus, addictum voluptatibus, oſorem eruditionis, oſorem libertatis ac veri, nihil minus quam de reipub. ſalute cogitantem, ſed omnia ſuo libidine ſuiſque utilitatibus metientem. Deinde addite huic torquem auream, omnium virtutum cohærentium conſenſum indicantem: tum coronam gemmis inſignitam, quæ quidem admoneat eum, heroicis omnibus virtutibus oportere cæteris antecellere: præterea ſceptrum, juſticiæ & undecunq; incorrupti pectoris ſymbolum: poſtremo purpuram, eximiæ cujuſdam in rempublicam charitatis indicium. Hæc geſtamina ſi princeps cum ſua vita conferet, equidem futurum arbitror, ut plane pudeſcat ornatus ſui, vereaturque, ne quis naſutus interpres totum hunc tragicum cultum in riſum jocumque vertat. Jam quid de proceribus aulicis commemorem? quorum pleriſque cum nihil ſit addictius, ſervilis, inſulſius, abjectius, tamen omnium rerum primos ſeſe videri volunt. Hac una in re tamen modeſtiſſimi, quod con-

In ſuum converrant) *Plerique depravant, pro, converrant, per geminum r, convertant, per t. Eſt autem converrere, in unum verrere, ſic ut nihil relinquas. Fiſcum dixit, nam fiſcus proprie eſt principis, quemadmodum ærarium eſt reipub.*

contenti aurum, gemmas, purpuram, reliquaque virtutum ac ſapientiæ inſignia corpore circumferre, rerum ipſarũ ſtudium omne concedunt aliis. Hoc abunde felices ſibi videntur, quod regem herum vocare liceat, quod tribus verbis ſalutare didicerint: quod norint civiles titulos ſubinde inculcare, ſerenitatem, dominationem, & magnificentiam: quod egregie perfricuerint faciem, quod feſtiviter adulentur. Nam hæ ſunt artes, quæ vere nobilem & aulicum deceant. Cæterum ſi vitæ rationem omnem propius inſpicias, nimirum [a] meros Phæacas invenies, [b] ſponſos Penelopes: [c] reliquum carmen agnoſcitis, [d] quod Echo vobis melius referet quam ego. Dormitur in medios dies; ibi ſacrificulus mercenarius ad lectum paratus, qui propemodum cubantibus adhuc ſacrum expedire peragat. Mox ad jentaculum; quo vix peracto, jam interpellat

Meros Phæacas) *Phæacum rex erat Alcinous. apud hos veluti ſtupidos, prodigioſa quædam mentitur Vlyſſes Homericus.*

Sponſos Penelopes) *Nam hos Homerus nulli rei præterquam epulis, choreis, cantilenis. & Veneri ſtudu ſſe dixit: unde de procis loquens ait,* αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἵντο Μνησῆρες, τοῖσιν μὲν ἐνὶ φρεσὶν ἄλλα μὲν μέλε, Μολπή τ' ὀρχηστύς τε. τὰ γὰρ τ' ἀναθήματα δαιτός. *id eſt: Cæterum ubi potu ciboque ſatiati fuerunt proci, his quidem animo alia curæ fuerunt, cantus, ſaltatioque: hæc enim ſunt additamenta convivii.*

Reliquum carmen) *Sequitur enim apud Horatium, poſt, ſponſi Penelopes; nebulones, Alcinoique.*

Quod Echo) *Nam hujus eſt extrema ſonare.*

lat prandium. Sub id alea, latrunculi, ſortes, ſcurræ, moriones, ſcorta, luſus, inficetiæ. Interim una aut altera merenda. Rurſum cœna; poſt hanc [a] repotia, [b] non una, per Jovem. Atque ad hunc modum, citra ullum vitæ tædium elabuntur horæ, dies, menſes, anni, ſecula. Ipſa nonnunquam ſaginatior abeo, ſi quando viderim illos [c] μεγαλορ'ρῦντας, dum inter nymphas unaquæque hoc ſibi videtur diis propior, quo caudam longiorem trahit dum procerum alius alium cubito protrudit, [d] quo Jovi vicinior eſſe videatur, dū ſibi quiſq; hoc magis placet, quo graviorē catenam collo bajulat, ut robur etiam, non opes tantum oſtentet. [e] Ac principum quidem inſtitutum, ſummi pontifices, cardinales, & epiſcopi,

Repotia) *A repotando dicta ſic olim vocabant, velut iteratas nuptias, quæ colebantur aliquot diebus à ſponſa tradita. Quod hic intelligi vult, vulgo vocant banketam.*

Non una) *Multitudinis numero.*

Μεγαλορρῦντας) *Id eſt, oſtentantes ſeſe. Vitatur hoc verbo Lucianus, de diis loquens, quod faſtu quodam vivant. Dictum eſt à μεγάλον magnum, & ῥῆσις oratio, quod omnia magna loquantur, nihil plebeium. Galli quoque vulgo vocant, la grande gorre.*

Quo Jovi) *Iovem vocat principem.*

Ac principum quidem) *Quemadmodum ſuperius non læſit bonos principes, ſed docuit quales ſint mali, & tamen nihil de turpibus facilis procerum locuta eſt, ſed communia quædam, & ridicula, mira moderatione recenſuit: ita nunc notat malos & indignos epiſcopos, quorum utinam minor eſſet numerus.*

[a] episcopi, jam pridem gnaviter æmulantur, ac prope superant. Porro si quis perpendat, quid linea vestis admoneat, niveo candore insignis, nempe vitam undiquaque inculpatam; quid sibi velit mitra bicornis, utrunque fastigium eodem cohibente nodo, puta novi pariter ac veteris instrumenti absolutam scientiam; quid manus chirothecis communitæ, puram & ab omni rerum humanarum contagio immunem sacramentorum administrationem, quid pedum, nimirum crediti gregis vigilantissimam curam; quid prælata crux, videlicet omnium humanorum affectuum victoriam: Hæc, inquam, atque id genus alia multa, si quis perpendat, nonne tristem ac solicitam vitam egerit? At nunc belle faciunt, cum sese pascunt. Cæterum ovium curam aut ipsi Christo mandant, aut in fratres, quos vocant, ac vicarios rejiciunt. Neque vel nominis sui recordantur, quid sonet episcopi vocabulum, nempe laborem, curam, sollicitudinem. Verum in irretiendis pecuniis plane episcopos agunt, [b] οὐδ' ἀλαισ-

Episcopi) Ἐπισκοπεῖν *est inspicere, & curam agere, prospicereque de necessariis, &* ἐπίσκοπος *est inspector & curator: unde, ut Suidas ait* εἴπαρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ἐπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι, ἐπίσκοποι καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο, οὓς Δάκωνες ἁρμοστὰς ἔλεγον. *id est: Qui ab Atheniensibus in subjectas civitates, ad inspiciendum ea quæ à singulis agerentur, mitterentur, episcopi & custodes vocabantur, quos Lacones* ἁρμοστὰς *id est, congrue gubernantes, vocabant.*

Οὐδ' ἀλαισκοπι) *Id est, Neque cæca speculatio. Hemistichium est Homericum.* λάειν *Græcis est videre; unde*

ἀλαοσκοπιὴν. Ad eundem modum Cardinales, si cogitent, sese in apostolorum locum successisse, eadem ab ipsis requiri quæ illi præstiterunt, deinde non dominos esse, sed administratores spiritualiũ dotium, de quibus omnibus sint paulo post exactissime reddituri rationem: Imo si vel in cultu pauliſper philosophentur, atque ita secum cogitent: Quid sibi vult hic vestitus candor? nonne summam & eximiam vitæ innocentiam? Quid interior purpura? nonne flagrantissimum in deum amorem? Quid rursus exterior sinuosa capacitate diffluens, ac totam etiam [a] reverendissimi complectens mulam, quanquam una vel camelo contegendo suffecerit? nonne charitatem lætissime sese pandentem ad subveniendum omnibus, hoc est, ad docendum, exhortandum, consolandum, increpandum, admonendum, componenda bella, resistendum improbis principibus, & vel sanguinem libenter impendendum gregi Christiano, non solum opes? Quanquam quorsum omnino opes, pauperum apostolorum vicem gerentibus? Hæc si perpenderent, inquam, nec eum locum ambirent, aut libenter relinquerent, aut certe vitam plane laboriosam atque sollicitam agerent, cujusmodi veteres illi vixerunt apostoli. Jam, summi Pontifices, qui Christi vices gerunt, si conentur ejusdem vitam æmulari, nempe paupertatem, labo-

ices,

unde κατ' ὀφθαλμὸν ἀλαὸς cæcus dicitur. Suidas citat Homericum illud hemistichium, ἐδ' ἀλαοσκοπιὴν ἔχε, id est, non cæcam speculationem habuit, quod ait proverbialiter dictum esse.

Reverendissimi complectens) *Reverendissimi vocantur Cardinales, veluti proprio titulo, sicut Pontifices sanctissimi. Et pallium à mulæ fronte revinciturex more Ramæ.*

res, doctrinam, crucem, vitæ contemptum, [a] si vel papæ, id est, patris nomen, vel sanctissimi cognomen cogitent, quid erit in terris afflictius? aut quis eum locum omnibus emat facultatibus? emptum, gladio, veneno, omnique vi tueatur? Quantum his abstulerit commoditatum, si semel incessiverit sapientia? Sapientia dixi? Imo vel mica salis illius, cujus meminit Christus. Tantum opum, tantum honorum, tantum ditionis, tantum victoriarum, tot officia, tot dispensationes, tot vectigalia, tot indulgentias, tantum equorum mulorum, satellitum, tantum voluptatum. Videtis, quantas nundinas, quantam messem, quantum [b] bonorum pelagus paucis sim complexa. In quorum locum inducet vigilias, jejunia, lachymas, orationes, conciones, studia, suspiria, milleque id genus miseros labores. Neque vero negligendum illud futurum, ut tot scriptores, [c] tot copistæ, tot notarii, tot advocati, tot promotores, tot secretarii, tot [d] mulotribæ, tot equisones, tot mensarii, [e] tot lenones, (pæne mollius quiddam addideram, sed vereor ne durius

Si vel papæ) *Olim omnes episcopi papæ vocabantur, hoc est patres. Papam enim veteres patrem vocabant.*

Bonorum Pelagus) *Græci immensam bonorum copiam* θάλατταν ἀγαθῶν, *id est, mare bonorum, sive* σωρὸν ἀγαθῶν, *id est, acervum bonorum vocant.*

Tot copistæ) *Ad risum imitatus est barbarum illorum vocabulum. Sic enim vocantur infimi scribæ, qui bullas, quas vocant, effingunt Romæ.*

Mulotribæ) Dictio composita è Græca voce & Latina, significans eos qui curant mulos.

Tot Lenones) *Significare videtur puerorum obscœnos amores, cum addit, mollius quiddam.*

rius sit auribus,) in summa, tam ingens hominum turba, quæ Romanam sedem onerat, (lapsa sum', honorat sentiebam,) ad famem adigatur. Inhumanum quidem hoc & abominandum facinus, at multo magis detestandum, ipsos etiam summos ecclesiæ principes, ac [a] vera mundi lumina, ad petam & baculum revocari. At nunc fere, si quid laboris est, id Petro & Paulo relinquunt, quibus abunde satis est ocii. Porro si quid splendoris, aut voluptatis, id sibi sumunt. Atque ita fit, mea quidem opera, ut nullum pæne hominum genus vivat mollius, minusque sollicitum, ut qui abunde Christo satisfactum existiment, si mystico ac pæne scenico ornatu, cæremoniis beatitudinum, reverentiarum, sanctitatum titulis, & benedictionibus, ac maledictionibus, episcopos agant. Priscum & obsoletum, nec horum omnino temporum, miracula edere: docere populum, laborioſum: sacras interpretari literas, scholasticum: orare, ocioſum: lachrymas fundere miserum ac muliebre: egere, sordidum: vinci, turpe, parumque dignum eo, qui vix reges, etiam summos [b] ad pedum beatorum admittit oscula: denique mori, inamabile: tolli in crucem, infame. Restant sola hæc arma ac benedictiones dulces, [c] quarum meminit Paulus: atque harum quidem sunt sane quam benigni, interdictiones, suspensiones, aggravationes, redaggravationes, anathematizationes, ultrices

Vera mundi lumina) *Et hoc festivius est imitatione. Sic enim canitur de apostolis in hymno sacro.*

Ad pedum beatorum) *Id quoque gratiam habet ex immitatione.*

Quarum meminit Paulus) *Est in epistola ad Romanos cap. 16. Qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.*

[a] ultrices picturæ, ac fulmen illud terrificum, quo solo nutu mortalium animas vel ultra tartara mittunt. Quod ipsum tamen sanctissimi in Christo patres, & Christi vicarii, in nullos torquent acrius, quam in eos [b] qui instigante diabolo, patrimonia Petri minuere atque arrodere conantur. Cujus cum hæc vox sit in Evangelio, Reliquimus omnia, & sequuti sumus te, tamen hujus patrimonium appellant agros, oppida, vectigalia, portoria, ditiones. Pro quibus dum [c] zelo Christi accensi, ferro ignique

Ultrices picturæ) *Proponuntur enim Romæ picti in linteis, quam maxime odiosa specie, quos excommunicatos ostendunt. Ipse sedet furioso vultu, utrinque cacodæmones flammeam imponunt coronam, ignis sub pedibus, inscriptiones horrendæ, & tamen illi nec tantulum commoventur, ô hominum duriciem! Admonendus est iterum lector, ne quis sit tam iniquus interpres, ut hæc putet ad pontificum contumeliam pertinere. Non enim simpliciter hæc reprehendit, sed eos taxat, qui omnibus illis omissis, quæ vera pontificum sunt officia, sanctimonia, doctrina, & cæteris quæ recensuit, hæc sola sibi reservant, hisque ipsis utuntur, non ad salutem animarum, sed ad pecuniarum accumulationem. Id palam indicat, cum ait, Restant sola hæc. Et vides quam ubique temperat à fœdis. Alioqui si malos pontifices, & cardinales, suis pingere coloribus voluisset, norint hi qui Romæ vixerunt, quas fabulas potuerit in medium adducere. Verum, ne, quod mali faciunt, id à stultis conferatur in bonos, ad honorem Christiani nominis reticuit.*

Qui instigante diabolo) *Et hoc* μιμητικῶς *dicitur. Nam his verbis utuntur in suis bullis, ut vocant.*

Zelo Christi) Μιμητικῶς *& hoc. et belle conjunxit contraria. Est autem zelus, ut Ammonius ait,* ἡ δ' ὑπιθυμίας μίμησις γινομένη δοκοῦντος τιτὸς

que dimicant, non abſque plurimo Chriſtiani ſanguinis diſpendio, tum demum eccleſiam Chriſti ſponſam ſeſe credunt apoſtolice defendere, fortiter profligatis, ut vocant, hoſtibus. Quaſi vero ulli ſint hoſtes eccleſiæ perniciosiores, quam impii pontifices, qui [a] & ſilentio Chriſtum ſinunt aboleſcere, & [b] quæſtuariis legibus alligant, & coactis interpretationibus adulterant, & peſtilente vita jugulant. Porro cum Chriſtiana eccleſia ſanguine ſit condita, ſanguine confirmata, ſanguine aucta, nunc perinde quaſi Chriſtus perierit, qui more ſuo tueatur ſuos, ita ferro rem gerunt. Cumque bellum res ſit adeo immanis, ut feras, non homines deceat, adeo inſana, ut poetæ quoque fingant [c] à furiis immitti, adeo

τινὸς ζηλῶ, *id eſt, per deſiderium imitatio facta alicujus, quod videtur bonum. Eſt etiam zelus,* λύπη ὑπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς, οἷα ἂν ἑαυτῷ τις ἐπιθυμῆ περιποιῆσαι, *id eſt, dolor propter aliena bona, qualia quis ſibi acquirere ſtudet.*

Et ſilentio) *Quia non docent quid ſit Chriſtus, et quid ſit eſſe Chriſtianum.*

Quæſtuariis legibus) *Cujuſmodi ſunt non paucæ, quæ quæſtum olent magis quam pietatem. Chriſtus ſpiritalis eſt. ubi ſpiritus, ut apoſtolus ait, ibi libertas. Iſti legibus hoc agunt, ut populum habeant obnoxium. Qui quo magis perplexus eſt, hoc plus lucri redit ad Romanam curiam, ex litibus, ex diſpenſationibus, ex donationibus. Verus Chriſti vicarius nihil ſpectat, niſi lucrum pietatis.*

A furiis) *Vt apud Maronem Æneidos 7. Gorgoneis Alecto infecta venenis bellum excitat inter Æneam et Turnum.*

eo pestilens, ut universam morum luem simul invehat, adeo injusta; ut à pessimis latronibus optime soleat administrari, adeo impia, ut nihil cohæreat cum Christo, tamen, [a] omnibus omissis, hoc tantum agunt. His videas etiam [b] decrepitos senes juvenilis animi robur præstare, nec offendi sumptibus, nec fatigari laboribus, nec deterreri quicquam, si leges, si religionem, si pacem, si res humanas omneis sursum ac deorsum misceant. Neque desunt adulatores eruditi, qui istam manifestariam insaniam, zelum, pietatem, fortitudinem appellent, excogitata via, qua fieri possit, ut quis lethale ferrum stringat, adigatque in fratris sui viscera, manente nihilominus charitate illa summa, quam ex Christi præcepto debet proximo Christianus. Equidem incerta sum adhuc, utrum his rebus exemplum dederint, an potius hinc sumpserint, episcopi quidam Germanorum, qui simplicius, etiam omisso cultu, omissis benedictionibus aliisque id genus cæremoniis, plane satrapas agunt adeo, ut propemodum ignavum, parumque decorum episcopo putent, alibi, quam in acie, fortem animam deo reddere. Jam vero vulgus sacerdotum, nefas esse ducens, à præsulum suorum sanctimonia degenerare, euge quam militariter pro jure de-

Omnibus omissis) *Vides, optime lector, ut ubique circumspecte loquuta est. Non reprehendit, quod bellant pontifices, quod jure reprehendi poterat in omnibus etiam Christianis, mea quidem sententia: Sed eos damnat, qui cæteris omnibus omissis, solum id agunt, quod est omnium pessimum.*

Decrepitos senes) *Videtur significare Iulium secundum, qui tales tumultus excitavit mundo, ut nemo vere pius & Christianus possit absque gemitu meminisse. Videbuntur alicui fortassis hæc dicta liberius. Verum si quis rem penitus nosset, fateretur, modestissime dicta.*

decimarum, enſibus, jaculis, ſaxis, omnique armorum vi belligerantur! quam hic oculati, ſi quid ex veterum literis poſſint elicere, quod plebeculam territent, & quam decimas deberi convincant! At interim non venit in mentem, quam multa paſſim legantur de officio, quod illi viciſſim præſtare populo debeant. Nec ſaltem admonet eos vertex raſus, ſacerdotem omnibus hujus mundi cupiditatibus liberum eſſe oportere, neque quicquam niſi cœleſtia meditari? Sed homines ſuaves, ſe [a] ſuo officio probe perfunctos ajunt, ſi preculas illas ſuas [b] utcunque permurmurarint, quas me hercle demiror, ſi quis deus vel audiat vel intelligat, cum ipſi fere nec audiant, nec intelligant, cum eas ore perſtrepunt. Verũ hoc quidem ſacerdotibus eſt cum profanis commune, ut ad emolumenti meſſem vigilent omnes, [c] neque quiſquam ibi leges ignoret. Cæterum ſi quid ſarcinæ, id prudenter in alienos hũmeros rejiciunt, & aliis alii tanquam pilam per manus tradunt. Siquidem laici quoque principes, quemadmodum partes adminiſtrandi regni vicariis delegant, & vicarius item vicario tradit, ita pietatis ſtudium omne plebi [d] modeſtiæ cauſa relinquunt. Plebs in

Suo officio) *Sic enim interpretantur illud, Propter officium datur beneficium, quaſi utcunque dicere preculas, ſit totum ſacerdotis officium, cum ea pars ſit omnium infima, & laicorum potius quam ſacerdotum.*

Utcunque permurmurarint) *Audis & hic non damnari preces ſolennes ſacerdotum, ſed eos qui eas ſine intellectu, ac ſine mente, ſed non ſine tædio, demurmurant. Atq; utinam talibus non eſſet undique plenus mundus.*

Neque quiſquam ibi leges ignoret) *Vt de decimis, de oblationibus, de jure plebanı: &, Presbyteri duplicis honore digni ſunt. &, Qui altari ſervit, de altari vivat.*

Modeſtiæ cauſa) *Ironiam habet.*

in eos rejicit, [a] quos ecclesiasticos vocant, perinde quasi ipsis cum ecclesia nihil omnino sit commercii, quasi baptismi votis, nihil prorsus sit actum. Rursum sacerdotes qui sese vocant seculares, quasi mundo initiati, non Christo, in regulares onus hoc devolvunt, regulares in monachos, monachi laxiores in arctiores, omnes simul in mendicantes, mendicantes [b] in Carthusienses, apud quos solos sepulta latet pietas, & adeo latet ut vix unquam liceat conspicere. Itidem pontifices in messe pecuniaria diligentissimi, labores illos nimium apostolicos, in episcopos relegant, episcopi in pastores, pastores in vicarios, vicarii in fratres mendicantes. Hi rursum in eos retrudunt, à quibus ovium lana tondetur. Verum non est hujus jnstituti, pontificum ac sacerdotum vitam excutere, ne cui videar satyram texere, non encomium recitare, neve quis existimet, bonos principes à me taxari, [c] dum malos laudo. Sed hæc ideo paucis attigi, quo palam fieret, nullum esse mortalem qui suaviter vivere possit, nisi meis initiatus sit sacris, neque propiciam habeat. Nam id quo pacto fieri queat; cum

Quos Ecclesiasticos) *Omnes Christiani pertinent ad ecclesiam, cujus ministri sunt sacerdotes. Omnes Christiani religiosi sunt, astricti voto, in baptismo renunciantes mundo, satanæ, et pompis ejus. Quo voto non aliud potest esse sanctius, nisi quod jam consuetudine sic viluit, ut non habeatur pro voto.*

In Carthusienses] *Multum tribuit huic ordini, subsignificans tamen, plus apud hos esse cæremoniarum, quam veræ pietatis. Id quod fatentur et hi, qui inter hos sunt cordatiores.*

Dum malos laudo] *Mira facetia invertit. malos vocat, quos laudavit, hoc est, vituperavit hactenus. Nam à stulticia laudari, vituperari est.*

cum [a] ipsa etiam Rhamnusia, rerum humanarum fortunatrix, mecum adeo consentiat, ut sapienti-

Ipsa etiam Rhamnusia] *Rhamnusia dea est indignationis, quam Graeci* Νέμεσιν *vocant, sic dicta à Rhamnunte, Atticæ pago, ubi colebatur, quæ superbos aliosque contemnentes, qualis fuit Narcissus, punire credebatur. Vnde illud, quod Suidas citat:* Οὐκ ἔλαθε τὴν ἅπασιν ἐν ἀντιουμένην τοῖς ὑπερηφάνοις Νέμεσιν, ἀλλ' ἐνταῖς ἰδίαις ἠναγκάσθη παιδευθῆναι συμφοραῖς. παρῆν δὲ ἡ Νέμεσις, ἣ τὰ γῆς ἐποπτεύει. *id est: Non latuit omnibus contrariam superbis Nemesim, sed in propriis coactus fuit discere ærumnis. Aderat autem Nemesis, quæ ea quæ in terris sunt videt. Hic Rhamnusiam ipsam dicit Fortunam, quæ stultis favere dicitur. Vnde vulgato proverbio dicunt, Quo quisque est stultior, hoc est fortunatior. Contra, Sapientibus Rhamnusia semper fuit inimica. Hinc Sotades, videns sapientes omnes tristem fere habuisse exitum, indignatus scripsit,* Σωκράτην ὁ κόσμος πεποίηκε σοφὸν εἶναι, καὶ κακῶς ἀνεῖλε τὸν Σωκράτην ὁ κόσμος. Ἐν τῇ φυλακῇ κώνειον ὅτι πιὼν τέθνηκεν. Πουλύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν. Αἰσχύλῳ γράφοντι ἐπιπέπτωκε χελώνη. Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς, πνιγεὶς τέθνηκεν. Κύνες οἱ κατὰ Θράκην Εὐριπίδην ἔτρωγον. Τὸν θεῖον Ὅμηρον λιμὸς κατεδαπάνησεν. *id est: Socratem mundus fecit sapientem esse. Et male sustulit Socratem mundus. In carcere cicutam quoniam bibens mortuus est. Polypodem comedens Diogenes crudum mortuus est. Æschylo scribenti incidit testudo. Sophocles acinum comedens uvæ, suffocatus periit. Canes Thracii Euripidem voraverunt. Divinum Homerum fames confecit.*

bus istis semper fuerit inimicissima, contra stultis etiam dormientibus omnia commoda adduxerit? Agnoscitis [a] Timotheum illum, cui hinc etiam cognomen & proverbium, [b] Τοῦ εὕδοντος κύρτος αἱρεῖ. Rursum aliud [c] Γλαὺξ ἵπτταται. Contra in sapientes quaerant illia: Ἐν

Timotheum] *Hic dux erat Atheniensium, longe omnium fortunatissimus. de quo Suidas sic scripsit:* Ἐποίουν τε αὐτὸν ἐν εἰκόσιν οἱ ζωγράφοι κοιμώμενον, καὶ τὰς Τύχας φερούσας αὐτῷ εἰς δίκτυα πόλεις, καὶ πορθοῦντα αὐτὰς αἰνιττόμενος τὴν εὐδαιμονίαν αὐτοῦ, ἀλαζονευόμενος δὲ ἐπὶ εὐτυχίᾳ ὁ Τιμόθεος, ἔφη, αὐτοῦ εἶναι μᾶλλον, ἢ τῆς Τύχης, τὰ καταρθώματα. διὸ καὶ ἠτύχησεν ὕστερον, νεμεσησάσης αὐτῷ τῆς Τύχης. *id est! Finxerunt ipsum in imaginibus pictores dormientem, & Fortunas ferentes ipsi in retia civitates, & populantem eas, innuentes felicitatem ipsius. Superbiens autem propter bonam fortunam Timotheus, dixit, ipsius magis quam Fortunæ esse egregie facta. Quocirca infelicior evasit postea. indignante ipsi Fortuna.*

Οὗ εὕδοντος κύρτος αἱρεῖ) *Id est, Cujus dormientis rete capit. Hoc proverbium quadrat in eos, quibus citra laborem & conatum, omnia quæ cupiunt, eveniunt. Natum ab ipso Timotheo, qui vulgo* εὐτυχὴς, *id est. felix, cognominatus est, quod fortunatior quam prudentior haberetur.*

Γλαὺξ ἵπτταται) *Id est: Noctua volat. Noctua sacra est Minervæ. Ea dicta est Atheniensium male consulta in bonum vertere exitum, unde proverbium: Noctua volat.*

[a] Ἐν τετράδι γεγονὼς. &, [b] Equum habet Sejanum. &, Aurum Tolosanum. Sed desino [c] παροιμιάζεσθαι, ne videar Erasmi mei commentaria [d] suppilasse. Ergo ut ad rem. Amat fortuna parum cordatos, amat audaciores, & quibus illud placet, [e] Πᾶς ἐρρίφθω κύβος. At sapientia timidulos reddit, ideoq, vulgo videtis, sapientibus istis cum paupertate, cum fame, cum fumo rem esse; neglectos, inglorios, invisos vivere: stultos affluere nummis, admoveri Reip. gubernaculis, breviter, florere modis omnibus. Etenim si quis beatum existimet, principibus placuisse viris, & inter aureos illos [f] ac gemmeos deos versari, quid inutilius sapientia, immo quid apud hoc hominum genus damnatius? Sed divitiæ parandæ sunt. Quid tandē lucri facturus

Ἐν τετράδι γεγονὼς) *Id est: Quarta luna nati, proverbium est in eos, qui ex durissimis laboribus, quibus aliis prosunt, ipsi nihil fructus capiunt. Quod Hercules hac luna natus feratur.*

Equum habet Sejanum) *Utrunque proverbium dicebatur de extremo infortunio. unde natum sit, explicat Aul. Gallius.*

Παροιμιάζεσθαι) *Id est, proverbiari, sive proverbiis uti.*

Suppilasse,] *Id est, furtim usurpasse. Neminem nominatim taxavit, præter se ipsum. Quid potuit modestius?*

Πᾶς ἐρρίφθω κύβος) *Id est: Omnis jacta sit alea. Id Cæsar dixit Rubiconem transiturus, significans, se rem omnem semel periclitari velle.*

Principibus placuisse] *Alluſit ad illud Horatianum: Principibus placuisse viris, non ultima laus est.*

Ac gemmeos deos] *Significat, ni fallor, proceres aulicos gemmis insignes.*

rus est negotiator, si sapientiam secutus, perjurio offendetur, si in mendacio deprehensus erubescet, si anxios illos de furtis atque usuris sapientum scrupulos vel tantuli faciet? Porro si quis honores atque opes ambiat ecclesiasticas ad eas vel asinus, vel bubalus cicius penetrabit, quam sapiens. Si voluptate ducaris puellæ, maxima hujus fabulæ pars stultis toto pectore sunt additæ, sapientem haud secus & scorpium horrent, fugiuntque. Denique quicunque paulo festivius ac lætius vivere parant, sapientem in primis excludunt, ac [a] quodvis animal potius admittunt. Breviter, quoquo te vertas, apud pontifices, principes, judices magistratus, amicos, hostes, maximos, minimos, omnia præsentibus nummis parantur; quos uti contemnit sapiens, ita illum sedulo fugere consueverunt. Sed cum laudum mearum nullus sit modus, neque finis, tamen oratio aliquando finem habeat necesse est. Itaque desinam dicere, sed si prius ostendero paucis, non deesse magnos autores, qui me literis suis pariter ac factis illustrarint; ne cui forte stulte mihi soli videar placere, neve leguleii calumnientur, me nihil allegare. Ad ipsorum igitur exemplum allegabimus, hoc est, [b] Ὠδὶν πρὸς τὸν ὄνον, Principio illud omnibus vel notissimo proverbio persuasum est, [c] Ubi res abest, ibi simulationem esse optimam. Eoque recte statim traditur hic versus

Quodvis animal) *Pro quovis homine & emphasim habet.*

Ὠδὶν πρὸς τὸν ὄνον) *Id est, Nihil ad versum. proverbium est idem pollenc quod, Nihil ad rem. Est apud Aristophanem.*

Vbi res abest) *In his plane lusit ingenio, & partim jocosis argumentis, partim detortis, quod vult colligit.*

versus pueris: Stultitiam simulare loco, sapientia summa est. Vos jam ipsi conjicite, quam ingens sit bonum Stulticia, cujus etiam fallax umbra, & imitatio sola, tantum laudis meretur à coctis. Sed multo candidior pinguis ille ac nitidus Epicuri [a] de grege porcus [b] miscere stulticiam consiliis jubet, tametsi, brevem, non admodum scite addidit. Item alibi, [c] Dulce est desipere in loco. Rursum alio in loco, mavult delirus inersque videri, quam sapere, & ringi. Iam apud Homerum Telemachus, quem modis omnibus laudat poeta, subinde [d] νήπιος appellatur, atque eodem prænomine tanquam felicis ominis libenter pueros & adolescentes vocare solent tragici. Quid autem sacrum Iliadis carmen, nisi [e] Stultorum regum & populorum continet æstus? Porro quam absoluta laus illa Ciceronis? Stultorum plena sunt omnia. Quis enim ignorat, unumquodque bonum, quo latius patet, hoc esse præstantius? Atque fortassis apud Christianos horum levis est autoritas: Proinde sacrarum quoque literarum testimoniis, si videtur, laudes nostras fulciamus, sive, ut docti solent, * fundemus:

De grege porcus) *Ita Flaccus de se in epistolis: Me pinguem & nitidum bene curata cute vises, Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.*

Miscere stulticiam) *Idem in Odis: Misce stulticiam consiliis brevem.*

Dulce est) *Est & hoc in Odis.*

Νήπιος) *Duo significat Græcis νήπιος: puerum admodum sive parum prudentem; quod pueri per ætatem nondum sapere possunt. Quocirca apte Græci eos νηπίους dicunt quos Hebræi vocant* עוללים.

Stultorum regum) *Est in epistolis Horatianis.*

Fundemus) *Obiter taxat verbum Theologis familiare sed non perinde probatum, atque usitatum.*

demus: principio veniam à Theologis præfatæ, ut nobis fas esse velint: deinde, quoniam arduam rem aggredimur, Et fortassis improbum fuerit, [a] denuo Musas ex Helicone ad tantum itineris revocare, præsertim cum [b] sit alienior. Fortasse magis conveniet, optare, ut interim dum Theologum ago, perque has spinas ingredior, Scoti anima paulisper ex sua Sorbona in meum pectus demigret, quovis [c] hystrice atque erinaceo spinosior, mouque remigret quo lubebit, vel [d] ἐς κόρακας. Utinam & vultum alium liceat sumere, & ornatus adsit Theologicus. Verum illud interim vereor, ut quis me furti reum agat, quasi cinculum magistrorum nostrorum serinia compilaverim, quæ tantum rei Theologicæ teneam. Sed non adeo mirum videri debet, si tam diutina, quæ mihi arctissima est, cum Theologis consuetudine nonnihil arripui: cum [e] siculnus etiam ille deus Pria-

Denuo Musas) *Quoniam ante jam invocavit.*

Res sit alienior) *Id est, parum apta musis cum magis ad Theologos pertineat.*

Hystrice spinosior) *Hystrix animal est de genere erinaceorum, spinis aculeatum, quas mittit jaculitus. Plinius lib. 8. Hystrices, inquit, generat India & Africa, spina contectas, ex erinaceorum genere, sed hystrici longiores aculei, & cum intendit cutem, missiles. Ora urgentium figit canum, & paulo longius jaculatur. Hybernii autem se mensibus condit, quemadmodum ursæ reliquaque omnia, ut autor est Aristoteles, lib. de natura animalium 6. perinde ut ursa facit.*

Ἐς κόρακας) *Id est, in corvos, hoc est, in malam rem. Extat in proverbiis Græcorum, et explicatur in Chiliadibus Erasmi.*

Ficulnus etiam) *Talem finxit Horatius in Satyr. Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.*

Priapus, nonnullas [a] Græcas voces, legente domino, ſubnotarit tenueritque: & [b] gallus Lucianicus longo hominum convictu ſermonem humanum expedite calluerit. Sed jam ad rem, bonis avibus. Scripſit Eccleſiaſtes [c] capite primo: Stultorum infinitus eſt numerus. Cum numerum prædicat infinitum, nonne mortaleis univerſos complecti videtur, præter pauculos aliquot, quos haud ſcio an cuiquam videre contigerit? Sed magis ingenue confitetur hoc Hierem. cap. decimo: Stultus, inquiens, factus eſt omnis homo à ſapientia ſua. Soli deo tribuit ſapientiam, univerſis hominibus ſtulticiam relinquens. Ac rurſum paulo ſuperius: Ne glorietur homo in ſapientia ſua. Cur non vis hominem in ſua ſapientia gloriari, optime Hieremia? Nimirum, inquiet, ob id, quia non habet ſapientiam. Sed ad Eccleſiaſten redeo. Hunc, cum exclamat, Vanitas vanitatem, & omnia vanitas; quid aliud ſenſiſſe creditis, niſi, quemadmodum diximus, vitam humanam nihil aliud quam ſtulticiæ ludicrum eſſe?

Græcas voces) *Extat ridiculum Epigramma inter Priapeia. Quo fingitur Priapus horti cuſtos verba quædam græca ſubnotaſſe, domino legente Homerum, ſed depravate. Initium hujus eſt, Ruſticus indocte. ſi cui forte libeat inſpicere. Nam eſt perquam obſcœnum.*

Gallus Lucianicus) *Eſt in dialogo, quem modo citavimus.*

Bonis avibus) *Proverbiale eſt, cum rem feliciter cedere ſignificamus, ſicut malis avibus dicimus, cum res infeliciter cedit. ſumptum autem eſt ab augurum obſervatione.*

Capite primo) *Tacite ridet quorundam morem, qui nunquam non citant, atque id præclarum putant, ſi nominent partem, diſtinctionem, capitulum, paragraphum, columnam, denique verſum.*

esse? nimirum Ciceronianæ laudi [a] album addit calculum, cujus optimo jure celebratur illud quod modo retulimus: Stultorum plena sunt omnia. Rursum sapiens ille Ecclesiasticus, qui dixit, Stultus mutatur ut luna, sapiens permanet ut sol, quid aliud innuit, nisi, mortale genus omne stultum esse, soli deo sapientis nomen competere? Siquidem lunam humanam naturam interpretantur, solem omnis luminis fontem deum. Huic astipulatur quod ipse Christus in Evangelio negat, quenquam appellandum bonum, nisi deum unum: Porro si stultus est, quisquis sapiens non est, & quisquis bonus, idem sapiens, autoribus Stoicis; nimirum mortales omneis stulticia complectatur, necessum esse. Iterum Salomon capite decimo quinto: Stulticia, inquit, gaudium stulto, videlicet manifeste confitens, sine stultitia nihil in vita suave esse. Eodem pertinet illud quoque: Qui apponit scientiam, apponit dolorem & in multo sensu multa indignatio. An non idem palam confitetur egregius ille concionator, capite septimo? Cor sapientum, ubi tristitia esi, & cor stultorum, ubi læticia. Eoque non satis habuit sapientiam perdiscere, nisi nostri quoque cognitionem addidisset. Quod si mihi parum habetur fidei, ipsius accipite verba, quæ scripsit capite primo: Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stul-

[a] Album addit calculum) *Id est, approbat. Græcis proverbio dicitur,* λευκὴν ψῆφον προσθεῖναι, *id est, album calculum addere, pro comprobare. Lucianus in Apologo:* Οὐκ ἐν παρέργῳ θέμενος τὴν λευκὴν παράσου ψῆφον καὶ πλήρη μοι ἐνεχθῆναι *Haud abs te ducens, album à te calculum & plenum mihi inferri. Vnde Græci simplici verbo dicunt* ἐπιψηφίζειν *pro comprobare.*

& ſtulticiam. Quo quidem loco illud animadvertendum, ad ſtulticiæ laudem pertinere, quod eam poſteriore poſuit loco. Eccleſiaſtes ſcripſit, & hunc ſcitis eſſe ordinem eccleſiaſticum, ut qui dignitate primus ſit, is locum obtineat extremum, vel hic certe memor Euangelici præcepti. Sed ſtultitiam præſtantiorem eſſe ſapientia, & Eccleſiaſticus ille, quiſquis fuit, liquido teſtatur, capite quadrageſimo quarto cujus mehercle verba non prius proferam, quam [a] εἰσαγωγὴν meam commoda reſponſione adjuveritis, ut faciunt apud Platonem hi qui cum Socrate diſputant. Vtra magis convenit recondere, quæ rara ſint & precioſa, an quæ vulgaria viliaque? Quid tacetis? Etiam ſi vos diſſimuletis proverbium illud Græcorum pro vobis reſpondet, [b] τὴν ὕδρίαν ἐπὶ θύραις. quod nequis impie rejiciat, refert Ariſtoteles magiſtrorum noſtrorum deus. An quiſquam veſtrum tam ſtultus eſt, ut gemmas & aurum in via relinquat? non hercle opinor. In abditiſſimis penetralibus, nec id ſatis in munitiſſimorum ſcriniorum ſecretiſſimis angulis, iſta reponitis, cœnum in propatulo relinquitis. Ergo ſi, quod precioſius eſt, reconditur, quod vilius, exponitur, nonne palam eſt, ſapientiam, quam vetat abſcondi, viliorem eſſe ſtulticia quam recondi jubet? Jam ipſius teſtimonii verba accipite. Melior eſt homo qui abſcondit ſtultitiam ſuam,

Εἰσαγωγὴν meam) Εἰσαγωγὴ, *id eſt, inductio. genus eſt argumentationis, cum ex ſimilibus conceſſis colligitur id quod volumus. Frequens eſt in hoc Socrates Platonicus. Sed adverſarium commode reſpondentem facit. id quod notat etiam Quintilianus.*

Τὴν ἐπὶ θύραις ὕδριαν.) *id eſt, In oſtiis hydriam. refert in Rhetoricis. Hydria ceu res vilis relinquitur in oſtio, ſed precioſa reponuntur.*

ſuam, quam homo qui abſcondit ſapientiam ſuam. Quid quòd animi quoque candorem divinæ literæ ſtulto tribuunt, cum ſapiens interim neminem ſui ſimilem putet. Sic enim intelligo id quod ſcribit Eccleſiaſtes capite decimo; Sed & in via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omneis ſtultos exiſtimat. An non iſtud eximii cujuſdam candoris eſt, omnes æquare tibi ipſi, cumque nemo non magnifice de ſe ſentiat, omnibus tamen tuas communicare laudes? Proinde nec puduiit tantum regem hujus cognominis, cum ait capite trigeſimo: Stultiſſimus ſum virorum. Neque Paulus ille magnus gentium doctor, Corinthiis ſcribens, ſtulti cognomen illibenter agnoſcit: Ut inſipiens, inquit, dico, Plus ego. perinde quaſi turpe ſit vinci ſtulticia. Sed interim obſtrepunt mihi Græculi quidam, qui tot hujus temporis Theologorum, ceu [a] cornicum, oculos ſtudent configere, dum annotationes ſuas, veluti fumos quoſdam, aliis offundunt. cujus gregis ſi non [b] Alpha, certe Beta, meus eſt Eraſmus, quem ego ſæpius honoris cauſa nomino. O vere ſtultam, inquiunt, & ipſa dignam Moria citationem! Longe diverſa mens apoſtoli, quam tu ſomnias. Nec enim hoc agit his verbis, ut cæteris ſtultior haberetur: Verum, cum dixiſſet, Miniſtri

Cornicum oculos configere) *Proverbio dicuntur configere corniculorum oculos, qui novo quopiam invento efficiunt, ut priores nihil ſapere videantur, ut copioſius explicat in Chiliadib. ſuis Eraſmus.*

Alpha, certe Beta) *Alpha, id eſt, primus, & Beta, ſecundus. Quod α apud Græcos prima ſit litera, β ſecunda. Aperte rurſus jocatur in ſe ipſum, alludens ad hoc, quod ſcripſit annotationes in novum teſtamentum, & in opera divi Hieronymi, opus utrunque ipſi laborioſiſſimum, ſtudioſis omnibus utiliſſimum.*

Ministri Christi sunt ; & ego : seque veluti jactabundus in hac quoque parte æquasset cæteris : per correctionem adjecit, Plus ego ; sentiens, se non modo parem reliquis apostolis in Evangelii ministerio, verum etiam aliquanto superiorem. Idque cum ita verum videri vellet, ne tamen ut arrogantius dictum offenderet aures,, præmuniit stulticiæ prætextu ; Vt minus sapiens dico : propterea quod sciret, esse stultorum privilegium, ut soli verum citra offensam proloquantur. Verum quid Paulus senserit cum hæc scriberet, ipsis disputando relinquo. Ego magnos, pingues, crassos , & vulgo probatissimos Theologos sequor, cum quibus magna pars doctorum errare [a] νὴ † Δία malit quam cum istis [b] trilinguibus bene sentire. Neque quisquam illorum, [c] Græculos istos pluris facit, quam graculos: præsertim cum quidam [d] glorioſus Theologus (cujus ego nomen prudens supprimo, ne graculi

Νὴ † Δία) *Id est, per Iovem, sic enim Græci jurant. festiviter autem adjecit juramentum rei ridiculæ.*

Trilinguibus) *Tres linguæ sunt, Græca, Latina & Hebraica, quibus traditæ sunt omnes scientiæ, tam humanæ quam divinæ. quas adeo necessarias veteres ad sacras literas judicabant, ut etiam decretis pontificiis cautum sit, ut linguarum noticia in scholis publicè traderetur, quod sine his sacrarum literarum mysteria non intelligi posse judicarent. Cæterum nostri Theologi adeo sunt à alecticis argutiis* dediti, *ut ne Latinam quidem discere curent.*

Græculos istos) *Festiva* προσονομασία, *in graculis & Græculis.*

Glorioſus Theologus) *locus est ab ambiguo, quod* glorioſus *dicatur celebris , quem Græci vocant* ἔνδοξον, *& jactabundus , quem illi vocant* ἀλαζόνα.

culi nostri continuo Græcum in illum scomma jaciant, [a] Ὄνος πρὸς λύρας) [b] magistraliter & theologaliter hunc passum enarrans, ab hoc loco (Vt minus sapiens dico: Plus ego:) novum facit caput, &, quod absque summa dialectica non poterat, novam addit sectionem, ad hunc interpretans modum: (adducam enim ipsius verba, [b] non solum in forma, verum etiam in materia.) Vt minus sapiens dico: id est, si videor vobis insipiens, me pseudapostolis adæquando, adhuc videbor vobis minus sapiens, me eis præferendo. Quanquam idem paulo post, velut oblitus sui, alio delabitur. Sed cur anxie me unius exemplo tueor? cum hoc publicum jus sit Theologorum, cœlum, hoc est, divinam scripturam, ceu pellem extendere: cum apud divum Paulum pugnent divinæ scripturæ verba, quæ suo loco non pugnant, si qua fides illi [c] πενταγλώττῳ Hieronymo: cum Athenis forte conspectum.

Ὄνος πρὸς λύραν) *Id est, asinus ad lyram Allusit ad cognomen Nicolai de Lyra.*

Magistraliter & theologaliter) *Hæc sunt barbara eorum verba, quæ data opera per jocum imitatus est, quemadmodum dixit passum pro locum.*

Non solum informa) *Festiviter alludit ad id quod ipsi dicunt, Verba in forma, & ideo jocans addit, verum etiam in materia.*

Πενταγλώττῳ) *Id est, quinquelinqui, ut ita loquar. Nam constat, Hieronymum scivisse Græce, Latine, Hebraice, Chaldaice, & Dalmatice. Hic scribens super epistolam Pauli ad Titum, ostendensque, Paulum abusum esse testimonio ethnicorum poetarum: ut Epimenidis Cretensis, qui dixit,* Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί, *id est, Cretes semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri; Item Arati, qui in principio* τῶν φανομένων dixit,

ſpectum aræ titulum torqueret in argumentum fidei Chriſtianæ, ac cæteris omiſſis, quæ cauſſæ fuerant offectura, duo tantum extrema verba decerpſerit, nempe hæc, Ignoto deo; atque hæc quoque nonnihil immutata; ſi quidem integer titulus ſic habebat. Diis Aſiæ, Europæ, & Africæ: diis ignotis, & peregrinis. Ad hujus, opinor, exemplum paſſim jam [a] οἱ τῶν θεολόγων παῖδες, hinc atque hinc revulſa quatuor aut quinque verbula, &, ſi

dixit, Τῶν γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν id eſt, *Hujus genus ſumus*; & *Menandri*, *dicentis*, θεῖρουσ' ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί, *id eſt*, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*: *ſic ait*: *Nec mirum eſt ſi opportunitate temporis gentilium poetarum verſibus abutitur, cum etiam de inſcriptione aræ aliqua commutans ad Athenienſes loquutus eſt, Pertranſiens enim, inquit, & contemplans culturas veſtras, inveni & aram, in qua ſuperſcriptum eſt, Ignoto deo. quod utique ignorantes colitis, hoc ego annuncio. Inſcriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus aſſeruit, Ignoto deo: ſed ita: Diis Aſiæ & Europæ, & Africæ, diis Ignotis & peregrinis. Verum quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, ſed uno tantummodo ignoto deo, ſingulari verbo uſus eſt, ut doceret, illum ſuum eſſe deum, quem Athenienſes in aræ titulo prænotaſſent, & recte eum ſcientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & neſcire non poterant.*

Οἱ τῶν θεολόγων παῖδες) *Id eſt, Theologorum filij, hoc eſt, ipſi Theologi. Alluſit enim ad Lucianum, qui* ἰατρῶν παῖδας, *id eſt, medicorum filios, ſæpicule ipſos medicos vocavit.*

ſi quid opus eſt, etiam depravata, ad ſuam accommodant utilitatem, licet ea quæ præcedunt & conſequuntur, aut nihil omnino faciant ad rem, aut reclament quoque. Quod quidem faciunt tam feliei impudentia, ut ſæpenumero Theologis invideant [a] jure conſulti. Quid enim illis jam ſuccedat, poſteaquam magnus ille (pœne nomen effutiveram ; ſed rurſus metuo Grecum proverbium) ex Lucæ verbis ſententiam expreſſerit, tam conſentaneam animo Chriſti, [a] quam igni cum aqua convenit. Etenim

Jure conſulti) *Nam vulgo jureconſultorum mos eſt ea citare. quæ nihil ad rem faciunt, cum putent pulchrum eſſe, quam plurima. & ſi his nullus locus eſt, inculcare. Quos Theologi noſtri adeo imitantur, ut etiam vincant.*

Magnus ille) *Nicolaum de Lyra intelligit, qui ſcribens ſuper Lucam, dicit per gladium, quem Chriſtus voluerit emi, intelligendam eſſe moderatam defenſionem. Quaſi vero Chriſtus, prioris doctrinæ pœnitudine ductus, qua toties docuit, beatos eſſe qui perſecutionem paterentur propter juſticiam, item, cæſum unam maxillam, debere præbere alteram, jam mortem perpeſſurus, oſtenſuruſque eam contemnendam, reprehendenſque Petrum, quod ſe gladio tueri pararet, jam inquam, ipſos apoſtolos ad arma vocaret, hortareturque eos, tanquam milites mundanos armata manu prædicare Evangelium!*

Quam igni cum aqua convenit) *Nam quemadmodum ignis & aqua ſunt contraria, ſic Chriſtus & mundus, doctrinaque Chriſti, & mundi opinio. Mundus plenus eſt opinionibus corruptis, Chriſtique doctrinæ contrariis. Quo circa Chriſtus venit in mundum, ut evulſis corruptis illis opinionibus inſereret novas, mundo inauditas. Siquidem Chriſtus ſuos voluit eſſe divites, non variarum rerum affluentia, & copia, ut mundi*

nim cum immineret extremum periculum, quo tempore ſolent clientes maxime ſuis adeſſe patronis, &, quanta valent ope,[a] συμμαχεῖν, Chriſtus hoc agens, ut omnem hujuſmodi præſidiorum fiduciam eximeret ex animis ſuorum, percontatus eſt eos, nunquid rei defuiſſet uſquam, cum illos emiſiſſet, adeo non inſtructos viatico, ut nec calceis muniret adverſus ſpinarum & ſaxorum injuriam, nec peram adderet adverſus famem. Vbi negaſſent defuiſſe quicquam, adjecit: Sed nunc, inquit, qui habet ſacculum, tollat; ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam, ſuam, & emat gladium. Cum tota Chriſti doctrina nihil aliud inculcet, quam manſuetudinem, tolerantiam, vitæ contemptum; cui non perſpicuum, quid hoc loco ſentiat? nempe ut magis etiam exarmet ſuos legatos, ut non tantum calceos negligant & peram, verum & tunicam inſuper

mundus, ſed omnium contemptu: ſuos voluit eſſe fortes, non robore corporis & armis, ſed mortis contemptu: ſuos denique beatos exilio, carceribus, perſecutionibus, & morte. At neotirici iſti Theologi, volentes mundum Chriſto conjungere, eaque Chriſtiana ducentes quæ à quam plurimis, hoc eſt, mundo ſunt; voluptates, bellum, arma, duas veſtes, omnia denique mundana, modo temperata ſint, ut ipſi dicunt concedunt.

Συμμαχεῖν) *Id eſt, alii in bello adeſſe* σύμμαχος *ſocius belli dicitur, &* συμμαχία *confœderatio belli illius quod alii infertur: quemadmodum* ἐπιμαχία *ſocietas ſubſidiaria eſt, quo invadentes ſolum repelluntur. Vnde Thucydides in primo dixit,* Κερκυραῖοι γὰρ Ἀθηναίους συμμαχίαν μὲν οὐ ποιήσασθαι, ἐπιμαχίαν δέ, *id eſt, Corcyrenſes & Athenienſes confœderationem belli non iniiſſe, ſed ſubſidiariam ſocietatem.*

insuper abjiciant, nudique & prorsus expediti munus Evangelicum aggrediantur; nihil sibi parent, nisi gladium; non istum quo grassantur latrones, & parricidæ; [a] sed gladium spiritus, in intimos quoque pectoris sinus penetrantem; qui semel affectus omneis sic amputat, ut nihil jam illis cordi sit, præter pietatem. At videte, quæso, quorsum hæc torqueat celebris ille Theologus. Gladium, interpretatur defensionem adversus persecutionem; sacculum, sufficientem commeatus provisionem: perinde quasi Christus, commutata in diversum sententia, quod oratores suos parum [b] βασιλικῶς instructos emisisse videretur, superioris institutionis palinodiam canat: aut velut oblitus quod dixerat, [c] beatos fore, cum probris, contumeliis, & suppliciis afficetentur [d] prohibens

Sed gladium spiritus) *Sic enim divus Ambrosius, scribens super Lucam, ait: Est gladius spiritalis, ut vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penitralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, ut exuas corpus, & immolatæ carnis exuviis ematur tibi sarci corona martyrii. quod ex benedictionibus dominicis colligere potes, qui summam omnium coronarum, si quis persecutionem patiatur pro justitia, prædicavit.*

Βασιλικῶς) *Id est, regaliter & magnifice. quo verbo sæpe utitur Lucianus.*

Beatos fore) *Retulit verba Matthei ex cap. quinto: Beati estis, cum maledixerint vobis homines &c. Quo loco Christus dimissa turba sedens in monte, divina illa suæ doctrinæ oracula discipulis suis, hoc est, Christianis prodidit. Quæ mirum quam nunc à Christianorum vulgo negliguntur, immo pæne ridentur.*

Prohibens ne quando) *Est apud Matthæum eodem capite: Ego autem dico vobis, non resistere malo:*

sed

hibens ne quando resisterant malo; [a] mites enim beatos esse, non feroces) oblitus [b] quod illos ad passerum & liliorum exemplum vocarit, nunc adeo noluerit eos absque gladio proficisci, ut eum vel tunica divendita jubeat emi, malitque nudos ire, quam non accinctos ferro. Adhæc, quemadmodum gladii nomine contineri putat quicquid ad depellendam vim pertinet, ita marsupii titulo complectitur quicquid ad vitæ pertinet necessitatem. Atque ita [c] divinæ mentis interpres apostolos lanceis, balistis, fundis

sed si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram: & ei, qui vult tecum contendere in judicio, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium &c. Cum addit, Ego dico, declarat, hanc esse peculiarem suam doctrinam, nec à Moyse traditam, nec ab ullo philosophorum, sed quam sequi debeant, qui videri velint discipuli Christi. Sed indignum est, hæc vel irrideri, vel coactis interpretationibus depravari ab his, qui se maxime Christianos videri volunt. Nam non assequi, imbecillitatis est humanæ: irridere vero, summæ impietatis: interpretatione depravare, fraudulentiæ, cum impietate conjunctæ. Quod autem ait, non esse resistendum malo, non sic accipiendum, ut non admoneantur, aut increcrepentur, qui scelerate agunt; cum id & Christus fecerit, & apostoli; sed ne malum repellamus malo, quemadmedum vulgus facit, hoc est, vim vi, ferrum ferro, injuriam injuria, calumniam calumnia.

Mites enim beatos esse) *Eodem est loco.* Ferox *proprie dicitur animo elato, & paratus ad retaliandam contumeliam.*

Quod illos ad passerum) *Hoc est Mat. 6.*

Divinæ mentis interpres) Εἰκοονικῶς. *cum commentum illius sit à divina mente alienissimum.*

fundis & bombardis instructos [a] educit ad prædicationem [b] crucifixi. Loculis item, [c] vidulis, & sarcinis onerat, ne forte non liceat illis è diversorio discedere, nisi impransis. [d] Nec vel illud commovit hominem, quod ensem, quem tantopere jusserat emi, mox idem objurgans jubeat recondi· quoque nunquam fando auditum, apostolos ensibus aut clypeis usos adversus vim ethnicorum, utique usuros, si Christus hoc sensisset, quod hic interpretatur. (e) Est alius, quem honoris causa non nomino, haudquaquam postremi nominis, qui è tentoriis, quorum meminit Habacuk, (Turbabuntur pelles terræ Madian,) pellem fecerit Bartholomæi excoriati.

Educit) *Apto usus est verbo. nam miles proprie dicitur educi in aciem pugnaturus.*

Crucifixi) *Emphasis est in Nomine crucifixi. quod mimine conveniat, cum qui ad crucem usque perpessus est omnia, suos discipulos, quos utique sui imitatores esse jubet, latronum armis instructos ad prædicationem Evangelii jubere proficisci.*

Vidulis) *Vidula scriniola dicuntur corio obtecta.*

Nec vel illud commovit) *Notat interpretis stulticiam, cum non viderit, suum commentum non cohærere cum vita apostolorum. Etenim si Christus hoc sensit, quod ille interpretatur, impij fuerunt apostoli, qui magistri præceptum tantopere neglexerunt, ut nunquam vel pugionem habuisse legantur ad sui defensionem.*

Est alius) *Quantum memini, est inter sermones dictos Iordani. Nam ille deceptus vocabulo pellium, quod historici pro castrensibus tentoriis utuntur, quod olim è pellibus solebant confici tabernacula, pro cute humana interpretatur, præsertim cum illa Bartholomæi historia parum obtineat autoritatis.*

excoriati. [a] Ipsa nuper interfui dissertationi Theologicæ. (nam id facio frequenter.) Ibi cum quispiam exigeret, [b] quæ tandem esset divinarum literarum autoritas, quæ juberet hæreticos incendio vinci magis, quam disputatione revinci; Senex quidam severus, & vel supercilio teste Theologus, magno stomacho respondit, hanc legem tuliſſe Paulum apostolum, qui dixerit: [c] Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita. Cumque ea verba identidem intonaret, & plerique demirarentur [d] quid accidisset homini, tandem explanavit, [e] de vita tollendum hæreticum. Risere quidam, nec deerant tamen quibus hoc commentum plane Theo-

Ipsa nuper interfui) *Facete significat, Theologarum quorundam disputationes non carere stultitia.*

Quæ tandem esset) *Antiquitus deploratorum hæreticorum extrema pœna erat, ut excluderentur à communione Christianorum, si revicti disputatione, nollent mutare sententiam. Deinde accessit imperatorum autoritas, & metu supplicii cœperunt compelli. Nunc nec audiuntur sæpenumero, nec redarguuntur, sed duntaxat judicantur, & incendio puniuntur.*

Vel supercilio teste) *Quasi nihil haberet Theologi, præter supercilium, & vultus truculentiam.*

Hæreticum hominem) *Est ad Titum cap 3. Nec illic agit Paulus de his hæreticis, quos nos vulgo vocamus, sed de contentiosis disputatoribus, qui de nugis magnas excitant disputationum tragœdias.*

Quid accidisset homini) *Ita loquuntur, cum significant insaniam, aut rem vehementer novam, quod Græci significantius, τί λαθρα.*

De vita tollendum hæreticum) *Adeo crassus erat iste Theologus, ut non intellexerit, devita verbum esse à devitando, non præpositionem cum hoc nomine vita.*

Theologicum videretur: cæterum reclamantibus etiamnum nonnullis, seceſſit [a] Τενέδιος, quod aiunt, συνηγόρος & autor irrefragabilis. Accipite rem, inquit: Scriptum eſt, Maleficum ne patiaris vivere: omnis hæreticus, maleficus: [b] ergo &c. Mirati quotquot aderant, hominis ingenium & in eam ſententiam [c] itum eſt pedibus, & quidem peronatis. Neque cuiquam venit in mentem, legem eam ad ſortilegos & incantatores ac magos attinere, quos Hebræi ſua lingua vocant [d] מכשפים, aloqui fornicationem & ebrietatem capite punire, oportuit. Verum hæc ſtulte perſequor, tam innumera,

Τενέδιος συνηγόρος) *Id eſt, tenedius patronus, dicitur is, qui compendio cauſam expedit, litiſque nodum ocius diſſecat. Ductum à Tenedia ſecuri, quæ protinus calumniæ convicium diſſecare ſolita fuit. de qua plura in Chiliadibus.*

Ergo &c.) *Ridet frigidos Theologorum ſyllogiſmos in rebus tam ſeriis.*

Itum eſt pedibus) *Ire pedibus in ſententiam, eſt approbare quod alii dixerint. facete vero addidit, & quidem peronatis, quod pero genus ſit calceamenti ruſticani.*

מכשפים) *Id eſt, magicos.* כשף *enim id eſt, incantavit, verbum eſt. à quo per præpoſitionem* מ *denominativum* מכשף, *id eſt, incantator, ſive magus: ſicut à* לאך, *id eſt, nunciavit,* מלאך, *id eſt, angelus. In Hebræo autem non habetur ſic, ſicut citavit ſuperciliosus ille Theologus ſed Exod. capit. 22. ſcriptum eſt,* מכשפה לא תחיה, *id eſt, incantatrix non vivat. ubi* מכשפה *ponitur in fœminino genere: quod interpretes Hebræi idcirco factum eſſe dicunt, quod mulierculæ, & præcipue aniculæ, plus hac peſte infectæ ſunt, quam viri, ut etiam nos nimis ſæpe in Germania noſtra videmus.*

ut [a] nec Chryſippi, nec Didymi voluminibus omnia comprehendi poſſint. Illud duntaxat admonitos volebam: Cum hæc divinis illis magiſtris licuerint; mihi quoque, plane [b] συχίνη θεολόγῳ, par eſt dare veniam, ſi minus omnia ad amuſsim citavero. Nunc tandem ad Paulum redeo: [c] Libenter, inquit, fertis inſipientes: de ſeſe loquens. Et rurſum: Velut inſipientem accipite me. &: Non loquor ſecundum deum ſed quaſi in inſipientia. Rurſus alibi: [d] Nos, inquit, ſtulti propter Chriſtum. Audiſtis à quanto autore quanta ſtultitiæ præconia. Quid, quod idem palam ſtultitiam præcipit, ut rem in primis neceſſariam, & oppido ſalutarem? [e] Qui videtur eſſe ſapiens inter vos, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. [f] Et apud Lucam, duos diſcipulos, quibus ſe junxerat in via Jeſus, ſtultos appellat. Illud haud ſcio, an mirum videatur, cum deo quoque nonnihil ſtulticiæ tribuit

Nec Chryſippi, nec Didymi) *Chryſippus philoſophus de Dialecticis infinita conſcripſit volumina, plena frivolis argutiis. Didymus Grammaticus, mille conſcripſit libros miſer ſi tantum voluminum fuiſſet evolvendum, ut ſcripſit Seneca.*

Συχίνη θεολόγῳ) *Id eſt, ficulneæ Theologo. Veteres quicquid effœminatum contemptumque videri vellent, ficulnum appellabant. Vnde proverbium, συχίνη ἐπικουρία, id eſt, ficulneum auxilium. συκῆν ἄνδρα, id eſt, ficulneus vir.*

Libenter, inquit, fertis) *Eſt ad Corinthos prima capite quarto.*

Qui videtur eſſe) *Eſt in prima ad Corinth. capite 3.*

Et apud Lucam) *Eſt Lucæ vigeſimo quarto.*

tribuit divinus ille Paulus. [a] Quod ſtultum eſt, inquit, dei, ſapientius eſt hominibus. Porro Origenes interpres obſiſtit, quo minus hanc ſtulticiã ad hominum opinionem poſſis referre: [b] quod genus eſt illud, Verbum crucis pereuntibus eſſe ſtulticiam. Sed quid ego fruſtra anxia, teſtimoniis hæc docere pergo? cum in pſalmis myſticis palam ipſe Chriſtus loquatur patri, [c] Tu ſcis inſipientiam meam. Neque vero temere eſt, quod Deo ſtulti tam [d] impenſe placuerunt. opinor propterea, quod quemadmodum ſumi principes nimium cordatos ſuſpectos habent & inviſos, ut [e] Julius Brutum & Caſſium, cum ebrium Antonium nihil metueret,

Quod ſtultum eſt, inquit) *Eſt prima ad Corinthios, capite* 1. *Non quod ſit aliquid ſtultum in deo, ſed quod infima pars ſapientiæ divinæ ſuperat ſummam hominum ſapientiam. Et quemadmodum ſumma hominum juſtitia, collata ad divinam ſit injuſtitia: ita ſumma hominum ſapientia ſit ſtultitia, ſi conferatur ad dei ſapientiam.*

Quod genus eſt illud) *Eſt ad Corinth* 1. *cap.* 1.

Tu ſcis inſipientiam meam) *Facete detorquet hoc ad ſuum commodum. Quanquam Chriſtus illic loquitur ſub perſona ſuorum membrorum.*

Impenſe) *Id eſt, valde. quod & impendio dicunt.*

Julius Brutum) *Nam Brutus & Caſſius conſpiraverunt in Cæſarem. Is cum admoneretur, ut caveret ab Antonio, reſpondit ſe nihil metuere craſſos illos & ebrios, ſed potius pallidos & ſobrios, Brutum & Caſſium ſignificans.*

Nero Senecam) *Seneca præceptor Neronis, ab eo juſſus eſt mori, non ob aliud, niſi quod aliquoties liberius admoneret, quid deceret imperatorem facere.*

tueret, utque [a] Nero Senecam, [b] Dyonyſius Platonem, contra craſſioribus ac ſimplicioribus ingeniis delectantur: itidem Chriſtus σοφὸς iſtos ſuæque nitentes prudentiæ ſemper deteſtatur, ac damnat. Teſtatur id Paulus haudquaquam obſcure, cum ait, [b] Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus: eumque ait, deo viſum eſſe, [d] ut per ſtultitiam ſervaret mundum, quandoquidem per ſapientiam reſtitui non poterat. Quin ipſe idem ſatis indicat, clamans per os prophetæ, [e] Perdam ſapientiã ſapientium & prudentiam prudentium reprobabo. Rurſum cum agit gratias quod ſalutis myſterium celaſſet ſapientes, parvulis autem, hoc eſt ſtultis, aperuiſſet. Nam Græce pro parvulis eſt νηπίοις, quos oppoſuit σοφοῖς, Huc pertinet quod paſſim in Euangelio Phariſæos & Scribas, ac legum doctores inceſſit, vulgus indoctum ſedulo tuetur. Quid enim aliud eſt, Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi, quam, Væ vobis ſapientes? At parvulis, mulieribus, ac piſcatoribus potiſſimum delectatus eſſe videtur. Quin & ex animantium brutorum genere, ea potiſſimum placent Chriſto, quæ à vulpina prudentia quam longiſſime abſunt. Eoque aſino maluit inſidere: cum ille, ſi libuiſſet, vel leonis tergum impune potuiſſet premere. Ac ſpiritus ille ſacer in columbæ

Dyonyſius Platonem) *Plato hoc animo navigavit in Siciliam, ut Dionyſium regem traheret ad ſtudium philoſophiæ. Sed apud impotentem juvenem plus valuerunt adulatorum voces quam ſanctiſſimi philoſophi monita.*

Quæ ſtulta) *Eſt ad Corint. 1. cap. 1.*

Ut per ſtultitiam) *Eſt eodem cap.*

Perdam ſapientiam) *Paulus citat ex Eſaiæ prophe-ta, ad Corinthios prima, capite primo.*

[a] columbæ specie delapsus est, non [b] aquilæ aut milvi. Præterea [c] cervorum, hinnulorum, agnorum

Columbæ specie) *Hæc avis adeo simplex est, ut Christus voluerit apostolos suos harũ simplicitatẽ emulari, cum ait,* Γίνεσθε ἀκέραιοι ὡς περιστεραί. *Id est, Sitis simplices sive sinceri, ut columbæ. Adhæc pudicitia columbis prima, & neutri nota adulteria; conjugii fidem non violant, communemque servant domum: nisi cœlebs, aut vidua, domum non relinquit. Et imperiosos mares, subinde etiam iniquos, ferunt, ut Plinius scribit lib. 10. Aristoteles historiæ animalium lib. 9. de columbis loquens, dicit:* Οὔτε συνδυάζεσθαι θέλουσι πλείοσι οὔτε προαπολείπουσι τὴν κοινωνίαν, πλὴν ἐὰν χῆρος ἢ χῆρα γένηται. ἔστι δὲ περὶ τὴν ὠδῖνα δεινὴ ἡ τοῦ ἄρρενος θεράπεια, καὶ συναγανάκτησις: *id est; Neq; cum pluribus coire volunt, neque conjugium relinquunt, nisi cœlebs aut vidua. Est autem circa partum gravis masculi cura, fœminæque condolet.*

Aquila) *Plinius in 10. & Aristoteles in 9. varia ponunt aquilarum genera. quibus fere omnibus commune est, rapto vivere: sunt enim omnes ex* Γαμψωνύχων *genere.*

Cervorum) *Plinius lib. 8. de cervis loquens, ait: Cæterum animal simplex, & omnium rerum miraculo stupens, in tantum, ut equo aut bucula accedente propius hominem juxta venantem non cernant aut si cernant arcum ipsum sagittasque mirentur. Aristoteles quoque libro historiæ animalium nono, horum simplicitatem indicat, cum ait:* Ἁλίσκονται δὲ θηρευόμεναι αἱ ἔλαφοι συριττόντων καὶ ἀδόντων. ὥστε καὶ κατακλίνονται ὑπὸ τῆς ἡδονῆς. δύο δ' ὄντων, ὁ μὲν φανερως ᾄδει ἢ συρίττει, ὁ δὲ ἐκ τοῦ ὄπισθεν βάλλει, ὅταν οὗτος σημαίνῃ τὸν καιρὸν.

rum crebra paſſim in divinis literis mentio. Adde quod ſuos ad immortalem vitam deſtinatos [a] oves appellat. Quo quidem animante non eſt aliud inſipientius: vel Ariſtotelico proverbio teſte, [b] Προβάτειον ἦθος. quod quidem admonet, ab ejus pecudis ſtoliditate ſumptum, in ſtupidos & bardos

χαιρὸν. id eſt: Capiuntur autem cervi venatoribus ſibilantibus & canentibus. mulcentur enim, allicunturque ea voluptate. Duobus autem exiſtentibus, alter quidem palam canit aut ſibilat, alter clam ferit, ubi iſte ſignificarit opportunitatem.

Oves appellat) Vt Matthæi decimo: ἰδὲ, inquit Chriſtus, ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων. id eſt, Ecce mitto vos ſicut oves in medio luporum.

Προβάτειον ἦθος) Id eſt, ovis mores. Ariſtoteles hiſtoriæ animalium lib nono, ſic ait: τὰ δὲ ἤθη τῶν ζώων, ὥσπερ εἴρηται πρότερον, διαφέρει κατὰ τὴν δειλίαν καὶ πραότητα, καὶ ἀνδρείαν καὶ ἡμερότητα, καὶ νοῦν τε καὶ ἀγνοιαν. τό, τε γὰρ τῶν προβάτων ἦθος ὥσπερ λέγεται εὔηθες καὶ ἀνόητον. πάντων γὰρ τετραπόδων ἥκιστόν ἐστι, καὶ ἅπτει εἰς τὰς ἐρημίας πρὸς ὕδὼρ καὶ πολλάκις χειμῶνος ὄντος ἐξέρχεται ἔνδοθεν ὑπὸ τῶν νιφετῶν ληφθῆσιν, ἂν μὴ κινήσῃ ὁ ποιμὴν, οὐκ ἐθέλουσιν ἀπιέναι, ἀλλ' ἀπόλλυνται καταλειπόμενα, ἐὰν μὴ ἄρρενας κομίσωσιν οἱ ποιμένες, τότε ἀκολουθοῦσι. Id eſt: Mores autem animalium, quemadmodum dictum eſt prius, differunt jecundum timiditatem & manſuetudinem, ferociam & mitigationem, mentem & dementiam. Etenim oviles

mores

dos convicii loco dici ſolere. Atqui hujus gregis Chriſtus ſeſe paſtorem profitetur; quin etiam ipſe agni nomine delectatus eſt, indicante eum Ioanne, [a] Ecce agnus dei; cujus multa fit & [b] in Apocalypſi mentio. Hæc quid aliud clamitant, niſi mortales omneis ſtultos eſſe, [b] etiam pios? ipſum quoq; Chriſtum, quo ſtulticiæ mortalium ſubveniret cum eſſet [c] ſapientia patris tamen quodammodo [d] ſtultum eſſe factum, cum, hominis aſſumpta natura, [e] habitu inventus eſt ut homo? quem-

mores, ſicut dicitur, ſtulti & amentes ſunt. Omnium enim quadrupedum ovis genus ineptiſſimum eſt. Et repit in deſerta ſine cauſa: & ſæpe, hyemeque ſæviente, egreditur ſtabulo, & quando à nive comprehenſum fuerit, niſi noverit paſtor, non vult abire. Cæterum perit relictum, niſi mares portaverint paſtores; ita enim ſequitur reliquus grex.

Ecce agus dei) *Eſt Ioannis primo.*

In Apocalypſi) *Capitibus 5. 6. & 7.*

Etiam pios) *Nam pii & vere Chriſtiani, dum divitias, voluptates, gloriam, formam, ſanitatem, & alia id genus bona quæ hujus mundi ſapientes tantum non oderunt, contemnunt, & ut Chriſtum lucrifaciant, nunquam ſtercora reputant, dumque contemplatione, inediis, & perſequutione ſagiuntur, ſtulti hujus mundi ſapientibus habentur.*

Sapientia patris) *Paulus prima ad Corinth. 1. vocat Chriſtum dei virtutem & dei ſapientiam.*

Stultum eſſe factum) *Non quod in Chriſto ſit ulla ſtultitia, ſed quod hominem aſſumpſit & humana natura, quantumvis ſapit, ad deum collata, ſtulta eſt, ſicut omnis hominis juſtitia ad deum comparata, injuſtitia eſt.*

Habitu inventus eſt ut homo) *Ad Philip. 2.*

quemadmodum [a] & peccatum factus eſt, ut peccatis mederetur. Neque alia ratione mederi voluit, [b] quam per ſtultitiam crucis, per apoſtolos idiotas ac pingues. Quibus ſedulo ſtultitiam præcipit, à ſapientia deterrens: cum eos [b] ad puerorum, liliorum, ſinapis, & paſſerculorum exemplum provocat, rerum ſtupidarum ac ſenſu carentium, ſoloque naturæ ductu nulla arte, nulla ſolicitudine, vitam agentium: [c] præterea cum vetat eſſe ſollicitos qua eſſent apud præſides oratione uſuri: cumque interdicit, ne ſcrutentur tempora vel momenta temporum videlicet, ne quid fiderent ſuæ prudentiæ, ſed totis animis ex ipſo penderent. Eodem pertinet,

Et peccatum factus eſt) *Sic Paulus ait 2. ad Corinth. 5. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos eſſemus juſtitia in ipſo.*

Quam per ſtulticiam crucis) *Sic Paulus prima ad Corinthios primo: Nam quia in dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam deum, placuit deo, per ſtulticiam prædicationis, ſalvos facere credentes.*

Ad puerorum) *De pueris habetur Matthæi decimo-octavo, ubi Veritas dicit, Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Et Lucæ 18. Quicunque non acceperit regnum dei ſicut puer, non intrabit illud. De liliis, Math. 6. De ſinapi, Matth. & Lucæ 17. De paſſeribus ſive volucribus cœli Mat. 6.*

Præterea cum vetat eſſe) *Eſt Lucæ 12. Cum autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus & poteſtates nolite ſoliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis aut dicatis. Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora.*

Cumque interdicit) *Act. 1. Non eſt veſtrum noſſe.*

tinet, quod Deus ille orbis architectus interminatur, [a] ne quid de arbore scientiæ degustarent; perinde quasi scientia felicitatis sit venenum Quanquam Paulus aperte scientiam, veluti inflantem & pernicioſam, [b] improbat. Quem divus Bernardus, opinor, ſequutus, montem eum in quo lucifer ſedem ſtatuerat, ſcientiæ montem interpretatur. Fortaſſe nec illud omittendum videatur argumentum, gratioſam eſſe apud ſuperos ſtultitiam, quod huic ſoli datur erratorum venia, ſapienti non ignoſcitur; unde qui veniam orant, etiam ſi prudentes peccaverint, tamen ſtulticiæ prætextu patrocinioque utuntur. Nam ſic Aaron ſororis pœnam deprecatur in Numerorum, ſi ſatis commemini, libris: [c] Obſecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus. Sic & Saul apud David culpam deprecatur: [d] Apparet enim, inquiens, quod ſtulte egerim. Rurſum ipſe David ita blanditur Domino: [e] Sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtulte egimus, perinde quaſi non impetraturus veniam, niſi ſtulticiam inſcitiam obtenderet. Sed illud acrius urget, quod Chriſtus in cruce, cum oraret pro ſuis inimicis, [f] Pater, ignoſce illis; non aliam prætexuit

Ne quid de arbore ſcientiæ) *Eſt Geneſ. ſecundo, ubi deus ad ipſum προτόπαθον dicit:* מכל עץ הגן אכל תאכל : ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו : *id eſt: ab omni arbore ſcientiæ boni & mali non comedes ab ea.*

Improbat) *Cum ait prima ad Corinth. cap. 8.* ἡ γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ: *id eſt, Scientia inflat, caritas autem ædificat.*

Obſecro, domine) *Eſt Num. 12.*

Apparet enim quod) *Eſt 1 Reg. cap. 26.*

Sed precor, domine) *Eſt 2 Reg. cap. 24.*

Pater ignoſce illis) *Eſt Luc. 24.*

nit excuſationem, quam imprudentiæ: quia neſciunt. inquit, quid faciunt. ad eundem modum Paulus ſcribens ad Timotheum: [a] Sed ideo miſericordiam dei conſecutus ſum, quia ignorans feci, in incredulitate. Quid eſt ignorans feci, niſi, per ſtulticiam feci, non maliciam? Quid eſt ideo miſericordiam conſecutus ſum, niſi, non conſecuturus, ni ſtultitiæ patrocino commendatus? Pro nobis facit & myſticus ille Pſalmographus, qui ſuo loco non veniebat in mentem: [b] Delecta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Audiſtis quæ duo prætexat nimirum ætatem, cui ſemper comes eſſe ſoleo, & ignorantias, idque numero multitudinis, ut ingentem ſtulticiæ vim intelligeremus. Ac ne quæ ſunt infinita perſequar, utque ſummatim dicam, videtur omnino Chriſtiana religio quandam habere cum aliqua ſtulticia cognationem, minimeque cum ſapientia convenire. Cujus rei ſi deſideratis argumenta, primum illud animadvertite, pueros, ſenes, mulieres, ac fatuos, ſacris ac religioſis rebus præter cæteros gaudere, eoque ſemper altaribus eſſe proximos, ſolo nimirum naturæ impulſu. Præterea videbis, primos illos religionis autores, mire ſimplicitatem amplexos, acerrimos literarum hoſtes fuiſſe. Poſtremo nulli moriones magis deſipere videntur, quam hi, quos Chriſtianæ pietatis ardor ſemel totos arripuit: adeo ſua profundunt, injurias negligunt, falli ſeſe patiuntur, inter amicos & inimicos nullum diſcrimen; voluptatem horrent; inedia, vigilia, lachrymis, laboribus contumeliis ſaginantur; vitam faſtidiunt, mortem unice optant; breviter, ad omnem ſenſum communem prorſus obſtupuiſſe videntur, perinde quaſi alibi viuat animus, non in ſuo corpore. Quod quidem quid aliud eſt, quam inſaniæ

Sed ideo) *Eſt ad Tim. primæ capite* 1.

Delicta inventutis) *Eſt Pſalmo vigeſimoquarto. Et decore Moriæ affixit oblivionem.*

nire? Quo minus mirum videri debet, si Apostoli [a] musto temulenti sunt visi, [b] si Paulus judici Festo visus est insanire. Sed postea quam semel [c] τὴν λεοντῆν induimus, age doceamus & illud, felicitatem Christianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud esse quam insaniæ stultitiæque genus quoddam. absit invidia verbis; rem ipsam potius expendite. Jam primum illud propemodum Christianis convenit cum Platonicis, animum immersum alligatumque esse corporeis vinculis, hujusque crassitudine præpediri, quo minus ea quæ vere sunt, contemplari fruiq; possit: [d] proinde phi-

Musto temulenti sunt) *Est hoc Actuum Apostolorum capite secundo.*

Si Paulus judici Festo) *Est Actuum Apostolorum vicesimo sexto, ubi Paulo narranti quo pacto ad Christum tractus fuisset, & quam ob rem sibi Iudæi infesti essent, magna voce dixit Festus judex: Insanis, Paule: multæ te literæ ad insaniam convertunt.*

Τὴν λεοντῆν) *Id est, Leonis exuvium. quo significatur persona manifica assumpta ab homine humili. sumptum ab asino illo fugitivo, qui apud Cumanos aliquandiu se gessit pro leone. Vide etiam ortum est illud proverbium,* Ὄνος περὶ Κυμαίους, *id est, Asinus apud Cumanos. in indoctos asinos, qui tamen aliquando apud ignotos habentur propter cultum in precio.*

Proinde philosophiam) *Sic ait in Phædone:* Κινδυνεύουσι γὰρ ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας, λελανθέναι τοὺς ἄλλους, ὅτι οὐδὲν ἄλλο αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι. *id est: Quicunque recte philosophiam attigerunt, videntur latuisse cæteros homines, quod nihil aliud ipsi studerent quam emori, utque mortui esse.*

philoſophiam definit eſſe mortis meditationem, quod ea mentem à rebus viſibilibus ac corporeis abducat: quod idem utique mors facit. Itaque quamdiu animus corporis organis probe utitur, tamdiu ſanus appellatur: Verum ubi, ruptis jam vinculis, conatur in libertatem aſſerere ſeſe, quaſique fugam ex eo carcere meditatur, tum inſaniam vocant. Id ſi forte contingit morbo vitioque organorum, prorſus omnium conſenſu inſania eſt. Et tamen hoc quoque genus hominum videmus futura prædicere, ſcire linguas, ac literas, quas ante nunquam didicerant, & omnino divinum quiddam præ ſeſe ferre. Neque dubium eſt, inde accidere, quod mens à contagio corporis paulo liberior, incipit nativam ſui vim exerere. [a] Idem arbitror eſſe in cauſa, cur laborantibus vicina morte ſimile quiddam ſolet accidere, ut tanquam afflati prodigioſa quædam loquantur. Rurſum ſi id eveniat ſtudio pietatis, fortaſſe non eſt idem inſaniæ genus, ſed tamen adeo confine, ut magna pars hominum meram inſaniam eſſe judicet, præſertim cum pauculi homunciones ab univerſo mortalium cœtu tota vita diſſentiant. Itaque ſolet iis uſu venire, quod [b] juxta Pla-

Idem arbitror eſſe in cauſa) *Socrates in Apologia ſua, cum jam damnatus eſſe moriturusque, ſic ad Athenienſes, qui eum damnaverant, ait:* Τὸ δὲ δὴ μετὰ τοῦτο ἐπιθυμῶ ὑμῖν χρησμῳδῆσαι, ἐν ᾧ κατεψηφίζεσθέ μου. ἐν γὰρ εἰμὶ ἤδη ἐνταῦθα, ἐν ᾧ μάλιστ' ἄνθρωποι χρησμῳδοῦσιν, ὅταν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι. *id eſt: Poſt hæc autem deſidero vobis, qui me condemnaſtis, divinare. etenim jam illic ſum, ubi maxime divinant, quando videlicet mori debent.*

Iuxta Platonicum figmentum) *De ſpecu Platoneo, quem ipſe finxit ſeptimo de Rep. libro, in quo vulgus ſedens miratur umbras pro veris rebus, diximus ſupra,*

Platonicum figmentum opinior accidere iis qui in ſpecu vincti rerum umbras mirantur, & [a] fugitivo illi, qui reverſus in antrum, veras res vidiſſe ſe prædicat; illos longe falli, qui præter miſeras umbras nihil aliud eſſe credant. Etenim ſapiens hic commiſeratur ac deplorat illorum inſaniam, qui tanto errore teneantur; illi viciſſim illum veluti delirantem rident, atque ejiciunt. Itidem vulgus hominum ea quæ maxime corporea ſunt, maxime miratur, eaque prope ſola putat eſſe. Contra pii, quo quicque propius accedit ad corpus, hoc magis negligunt, totique ad inviſibilium rerum contemplationem rapiuntur. [b] Nam iſti primas partes tri-

• Fugitive illi) *Plato poſtquam deſcripſit illud ſpecus, dicit: Quod ſi unus illorum ſordentium in ſpecu per aſpera ſaxa atque ardua ſurſum traheretur, videretque apud ſuperos ſolem & alias res veras, ſicque poſtea ad priſtinum ſpecum reverteretur, putaret haud dubie illos, qui apud eos, qui in ſpecu ſedent, in ſummo honore eſſent, miſerrimos eſſe. Ad hæc dicit, illum reverſum jam in ſpecum nihil viſurum, propterea quod repente ex clariſſimo ſole in profundiſſimas tenebras veniret; & idcirco cum nihil umbrarum videret, omnibus in ſpecu ſedentibus riſui fore, exploſumque iri, ſimul atque de rebus veris diſputare inciperet, tanquam ſtultum, & apud ſuperos corruptum.*

Nam iſti primas) *Philoſophi cum tria poſuiſſent bona, corporis videlicet, externa, & animi: animi bona præ cæteris multo præſtare dixerunt. Vnde Ariſtoteles primo moralium Nicomacheorum:* Νενεμημένων δὲ τῶν ἀγαθῶν τριχῇ, καὶ τῶν μὲν ἐκτὸς λεγομένων, τῶν δὲ περὶ ψυχὴν καὶ σῶμα, τὰ περὶ ψυχὴν κυριώτατα λεγόμενα. *id eſt: Diviſis autem trifariam bonis, cumque hæc externa dici-*

mus,

tribuunt divitiis, proximas corporis commodis, poſtremas animo relinquunt: quem tamen plerique nec eſſe credunt, quia non cernatur oculis. E diverſo illi primum in ipſum deum, rerum omnium ſimpliciſſimum, toti nituntur: ſecundum in hunc, & tamen in hoc quod ad illum quàm proxime accedit, nempe animum: corporis curam negligunt, pecunias ceu putamina prorſus aſpernantur ac fugitant. Aut ſi quid hujuſmodi rerum tractare coguntur, gravatim ac faſtidienter id faciunt: habent tanquam [a] non habentes, poſſident tanquam non poſſidentes. Sunt & in ſingulis rebus gradus multum inter iſtos diverſi. Principio ſenſus tametſi omnes cum corpore cognationem habent, tamen [b] quidam ſunt ex his craſſiores, ut tactus, auditus, viſus olfactus, guſtus. Quidã magis à corpore ſemoti, veluti memoria, intellectus, voluntas. Igitur ubi ſe intenderit animus, ibi valet. Pii, quoniam omnis animi vis ad ea contendit, quæ ſunt à craſſioribus ſenſibus alieniſſima, in his velut obbruteſcunt atque obſtupeſcunt.

Contra,

mus, hæc autem animæ & corporis bona, ea quæ circa animam ſunt, propriiſſima dicimus. At vulgus hunc ordinem invertens, externa prima, animæ infima ducit. Pius vero prima facit divina, ſecundum locum tribuit animi bonis, ultimum corporis & externis; ſi tamen illa putet inter bona habenda, quibus, ut Cicero dicit, peſſimi quique maxime abundant.

Non habentes) *Sic Paulus ait, 1 ad Corinth. 7. Tempus breve eſt: reliquum eſt, ut qui habent uxores, ſint tanquam non habentes; & , qui flent, tanquam non flentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.*

Quidam ſunt ex his) *De his vide in libris de anima.*

Contra, vulgus in his plurimum valet, in illis quam minimum. [4] Inde eſt, quod audimus nonnullis divinis viris accidiſſe, ut oleum vini loco biberint. Rurſum in affectibus animi quidam plus habent cum pingui corpore commercii, veluti libido, cibi ſomnique appetentia, iracundia, ſuperbia, invidia. cum his irreconciliabile bellum piis: contra, vulgus ſine his vitam eſſe non putat. Deinde ſunt quidam affectus medii, quaſique naturales, ut amor patriæ, charitas in liberos, in parentes, in amicos: His vulgus nonnihil tribuit; At illi hos quoque ſtudent ex animo revellere, niſi quatenus [b] ad ſummam illum animi partem aſſurgunt, ut jam parentem, ament, non tanquam parentem, (quid enim ille genuit, niſi corpus? quanquam hoc ipſum deo parenti debetur,) ſed tanquam virum bonum,

Inde eſt quod) *Hoc accidit divo Bernardo. Nam cum quodam tempore intentiſſime in divinis ſcripturis, ut ei mos erat, meditaretur, ſitienſque cantharum plenum olei, forte fortuna aſtantem, vidiſſet; ex eo bibit, non ſentiens oleum eſſe. Deinde cum quidam frater eum acceſſiſſet, rogaſſetque, cur nam os (nam adhuc nonnihil olei ori mentoque adhæſit) oleo oblitum haberet, illeque cum jam diu admiratus eſſet, undenam oleo inquinatus eſſet, tandem in mentem venit, quod ex cantharo bibiſſet. Itaque cum cantharum inſpexiſſet, vidit eum plenum eſſe non vini, ut putarat, ſed olei.*

Ad ſummam illam animi partem) *Hoc eſt, ſpiritum. Nam Paulus & hujus interpres Origenes tres hominis ponunt partes. Summam, qua adeo diviniſque virtutibus adhæremus; hancque ſpiritum vocant. Mediam, quæ ea, quæ ἀνθρώπου vocant, amplexatur; hancque animam vocant. Tertiam brutam, illam quæ voluptates & totam vitiorum ſentinam admittit; uam carnem vocant.*

num, & in quo luceat imago ſummæ illius mentis, quam unam ſummum bonum vocant, & extra quam nihil nec amandum, nec expetendum eſſe prædicant. Hac eadem regula reliqua item omnia vitæ officia metiuntur, ut ubique id quod viſibile eſt, ſi non eſt omnino contemnendum, tamen longe minoris faciant, quam ea quæ videri nequeunt. Ajunt autem, & in ſacramentis atque ipſis pietatis officiis corpus & ſpiritum inveniri. Velut in jejunio non magni ducunt, ſi quis tantum à carnibus cœnaque abſtineat; (id quod vulgus abſolutum eſſe jejunium exiſtimat:) niſi ſimul & affectibus aliquid adimat; ut minus permittat iræ quam ſoleat; minus ſuperbiæ; utque ceu minus jam onuſtus mole corporea, ſpiritus ad cœleſtium bonorum guſtum fruitionemque enitatur. Similiter & in Synaxi, tametſi non eſt aſpernandum, inquiunt, quod cæremoniis geritur, tamen id per ſe aut parum eſt conducibile, aut etiam pernicioſum, niſi id quod eſt ſpiritale acceſſerit, nempe hoc quod ſignis illis viſibilibus repræſentatur. Repræſentatur autem mors Chriſti, quam domitis, extinctis, quaſique ſepultis affectibus, exprimere mortales oportet, ut in novitatem vitæ reſurgant, utque unum cum illo, unum item inter ſeſe fieri queant. Hæc igitur agit, hæc meditatur ille pius. Contra, vulgus ſacrificium nihil aliud eſſe credit, quam adeſſe altaribus, idque proxime, audire vocum ſtrepitum, aliaſque id genus cæremoniolas ſpectare. Nec in his tantum, quæ duntaxat exempli gratia propoſuimus, ſed ſimpliciter in omni vita, refugit pius ab his quæ corpori cognata ſunt; ad æterna, ad inviſibilia, ad ſpiritalia rapitur. Proinde cum ſumma ſit inter hos & illos omnibus de rebus diſſenſio, fit ut utrique alteris inſanire videantur. Quanquam id vocabuli rectius in pios competit, quam in vulgus,

[a] mea quidem ſententia. Quod quidem magis perſpicuum fiet, ſi, quemádmodum pollicita ſum, paucis demonſtraro, ſummum illud præmium [b] nihil aliud eſſe quàm inſaniam quandam. Primum igitur exiſtimate, Platonem tale quiddam jam tum ſomniaſſe, cum amantium furorem omnium feliciſſimum eſſe ſcriberet. Etenim qui vehementer amat, jam non in ſe vivit, ſed in eo quod amat: quoque longius à ſe ipſo digreditur, & in illud demigrat, hoc magis ac magis gaudet. Atque cum animus à corpore peregrinari meditatur, neque probe ſuis utitur organis, iſtud haud dubie furorem recte dixeris. Alioquid quid ſibi vult, quod vulgo etiam dicunt: Non eſt apud ſe: &, Ad te redi: &, Sibi redditus eſt? Porro quo amor eſt abſolutior, hoc furor eſt major ac felicior. Ergo quænam futura eſt illa cœlitum vita, ad quam piæ mentes tanto ſtudio ſuſpirant? Nempe ſpiritus abſorbebit corpus, utpote victor ac fortior. Idque hoc faciet facilius partim quod jam olim in vita corpus ad hujuſmodi transformationem repurgarit, atque extenuarit. Deinde ſpiritus à mente illa ſumma mire abſorbebitur, quippe infinitis partibus potentiore. Ita ut jam totus homo extra ſe futu-

rus

Mea quidem ſententia) *Feſtiviter adjecit, Mea quidem ſententia. quaſi diceret, ſtultorum judicio. Nam mea, ad Stulticiæ perſonam refertur.*

Nihil aliud eſſe) *Raptum & Ecſtaſim, inſaniam vocat, non ſimpliciter, ne de vulgari inſania intelligamus, ſed quodam modo: & idcirco addidit, quandam, ne quis, ut ſunt moroſi et φιλολοίδορoι quidam. anſam arriperet calumniandi. Candidi lectoris eſt, non voculam aliquam aucupari quam calumnietur, ſed rem ipſam expendere. Quod ſi quis faciat, quid his rebus ſanctius dici potuit, aut magis pium?*

rus ſit, nec alia ratione felix futurus, niſi quod extra ſeſe poſitus, patietur quiddam ineffabile à ſummo illo bono, omnia in ſe rapiente. Jam hæc felicitas quanquam tum demum perfecta contingit, cum animi receptis priſtinis corporibus immortalitate donabuntur: tamen quoniam piorum vita nihil aliud, quam illius vitæ meditatio, ac velut umbra quædam, fit ut præmii quoque illius aliquando guſtum aut odorem aliquem ſentiant. Id tametſi minutiſſima quædam ſtillula eſt ad fontem illum æternæ felicitatis, tamen longe ſuperat univerſas corporis voluptates, etiam ſi omnes omnium mortalium deliciæ in unum conferantur. Uſque adeo præſtant ſpiritualia corporalibus, inviſibilia viſibilibus. Hoc nimirum eſt quod pollicetur Propheta: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit deus diligentibus ſe. Atque hæc eſt Mariæ pars, quæ non auferetur commutatione vitæ, ſed perficitur. Hoc igitur quibus ſentire licuit, (contingit autem perpaucis,) ii patiuntur quiddam dementiæ ſimillimum, loquuntur quædam non ſatis cohærentia, nec humano more, ſed dant ſine mente ſonum, deinde ſubinde totam oris ſpeciem vertunt. [a] Nunc alacres, nunc dejecti, nunc lachrymant, nunc rident, nunc ſuſpirant, in ſumma, vere toti extra ſe ſunt. Mox ubi ad ſeſe redierint, negant ſe ſcire ubi fuerint, utrum in corpore, an extra corpus, an dormientes: quid audierint, quid viderint, quid dixerint, quid fecerint, non meminerunt, niſi tan-

Nunc alacres, nunc delecti) *Hunc locum melius intelliget, qui legerit commentarios Originis in Canticа Canticorum, quomodo ſponſa, nunc ſubducente ſe ſponſo, nunc exhibente, et ſui copiam faciente, varie afficitur. Item in vita ſanctæ Elizabethæ nonnihil habet, quod ad hunc faciat locum.*

tanquam per nebulam, ac ſomnium: tantum hoc ſciunt, ſe feliciſſimos fuiſſe, dum ita deſiperent. Itaque plorant ſeſe reſipuiſſe; nihil omnium malint, quam hoc inſaniæ genus perpetuo inſanire. Atque hæc eſt futuræ felicitatis tenuis quædam deguſtatiuncula. Verum ego jam dudum [a] oblita mei [b] ὑπὲρ τὰ ἰσκαμμένα πηδῶ. Quanquam ſi quid petulantius aut loquacius à me dictum videbitur, cogitate, [c] & Stulticiam & mulierem dixiſſe. Sed interim tamen memineritis illius Græcanici proverbii, [d] πολλάκι τοι καὶ μωροῦ ἀνὴρ κατακαίριον

Oblita mei) *Quod non conveniat, Stulticiam de rebus tam arcanis loqui. Facit autem idem in fine diſputationis, quod initio fecerat, ſentiens, rem alioqui prima fronte duriuſculam videri poſſe.*

Ὑπὲρ τὰ ἰσκαμμένα πηδῶ) *id eſt, ultra limites ſalio. Proverbium eſt in eos, qui digrediuntur à re propoſita; quod locus in quo curſu aut diſco exercebantur, certis limitibus circumſcriberetur, quemadmodum & hodie in luſu pilæ, extra quos qui certaret, nihil ageret.*

Et Stulticiam & mulierem) *Duplici nomine danda venia: & quod mulier ſit; cum ipſi ſexui peculiaris ſit loquacitas: & Stulticia; cui quidvis ſolet concedi.*

Πολλάκι τοι καὶ μωροῦ ἀνὴρ κατακαίριον εἶπεν) *Verſus hexameter citatus apud Aulum Gellium, ſed aliquanto ſecus. Verum ad hunc modum ex antiquis voluminibus reſtituit Eraſmus in Chiliadibus ſuis. Senſus eſt: Sæpe ſane & ſtultus vir oportune dixit. Innuit autem, quanquam Stulticia dixerit hæc, haud tamen ob id negligenda: quod à ſtultis quoque nonnunquam dicatur ad rem pertinens.*

ἄπιθι. nisi forte putatis hoc [a] ad mulieres nihil attinere. [b] Video vos epilogum expectare. sed nimium desipitis, siquidem arbitramini me quid dixerim etiamnum meminisse, cum tantam [c] verborum farraginem effuderim. [c] Vetus illud, Μισῶ μνήμονα συμπότην. [d] Novum hoc: Μισῶ μνήμονα δημοσθένη. Qua [e] valete, plaudite, vivite, bibite, Moriæ celeberrimi [f] mystæ. Τέλος.

Ad mulieres nihil) *Quia Græcus versus habet, Rultus vir.*

Video vos) *Apte prætexit oblivionem in epilogo, qui constat repetitione eorum quæ dicta sunt, quod nisi a memore fieri nequit.*

Verborum farragine) *Alluſit ad illud Iuven. Noſtri eſt farrago libelli. Eſt enim farrago ſacrificii genus ex variis confectum leguminibus.*

Vetus illud, Μισῶ μνήμονα συμπότην) *Id eſt: Odi memorem compotatorem. Eſt apud Martialem. & refertur apud Plutarchum in quæſtionibus convivialibus. Explicatur accuratius in Chiliad. Eraſmi.*

Novum hoc) *Nam illud vetus. hoc Moriæ novum. Tacite alluſit ad ſtultos auditores, qui è concionibus nihil ſecum referunt domum. adeo ut ſæpenumero audias eos dicentes: Quam belle concionatus eſt! ac mox rogati, quid dictum ſit, nihil habent quod afferant.*

Valete plaudite) *His verbis utebatur recitator fabulæ, diſceſſurus è proſcenio. De ſuo addidit, vivite, bibite. Et vivere, proprie eſt, genialiter vivere.*

Mystæ) *Sunt, qui dei cujuſpiam ſacris ſunt initiati.*

Commentarii Lyſtriani

FINIS.

ERASMUS ROT.
MARTINO DORPIO
Theologo eximio S. D.

NOn fuit reddita nobis epistola tua; sed tamen exemplar, haud scio quo modo exceptum, amicus quidam exhibuit Antverpiæ. Deploras Moriam parum feliciter editam, studium in restituendo Hieronymo nostrum magnopere comprobas: ab editione novi testamenti deterres. Quibus literis tuis, mi Dorpi, tantum abest ut quicquam fuerim offensus, ut posthac mihi cœperis esse multo charior, cum semper fueris charissimus: adeo syncere consulis, mones amice, objurgas amanter. Habet nimirum hoc Christiana charitas; ut etiam cum sævit maxime, tamen genuinæ suæ dulcedinis gustum obtineat. Multæ mihi quotidie reddantur ab eruditis viris literæ, quæ me decus Germaniæ, quæ solem, quæ lunam faciunt, & splendissimis titulis onerant verius quam ornant. Harum, emorior, si ulla unquam me perinde delectavit, ut illa Dorpii mei jurgatrix epistola. Vere dictum est à Paulo, charitatem non peccare: sive quid adulatur, studet prodesse, sive stomachatur, non aliud agit. Atque utinam liceret per ocium ad tuas literas rescribere, quo tanto amico satisfaciam. Vehementer enim cupio, quicquid ago, te approbante fieri, cujus ingenio, pæne cœlesti, cujus eruditioni singulari, cujus judicio longe acerrimo tantum tribuo, ut malim unius Dorpii, quam mille cæterorum calculis approbari. Verum adhuc à navigatione nauseabundus, & mox equitatione fessus: ad hæc, in componendis sarcinulis occupatus:

satius

ſatius eſſe duxi, quomodocumque reſpondere, quam amicum in iſta relinquere opinione, ſive hanc ex te ipſo conceperis, ſive inſtillaverint alii, qui te ad eam eſtiſtolam ſcribendam ſubornarunt, quo ſub aliena perſona ſuam agerent fabulam. Primum igitur, ut ingenue dicam, editæ Moriæ propemodum me pœnitet. Is libellus nonnihil mihi peperit gloriæ, vel ſi mavis, famæ. At ego nihil moror gloriam cum invidia conjunctam. Quanquam, ô ſuperi, quid eſt hoc totum, quod vulgo gloriam vocant, niſi nomen inaniſſimum ex gentilitate relictum? Quod genus non pauca reſederunt apud Chriſtianos, dum immortalitatem appellant famam poſteris relictam, & virtutum qualiumcunque ſtudium. In omnibus edendis libris hic unicus ſemper mihi fuit ſcopus, ut mea induſtria aliquam adferrem utilitatem. Id ſi minus aſſequi poſſem, certe ne quam adferrem noxam. Proinde cum magnos etiam viros videamus literis ſuis abuſos ad affectus ſuos digerendos, dum alius cautat ineptos Amores ſuos, alius adulatur iis quod captat, alius injuria laceſſitus ſtylo referit, alius ipſe ſui tibicen eſt, & in efferendis propriis laudibus quemvis Thraſonem, quemvis Pyrgopolinicen ſuperat: ego tamen quamvis ingenio tenui, & perquam exigua doctrina præditus, tamen huc ſemper ſpectavi, ut, ſi poſſem, prodeſſem: ſin minus, ne quem læderem. Homerus ſuum in Therſitem odium moleſta carminis hypotypoſi ultus eſt. Plato quam multos nominatim perſtrinxit ſuis dialogis? Cui pepercit Ariſtoteles, qui nec Platoni pepercit, nec Socrati? Habuit ſuum Demoſthenes Æſchinem, in quem ſtylo debaccharetur. Habuit ſuum Cicero Piſonem, habuit Vatinium, habuit Saluſtium, habuit Antonium. Quam multos nominatim & ridet & carpit Seneca? Quod ſi recentiores expendas; & Petrarchæ in medicum quendam, & Laurentio in Pogium, &

Poli

ERASMUS ROT.
MARTINO DORPIO
Theologo eximio S. D.

NOn fuit reddita nobis epiſtola tua; ſed tamen exemplar, haud ſcio quo modo exceptum, amicus quidam exhibuit Antverpiæ. Deploras Moriam parum feliciter editam, ſtudium in reſtituendo Hieronymo noſtrum magnopere comprobas: ab editione novi teſtamenti deterres. Quibus literis tuis, mi Dorpi, tantum abeſt ut quicquam fuerim offenſus, ut poſthac mihi cœperis eſſe multo charior, cum ſemper fueris chariſſimus: adeo ſyncere conſulis, mones amice, objurgas amanter. Habet nimirum hoc Chriſtiana charitas; ut etiam cum ſævit maxime, tamen genuinæ ſuæ dulcedinis guſtum obtineat. Multæ mihi quotidie reddantur ab eruditis viris literæ, quæ me decus Germaniæ, quæ ſolem, quæ lunam faciunt, & ſplendiſſimis titulis onerant verius quam ornant. Harum, emorior, ſi ulla unquam me perinde delectavit, ut illa Dorpii mei jurgatrix epiſtola. Vere dictum eſt à Paulo, charitatem non peccare: ſive quid adulatur, ſtudet prodeſſe, ſive ſtomachatur, non aliud agit. Atque utinam liceret per ocium ad tuas literas reſcribere, quo tanto amico ſatisfaciam. Vehementer enim cupio, quicquid ago, te approbante fieri, cujus ingenio, pæne cœleſti, cujus eruditioni ſingulari, cujus judicio longe acerrimo tantum tribuo, ut malim unius Dorpii, quam mille cæterorum calculis approbari. Verum adhuc à navigatione nauſeabundus, & mox equitatione feſſus: ad hæc, in componendis ſarcinulis occupatus:

ſatius

ſatius eſſe duxi, quomodocumque reſpondere, quam amicum in iſta relinquere opinione, ſive hanc ex te ipſo conceperis, ſive inſtillaverint alii, qui te ad eam eſtiſtolam ſcribendam ſubornarunt, quo ſub aliena perſona ſuam agerent fabulam. Primum igitur, ut ingenue dicam, editæ Moriæ propemodum me pœnitet. Is libellus nonnihil mihi peperit gloriæ, vel ſi mavis, famæ. At ego nihil moror gloriam cum invidia conjunctam. Quanquam, ô ſuperi, quid eſt hoc totum, quod vulgo gloriam vocant, niſi nomen inaniſſimum ex gentilitate relictum? Quod genus non pauca reſederunt apud Chriſtianos, dum immortalitatem appellant famam poſteris relictam, & virtutum qualiumcunque ſtudium. In omnibus edendis libris hic unicus ſemper mihi fuit ſcopus, ut mea induſtria aliquam adferrem utilitatem. Id ſi minus aſſequi poſſem, certe ne quam adferrem noxam. Proinde cum magnos etiam viros videamus literis ſuis abuſos ad affectus ſuos digerendos, dum alius cautat ineptos Amores ſuos, alius adulatur iis quod captat, alius injuria laceſſitus ſtylo referit, alius ipſe ſui tibicen eſt, & in efferendis propriis laudibus quemvis Thraſonem, quemvis Pyrgopolinicen ſuperat: ego tamen quamvis ingenio tenui, & perquam exigua doctrina præditus, tamen huc ſemper ſpectavi, ut, ſi poſſem, prodeſſem: ſin minus, ne quem læderem. Homerus ſuum in Therſitem odium moleſta carminis hypotypoſi ultus eſt. Plato quam multos nominatim perſtrinxit ſuis dialogis? Cui pepercit Ariſtoteles, qui nec Platoni pepercit, nec Socrati? Habuit ſuum Demoſthenes Æſchinem, in quem ſtylo debaccharetur. Habuit ſuum Cicero Piſonem, habuit Vatinium, habuit Saluſtium, habuit Antonium. Quam multos nominatim & ridet & carpit Seneca? Quod ſi recentiores expendas; & Petrarchæ in medicum quendam, & Laurentio in Pogium, &

Poli

Politiano in Scalam ſtulus teli vice fuit. Quem ex omnibus mihi dabis tam modeſtum, qui non amarulentius in aliquem ſcripſerit? Ipſe Hieronymus, vir tam pius & gravis, aliquoties non ſibi temperat, quin in Vigilantium incandeſcat acrius, in Jovinianum inſultet immoderatius, in Rufinum amarulentius invehatur. Semper hic eruditis mos fuit, quicquid dolet aut delectat, chartis ceu fidis ſodalibus committere, in harum ſinum omnes pectoris æſtus effundere. Immo deprehendas, quoſdam non alio concilio libros ſcribendos ſuſcipere, quam ut in his obiter animi ſui motus infulciant, atque hac ratione tranſmittant in poſteros. At ego in tot jam editis voluminibus, cum tam multos candidiſſime laudarim, quæſo, cujus unquam denigravi famam? cui vel leviſſimam aſperſi labem? Quam gentem, quem ordinem, quem hominem nominatim taxavi? Quid ſi ſcias, mi Dorpi, quoties ad id faciendum fuerim nulli tolerandis contumeliis provocatus? Semper tamen vici dolorem animi mei, magiſque rationem habui, quid poſteritas eſſet judicatura de nobis, quam quid illorum mereretur improbitas. Si res ipſa perinde fuiſſet nota cæteris, ut erat mihi, nemo me mordacem judicaſſet, ſed æquum, ſed modeſtum etiam, ac moderatum. Sed ita mecum cogitabam, Quid aliis cum noſtris privatis affectibus? aut, Qui noſtra hæc nota poterunt eſſe vel procul diſſitis, vel poſteris? Ego non quod illis, ſed quod me dignum eſt, fecero. Prætetea nullus eſt tam inimicus, quem non optem, ſi fieri poſſit, in amicum redire. Cur ei rei præcludam viam? Cur hic ſcribam in hoſtem, quod aliquando fruſtra nolim ſcriptum in amicum? Cur notabo carbone, cui ſuum candorem, etiamſi promereatur, non poſſim reſtituere? Malo in hanc peccare partem, ut vel parum meritos præcidem, quam ut meritos vituperem. Nam ſi quem falſo laudaris,

candori

candori tribuitur : sin quantum libet etiam ignominia dignum suis pinxeris coloribus, non illius factis, sed tuo morbo asscribitur. Ut ne dicam interim, quod, ut ex injuriis, mutua talione reciprocantibus, ingens bellum aliquoties exoritur, sic ex maledictis vicissim ultro citroque regestis periculosissimum incendium non raro nascitur. Et ut parum Christianum est, injuriam injuria pensare, ita parum generosi pectoris est, dolorem suum fœminarum exemplo conviciis ulcisci. Hujusmodi rationibus ipse mihi persuasi, ut semper innoxias & incruentas haberem literas, nec eas ullius mali nomine contaminarem. Nec aliud omnino spectavimus in Moria, quam quod in cæteris lucubrationibus, tametsi via diversa. In Enchiridio simpliciter Christianæ vitæ formam tradidimus. In libello de *Principis institutione* palam admonemus, quibus rebus principem oporteat esse instructum. In Panegyrico, sub laudis prætextu, hoc ipsum tamen agimus oblique, quod illic egimus aperta fronte. Nec aliud agitur in Moria sub specie lusus, quam actum est in Enchiridio. Admonere voluimus, non mordere : prodesse, non lædere : consulere moribus hominum, non officere. Plato, philosophus tam gravis, largiores in compotationibus invitatiunculas approbat, quod arbitretur, quædam vitia per hilaritatem vini posse discuti, quæ severitate corrigi non possent. Et Flaccus existimat jocosam quoque admonitionem non minus atque seriam conducere. Ridentem, inquit, dicere verum, Quid vetat ? Neque non perspectum est hoc sapientissimis olim viris, qui saluberrima vitæ præcepta ridendis ac puerilibus in speciem apologis proponere maluerunt, quod per se subaustera veritas, voluptatis illecebra commendata, facilius penetrat in animos mortalium. Nimirum hoc est illud mel, quod apud Lucretium medici pueris medentes absinthii poculo prælinunt.

Nec in alium usum veteres illi principes hoc morionum genus in aulas suas induxerunt, quam ut horum libertate leviora quædam vitia citra ullius offensam & aperirentur, & emendarentur. Fortasse Christum in hoc album vocare non conveniat: verum si licet cœlestia cum humanis ullo modo conferre, nonne hujus parabolæ confine quiddam habent cum veterum apologis? Et jucundius illabitur, & acrius insidit in animos Euangelica veritas, hujusmodi lenociniis commendata, quam si nuda produceretur. Id quod in opere De doctrina Christiana divus Augustinus copiose persequitur. Videbam quam esset mortalium vulgus stultissimis opinionibus corruptum, idque in singulis vitæ institutis; & remedii votum erat verius quam spes. Proinde videbar mihi reperisse rationem, ut delicatis animis hac arte tanquam obreperem, & cum voluptate quoque mederer. Et sæpenumero conspexeram, festivum hoc & jocosum admonendi genus multis felicissime cedere. Quod si respondebis, personam, quam induxi, leviorem esse quam ut sub illius prætextu de rebus seriis disputetur, hanc culpam fortassis agnoscam. Inepti reprehensionem non admodum deprecor, amarulenti deprecor: quamquam & illud probe tueri possem, si non alia ratione, certe tot gravissimorum hominum exemplo, quos in ipsius libelli præfatiuncula recensui. Quid autem facerem? Diversabar id temporis apud Morum meum, ex Italia reversus, ac renum dolor compluisculos dies domi continebat, & mea bibliotheca nondum fuerat advecta, tum si maxime fuisset, non sinebat morbus, quicquam in gravioribus studiis acrius agitare. Cœpi per ocium Moriæ encomium ludere, nec in hoc sane ut ederem, sed ut morbi molestiam hoc velut avocamento levarem. Operis incepti gustum amiculis aliquot exhibui, quo jucundior esset risus cum pluribus communis.

Qui-

Quibus cum vehementer placuisset, institerunt uti pergerem: obsecutus sum, & in hoc negocii septem plus minus dies impendi: qui sane sumptus mihi pro argumenti pondere nimius etiam videbatur. Deinde quorum instinctu scripseram, eorundem opera deportatus in Galliam libellus, formulis excusus est, sed ab exemplo non solum mendoso, verumetiam mutilo. Porro quam displicuerit, vel illud satis est argumenti, quod intra pauculos menses plus septies fuerit typis stanneis propagatus, idque diversis in locis. Demirabar ipse, quid ibi cuiquam placeret. Hanc, mi Dorpi, si ineptiam vocas, habes reum confitentem, aut certe non reclamantem. Ad hunc modum & per ocium, & amiculis obsecundans ineptivi, idque semel duntaxat in vita. Quis autem omnibus horis sapit? At ipse fateris, cæteras lucubrationes meas ejusmodi esse, ut juxta piis atque eruditis omnibus magnopere probentur. Qui sunt isti tam rigidi censores, vel potius Areopagitæ, qui homini vel unam ineptiæ culpam nolint condonare? Quæ tam insignis morositas, ut unico ridiculo offensi libello, tot vigiliarum superiorum gratia repente scriptorem spolient? Quot ineptias aliorum proferre possem, hac multis partibus ineptiores, etiam in magnis Theologis, dum rixosas & frigidissimas quæstiones commenti, de nugacissimis nugis perinde ac pro focis & aris inter se digladiantur? Atq; isti tam ridiculas fabulas, & vel ipsis Atellanis ineptiores, citra personam agunt. Ego certe verecundius, qui cum ineptior esse vellem, Stulticiæ personam obtexui: & quemadmodum apud Platonem Socrates obtecta facie laudes Amoris recitat, ita ipse fabulam hanc personatus egi. Scribis, ab istis ipsis, quibus argumentum displicet, & ingenium, & eruditionem, & eloquentiam probari, verum eosdem ostendi nimis libera mordacitate. At isti reprehensores plus etiam tribuunt mihi quam

velim. quanquam nihil moror hanc laudem, præsertim ab his profectam, quibus ego nec ingenium esse puto, nec eruditionem, nec eloquentiam, quibus si pollerent, mi Dorpi, crede mihi, non tantopere jocis offenderentur, salutaribus magis quam ingeniosis aut eruditis. Obsecro te per Musas, quos tandem oculos, quas aures, quod palatum adferunt isti quos offendit in eo libello mordacitas? *Primum* quæ potest illic esse mordacitas, ubi nullius omnino nomen perstringitur præterquam meum? Cur non venit in mentem, quod toties inculcat Hieronymus, ubi generalis est de vitiis disputatio, ibi nullius esse personæ injuriam? Quodsi quisquam offenditur, non habet quod expostulet cum eo qui scripsit: ipse si volet secum agat injuriarum, utpote sui proditor, qui *declararit*, hoc ad se proprie pertinere. quod ita dictum est de omnibus, ut de nemine sit dictum, nisi si quis volens sibi vendicet. An non vides me toto opere sic à nominibus hominum temperasse, ut nec gentem ullam acrius taxare voluerim? Etenim ubi cuique nationi peculiarem philautiam recenseo, Hispanis asscribo militiæ laudem, Italis literas & eloquentiam, Anglis lautas mensas, & formam, & cæteris item ejusmodi quædam, quæ quisque in se dicta, vel agnoscat non illibenter, vel certe cum risu audiat. Ad hæc, cum juxta argumenti susceptι rationem, per omnia mortalium genera volvar, & in taxandis singulorum vitiis versor, quæso quid usquam aut dictu fœdum occurrit aut virulentum? Ubi flagitiorum sentinam aperio? ubi secretam illam vitæ humanæ moveo Camarinam? Quis nescit, quam multa dici potuerint in malos pontifices, in improbos episcopos & sacerdotes, in vitiosos principes, breviter, in quemvis ordinem, si ad Juvenalis exemplum, non puduisset ea mandare literis, quæ multos non pudet facere? Tantum festiva quædam & ridicula magis quam fœda recensuimus,

mus, ſed ita recenſuimus ut obiter & maximis de rebus nonnunquam admoneamus, quod illos ſcire magnopere referat. Scio tibi non eſſe vacuum ad hujuſmodi nugas deſcendere, ſed tamen ſi qnando dabitur ocium, fac attentius excutias ridiculos illos Moriæ jocos, nimirum comperies non paulo magis quadrare ad Evangeliſtarum & Apoſtolorum dogmata, quam quorundam ſplendidas, ſicuti putant, & magnis dignas magiſtris diſputationes. Atque ipſe quoque in tuis literis non deffiteris, pleraque vera eſſe, quæ illic referuntur. Verum exiſtimas non expediſſe, Auriculas teneras mordaci radere vero. Si putas, nullo pacto libere loquendum eſſe, nec unquam promendam eſſe veritatem, niſi cum non offendit: cur medici pharmacis medentur amaris, & ἱερὰν πικρὰν inter laudatiſſima ponunt remedia? Quod ſi illi faciunt, corporum medentes vitiis, quanto magis par eſt nos idem facere in ſanandis animorum morbis? Obſecra, inquit Paulus, argue, increpa opportune, importune. Apoſtolus vult omnibus modis inſectanda eſſe vitia, & tu nullum vis hulcus attingi? præſertim cum id ea moderatione fiat, ut ne poſſit quidem quiſquam lædi, niſi qui ſtudio læſerit ſe ipſum. Quod ſi ulla eſt ratio citra ullius offenſam, medendi vitiis hominum, hæc una, ni fallor, eſt omnium maxime accommoda, cum neque nomen cujuſquam editur, deinde cum temperatur ab iis à quorum commemoratione quoque bonorum abhorrent aures. Etenim quemadmodum in Tragœdiis quædam atrociora ſunt, quam ut oculis ſpectatorum conveniat exhiberi, & narraſſe ſufficiat: ita in hominum moribus quædam obſcœniora ſunt, quam ut verecunde poſſint narrari. Poſtremo cum illa ipſa quæ narrantur ſub ridicula perſona per luſum & jocum efferuntur, ut omnem offenſam ſermonis hilaritas excludat: an non videmus, quantum aliquoties apud ſeveros etiam

tyrannos valeat jocus commodus, & in tempore dictus? Quæso te, quæ preces, quæ seria oratio potuisset regis illius animum tam facile placare, quam militis jocus? Immo, inquit, nisi lagena nos destituisset, longe atrociora fueramus in te dicturi. Arrisit rex, & ignovit. Nec sine causa tam diligenter de risu præcipiunt duo summi rhetores M. Tullius & Quintilianus. Tantam vim habet lepos & jucunditas sermonis, ut etiam in nos apte tortis dicteriis delectemur; id quod de C. Cæsare literis est proditum. Proinde si fateris vera quæ scripsi, si festiva magis quam obscœna; quæ ratio commodior excogitari poterat medicandi communibus hominum malis? Primum ipsa voluptas illectat ad legendum, & illectum remoratur. Nam in cæteris alias res alii venantur. Voluptas exæquo blanditur omnibus, nisi si quis stupidior est, quam ut literatæ voluptatis sensu tangi possit. Porro qui illic offenduntur, ubi nullius editur nomen, ii mihi videntur haud multum abesse à mulierculârum affectibus, quæ si qnid in malas fœminas dictum fuerit, sic commoventur, quasi ea contumelia ad singulas pertineat: rursum si quid laudis tribuatur probis mulieribus, sic sibi placent, quasi quod unius aut alterius est, id pertineat ad omnium laudem. Absit hoc ineptiæ genus à viris, at multo magis ab eruditis viris, maxime vero à Theologis. Si quid hic offendo criminis, à quo sum immunis, non offendor, sed ipse mihi gratulor, qui vacem iis malis, quibus multos obnoxios esse video. Sin est tactum hulcus aliquod, & sum ipse mihi ostensus in speculo, nec hic quicquam est causæ, cur offendi debeam: si prudens sum, dissimulabo quod sentio, nec ipse mei veniam proditor: si probus, admonitus cavebo, ne mihi tale convicium posthac in os nominatim possit impingi, quod illic sine nomenclatura notatum video. Cur non

non saltem hoc donamus huic libello, quod vulgaribus istis comœdiis tribuunt & idiotæ? quam multa, quanta cum libertate jaciuntur illic in monarchas, in sacerdotes, in monachos, in uxores, in maritos, in quos non? Et tamen quia nemo nominatim incessitur, arrident omnes, & suum quisque morbum aut fatetur ingenue, aut dissimulat prudenter. Violentissimi quoque tyranni ferunt scurras & moriones suos, cum ab iis aliquoties manifesto convicio feriuntur. Non ultus est Imperator Flavius Vespasianus exprobratam sibi cacantis faciem. Et quinam isti tam delicatis auribus, qui Moriam ipsam non ferunt in communem hominum vitam sine ullius nominis inustione ludentem. Nunquam explosa fuisset vetus comœdia, si ab edendis nominibus illustrium virorum abstinuisset. At tu quidem, optime Dorpi, ita propemodum scribis, quasi totum ordinem Theologicum Moriæ libellus à nobis alienasset. Quid opus fuit, inquis, theologorum ordinem tam acriter lacessere? meamque deploras fortunam. Olim, inquis, tuas lucubrationes magno studio legebant omnes, te præsentem videre gestiebant: nunc Moria, veluti Davus, interturbat omnia. Scio te nihil per calumniam scribere: nec ipse tecum tergiversatorem agam. Quæso, lacessitum theologorum ordinem putas, siquid dictum fuerit in stultos aut malos theologos, eoque indignos nomine? Atqui si placet ista lex, universum mortalium genus infensum habeat qui quid dixerit in sceleratos homines. Quis unquam fuit tam impudens rex, qui non fateatur, regum nonnullos esse malos, hoc honore indignos? Quis episcopus tam insolens, quin idem de suo fateatur ordine? An unus ordo theologorum in tanto numero nullum habet stupidum, nullum indoctum, nullum rixosum, sed tantum Paulos, Basilios, & Hieronymos nobis exhibet? Immo contra fit, ut quo quæque pro-

feſſio præclarior eſt, hoc pauciores habeat qui reſpondeant. Plures invenies bonos naucleros, quam bonos principes, plures medicos bonos, quam bonos epiſcopos. Atqui ea res haud pertinet ad contumeliam ordinis, ſed ad laudem paucorum, qui in pulcherrimo ordine ſeſe pulcherrime geſſerunt. Rogo dic mihi, cur magis offenduntur theologi, ſi modo ſunt qui offendantur, quam reges, quam primates, quam magiſtratus, quam epiſcopi, quam cardinales, quam ſummi pontifices? denique quam negociatores, quam mariti, quam uxores, quam jureconſulti, quam poetæ? nullum enim omnino mortalium genus præteriit Moria, niſi quod non uſque adeo deſipiunt, ut in ſe quiſque dictum exiſtimet, quod in genere dictum ſit in malos. Divus Hieronymus ſcripſit ad Euſtochium de virginitate, atque in eo libro malarum virginum mores ita depingit, ut nullus Apelles magis poſſit oculis exponere. Nunquid offenſa eſt Euſtochium? nunquid ſuccenſuit Hieronymo, quod virginum ordinem dehoneſtaſſet? ne tantulum quidem. at quamobrem tandem? nempe quod virgo prudens non exiſtimaret ad ſe pertinere, ſi quid dictum eſſet in malas: imo gaudebat admoneri bonas, ne in tales degenerarent: gaudebat admoneri malas, ut tales eſſe deſinerent. Scripſit ad Nepotianum de vita clericorum, ſcripſit ad Ruſticum de vita monachorum, ac miris coloribus pingit, miris ſalibus taxat utriuſque generis vitia. Nihil offenſi ſunt ad quos ſcripſit quod ſcirent horum nihil ad ſe pertinere. Cur non alienatus eſt Guilielmus Montioius, inter optimates aulicos non infimus, quod multa luſerit Moria in proceres aulicos? Nempe cum ipſe ſit vir & optimus, & prudentiſſimus, arbitratur, id quod res eſt, quod in malos ac ſtultos dictum eſt primates, nihil ad ſe pertinere. Quam multa luſit in malos & laicos epiſcopos Moria? Cur nihil hiſce rebus offenſus eſt archiepiſcopus Cantuarienſis?

fis? Nempe quia vir omni virtutum genere abſolutus, nihil horum ad ſe pertinere judicat. Quid ego tibi pergam commemorare nominatim de ſummis principibus, de cæteris epiſcopis, de abbatibus, de cardinalibus, de viris eruditione claris, quorum neminem adhuc ſentio vel pilo factum alieniorem Moriæ gratia? Nec adduci poſſum, ut credam ullos theologos irritatos hoc libello, niſi forte pauculos aliquot, qui vel non intelligant, vel invideant, vel natura ſint adeo moroſa, ut nihil omnino probent. Habet enim, id quod in confeſſo eſt, hoc hominum genus admixtos quoſdam, primum ingenio judicioque adeo infelici, ut ad nullas omnino literas ſint appoſiti, nedum theologicas. Deinde poſteaquam pauculas Alexandri Galli regulas edidicerint, ad hæc paululum ineptiſſimæ Sophiſtices attigerint, poſt ex Ariſtotele decem tenuerint propoſitiones, nec has intellectu, poſtremo ex Scoto aut Occam totidem edidicerint quæſtiones, quod ſupereſt, ex Catholico, Mammetrecto, & conſimilibus dictionariis, velut ex Copiæ cornu petituri, mirum quam criſtas efferant, ut nihil eſt arrogantius imperitia. Iſti ſunt qui contemnunt divum Hieronymum ut grammatiſten, quia non intelligunt. Iſti Græcas, Hebraicas, immo & Latinas rident literas. Et cum ſint quovis ſue ſtupidiores, ac ne ſenſu quidem communi præditi, putant ſe totius arcem tenere ſapientiæ. Cenſent omnes, damnant, pronuntiant, nihil addubitant, nuſquam hærent, nihil neſciunt. Et tamen iſti duo treſve magnas ſæpenumeto commovent tragœdias. Quid enim eſt inſcitia vel impudentius, vel pertinacius? Hi magno ſtudio conſpirant in bonas literas, ambiunt in ſenatu theologorum aliquid eſſe, & verentur, ne, ſi renaſcuntur bonæ literæ, & ſi reſipiſcat mundus, videantur nihil ſcitſe, qui antehac vulgo nihil neſcire videbantur. Horum ſunt illi clamores, horum tumultus,

horum conjuratio in viros melioribus addictos literis. His non placet Moria, quia non intelligunt neque Græce, neque Latine. In hujusmodi non theologos, sed Theologiæ histriones; si quid forte dictum sit acerbius, quid hoc ad magnificentissimum bonorum theologorum ordinem? Nam si pietatis studio commoventur isti, cur Moriæ potissimum succensent? Quam impia, quam spurca, quam pestifera scripsit Pogius? At hic ut autor Christianus passim habetur in sinu, in omneis pæne versus linguas. Quibus probris, quibus maledictis clericos insectatur Pontanus? At hic ut lepidus ac festivus legitur. Quantum obscœnitatis est in Juvenale? At hunc quidam putant concionatoribus etiam utilem esse. Quam maledice scripsit in Christianos Cornelius Tacitus? quam inimice Suetonius? quam impie derident immortalitatem animarum Plinius & Lucianus? At hos tamen eruditionis gratia legunt omnes, & merito quidem legunt. Solam Moriam, quia salibus aliquot luserit, non in bonos theologos, & eo dignos titulo, sed in ineruditorum frivolas quæstiunculas, & ridiculum Magistri nostri titulum, ferre non possunt. Ac duo tresve nebulones theologico schemate personati, mihi conantur hanc movere invidiam, quasi theologorum ordinem læserim & alienarim. Ego tantum tribuo theologicis literis, ut eas solas soleam appellare literas. Ita suspicio venerorque hunc ordinem, ut huic uni nomen dederim, ac voluerim asscribi. Quanquam pudore prohibeor, quo minus mihi tam eximium titulum asseram, quippe qui non ignorem, quæ dotes & eruditionis & vitæ theologico nomini debeantur. Nescio quid homine majus profitetur, qui theologum profitetur: episcoporum ea dignitas est, haud mei similium. Nobis satis est Socraticum illud didicisse, quod nihil omnino scimus, & qua possumus, operam nostram juvandis aliorum studiis

dſis conferre. Equidem neſcio ubinam lateant iſti duo treſve theologorum dii, quos ſcribis mihi parum eſſe propicios. Ipſe compluribus in locis ſum verſatus ab edita Moria, in tot Academiis vixi, in tot frequentiſſimis urbibus nullum unquam theologum mihi ſenſi iratum, niſi unum aut alterum ex iſtorum numero, qui omnibus bonis literis ſunt hoſtes. Nec ii tamen unquam verbo mecum expoſtularunt. Quid in abſentem muſſitent, non admodum obſervo, tot bonorum judicio fretus. Ni vererer, mi Dorpi, ne cui videar arrogantius quam verius hæc dicere, quam multos tibi poſſem recenſere theologos, vitæ ſanctimonia celebres, eruditione præcellentes, dignitate præeminentes, aliquot ex his etiam epiſcopos, qui me nunquam magis amplexi ſunt, quam poſt editam Moriam, & quibus ille libellus magis arridet, quam mihi ipſi. Horum ſingulos titulis ac nominibus ſuis hoc loco referrem, niſi vererer, ne tantis etiam viris, Moriæ cauſa, futuri ſint iniquiores tres iſti theologi: immo unum duntaxat eſſe puto apud vos iſtius autorem tragœdiæ. Nam rem propemodum conjecturis aſſequor. Quem ſi vellem ſuis depingere coloribus, nemo miraretur ejuſmodi viro diſplicuiſſe Moriam; immo mihi non placeret, niſi talibus diſpliceret; quanquam nec mihi placet; at iſto certe nomine minus diſplicet, quod talibus ingeniis non placet. Plus apud me ponderis habet ſapientum & eruditorum theologorum judicium, qui tantum abſunt ut me ſugillent mordacitatis, ut moderationem etiam & candorem meum laudibus vehant, qui procax per ſe argumentum citra procaciam tractarim; & in re jocoſa ſine dente luſerim. Etenim ut ſolis reſpondeam Theologis, quos ſolos audio offendi, quis neſcit quam multa vulgo quoq; dicantur in mores malorum Theologorum? Moria nihil attingit iſtiuſmodi; tantum jocatur in ocioſas illorum diſceptatiun

tiunculas; nec has ipsas tamen simpliciter improbat, verum eos damnat, qui in his solis theologicæ rei puppim, ut ajunt, & proram collocant, quique logomachiis, ut divus appellavit Paulus, ejusmodi sic occupantur, ut nec Evangelicas, nec Prophéticas, nec Apostolicas literas vacet legere. Atque utinam, mi Dorpi, pauciores essent huic obnoxii crimini! Possem tibi producere, qui annum egressi octogesimum tantum ætatis in hujusmodi tricis perdiderint, nec unquam contextum Evangelicum evolverint; id quod à me compertum ipsi quoque demum confessi sunt. Ne sub Moriæ quidem persona sum ausus dicere, quod tamen non raro multos audio deplorantes, theologos & ipsos, sed vere theologos, hoc est, viros integros, graves, eruditos, & qui Christi doctrinam penitus ex ipsis imbiberint fontibus. Ii quoties apud eos sunt, apud quos fas liberas animi voces depromere, deplorant, hoc recentius Theologiæ genus mundo invectum, & vetus illud desiderant. Quid enim eo sanctius, quid augustius, quid æque resipiens ac referens illa cœlestia Christi dogmata? At hoc, ut omittam barbari factitiique sermonis sordes & portenta, ut omittam omnium bonarum literarum insciti am, ut imperitiam linguarum, sic Aristotele, sic humanis inventiunculis, sic prophanis etiam legibus est contaminatum, ut haud sciam an purum illum ac syncerum Christum sapiat. Fit enim, ut dum ad humanas traditiones nimium advertit oculos, minus assequatur archetypum. Hinc sæpenumero coguntur Theologi cordatiores aliud ad populum dicere, quam vel apud se sentiant, vel apud familiares loquantur, & aliquoties non habeant quod respondeant consultoribus, cum perspiciunt aliud docuisse Christum, aliud humanis traditiunculis imperari. Quæso, quid commercii Christo & Aristoteli? Quid Sophisticis captiunculis cum æternæ sapientiæ mysteriis? Quorsum tot quæstionum

ſtionum labyrinthi? inter quas quam multæ ſunt ocioſæ, quam multæ peſtilentes, vel hoc ipſo quod contentiones & diſſidia pariunt? At ſunt veſtiganca quædam, ſunt & decernenda quædam. Non abnuo. Sed e diverſo per multa ſunt quæ rectius ſit omittere quam inquirere. Et ſcientiæ pars eſt quædam neſcire permulta de quibus ſalubrius eſt ambigere quam ſtatuere. Poſtremo ſi quid ſtatuendum eſt, id velim reverenter, non arroganter, & ex divinis litteris, non è commerciis hominum, ratiunculis, ſtatui. Nunc neque quæſtiuncularum ullus eſt finis, in quibus ipſis tamen quanta familiarum & factionum diſſenſio? & quotidie decretum ex decreto naſcitur. Breviter, eo redacta res eſt, ut negotii ſumma non tam ex Chriſti præſcripto, quam ex ſcholaſticorum definitionibus & epiſcoporum qualiumcunque poteſtate dependeat. Quibus rebus ſic involuta ſunt omnia, ut ne ſpes quidem ſit mundum ad verum illum Chriſtianiſmum revocandi. Hæc aliaque permulta perſpiciunt ac deplorant ſanctiſſimi, iidemque doctiſſimi viri, quorum omnium præcipuam cauſam in audax hoc & irreverens recentium theologorum genus rejiciunt. O ſi tibi liceret, mi Dorpi, tacitis oculis animi mei cogitationes intueri, nimirum intelligeres quam multa prudens hoc reticeam loco. At horum aut nihil attigit Moria, aut certe leviſſime attigit, ne quem offenderem. Atque eandem cautionem in omnibus ſervare cutavi, ne quid obſcœne ſcriberem, ne quid peſtiferum moribus, ne quid ſeditioſum, aut quod cum ullius ordinis injuria conjunctum videri poſſet. Si quid ibi dictum eſt de divorum cultu ſemper reperies aliquid aſſcriptum, quod palam teſtetur nihil aliud taxari quam ſuperſtitionem non recte colentium divos. Item ſi quid in principes, ſi quid in epiſcopos, ſi quid dicitur in monachos, ſemper addimus quod declaret, illud in ordinis injuriam non eſſe dictum ſed in corruptos &

ſuo

ſuo indignos ordine, ne quenquam bonum læderem, dum malorum inſector vitia. Ac rurſus dum hoc ago, ſubtractis omnium nominibus, effeci quod in me fuit, ne vel mali poſſent offendi. Poſtremo dum ſalibus & joeis, fictaq; & ridicula perſona, tota peragitur fabula, curatum eſt, ut triſtes etiam & moroſi boni conſulant. Jam illud non ut mordacius dictum notari ſcribis, ſed ut impium. Nam quo, inquis, pacto ferant piæ aures, quod futuræ vitæ felicitatem dementiæ ſpeciem vocas? Obſecro te, optime Dorpi, quis tuum candorem docuit ſubdolum hoc calumniandi genus? ſive, quod magis arbitror, quis aſtutus ad hanc mihi ſtruendam calumniam tua abuſus eſt ſimplicitate? Ad hunc modum ſolent iſti calumniatores peſtilentiſſimi duo verba decerpere, eaque nuda, nonnunquam & immutata nonnihil, prætermiſſis his quæ durum alioqui ſermonem leniunt & explicant. Notat ac docet hanc aſtutiam in ſuis inſtitutionibus Quintilianus: Noſtraquã comodiſſime referamus additis confirmationibus, & ſi quid eſt quod mitiget, qd extenuet, qd alioqui cauſã adjuvet: contra, quæ ſunt adverſariorũ, ea deſtituta his omnib. recitemus, idq; verbis, quam fieri poteſt odioſiſſimis. Hanc artem iſti non ex Quintiliani præceptis, ſed ex ſua malevolentia didicerunt: qua ſæpenumero fit, ut quæ magnopere placitura fuerint ſi ſic referantur ut ſcripta ſunt, aliter recitata vehementer offendant. Relege quæſo te, locum ac diligenter inſpice, quibus gradibus, quoque ſermonis progreſſu hoc perventum ſit, ut felicitatem illam dementiæ ſpeciem eſſe dicerem. Ad hæc obſerva, quibus verbis id explicem: videbis illic eſſe quod vere pias aures etiam delectet, tantum abeſt ut quicquam ſit quod offendat. In tua recitatione offendiculum eſt, non in meo libello. Etenim cum hoc ageret Moria, ut univerſum rerum genus ſtulticiæ nomine complecteretur, doceretque,

totius

totius humanæ felicitatis ſummam à ſtulticia pendere, per omne mortalium genus pervagata eſt, uſq; ad reges ac ſummos pontifices. Deinde perventum eſt ad ipſos apoſtolos atque adeo Chriſtum, quibus ſtulticiam quandam tributam reperimus in ſacris literis. Neque vero periculum eſt; ne quis hic imaginetur apoſtolos aut Chriſtum vere ſtultos fuiſſe, ſed quod in his quoque fuerit infirmum quiddam, & noſtris tributum affectibus, quod ad æternam illam ac puram ſapientiam parum ſapiens videri poſſit. Verum hæc ipſa ſtulticia vincit omnem mundi ſapientiam, quemadmodum & propheta omnem mortalium juſtitiam pannis confert fœminæ menſtruo fluxu contaminatæ, non quod bonorum juſtitia polluta ſit, ſed quod ea quæ apud homines puriſſima ſunt, quodammodo impura ſint, ſi ad illam ineffabilem dei puritatem conferantur. Et ut ſapientem propoſui ſtultitiam, ita ſanam inſaniam, & cordatam amentiam facio. Quoque mollius eſſet, quod de ſanctorum fruitione ſequebatur, præmitto tres Platonis furores, è quibus feliciſſimus ſit amantium, qui nihil aliud ſit quam ecſtaſis quædam. At piorum ecſtaſis nihil aliud eſt quam guſtus quidam futuræ beatitudinis, qua toti abſorbebimur in deum, in illo magis quam in nobis ipſi futuri. At hunc Plato furorem vocat, cum quis extra ſe raptus, in eo eſt quod amat, eoq; fruitur. Non vides quã diligenter paulo poſt diſtinxerim ſtulticiæ & inſaniæ genera ne quis ſimplicium in verbis noſtris labi poſſet? Verum de re non pugno, inquis à verbis ipſis abhorrent piorum aures. At cur non offenduntur eædem aures iſtæ, cum Paulum audiunt dicentem, Quod ſtultum eſt dei? &, Stultitiam crucis? Cur non divum Thomam in jus vocant, qui de Petri ecſtaſi ſcribit in hunc modum: Dum pie deſipit, ſermonem incipit de tabernaculis. Sacrum illum ac felicem raptum deſipientiam vocat, & tamen iſta canun-

tur in templis. Cur mihi non olim ſcripſere dicam, quod in precatione quadam Chriſtum magum dixerim & incantatorem? Divus Hieronymus Chriſtum Samaritanum appellat, cum fuerit Judæus. Paulus eundem & peccatum vocat, quaſi plus dicas quam peccatorem. Maledictum vocat, quam impium convicium, ſi quis maligne velit interpretari; quam pia laus, ſi quis, ut Paulus ſcripſit, ita accipiat? Ad conſimilem modum, ſi quis Chriſtum prædonem appellet, ſi quis adulterum, ſi quis temulentum, ſi quis hæreticum nonne futurum ſit, ut boni omnes obturent aures? At ſi quis commodis verbis hæc efferat, & ſermonis progreſſu paulatim huc lectorem veluti manu deducat; quemadmodum triumphans per crucem, prædam ab inferis abductam patri revexerit; quemadmodum Moyſi ſynagogam, velut uxorem Uriæ, ſibi adjunxerit ut ex ea naſceretur pacificus populus; quo facto charitatis muſto temulentus, ſemetipſum nobis impenderet; quemadmodum novum doctrinæ genus invexerit, ab omnium & ſapientum & inſipientum placitis longe diverſiſſimum: quis quæſo poterit offendi, præſertim cum horum vocabulorum ſingula nonnunquam reperiamus in arcanis literis, in bonum uſurpata ſenſum? Nos in Chiliadibus (nam id obiter venit in mentem) apoſtolos Silenos appellavimus, immo Chriſtum ipſum Silenum quendam diximus. Accedat iniquus interpres, qui hoc tribus verbis odioſius explicet; quid intolerabilius? At legat pius & æquus quæ ſcripſi; probavit allegoriam. Demiror autem, nec illud animadverſum ab iſtis, quam cautim efferam iſta, quamque correctione ſtudeam mitigare. ſic enim propono. Sed poſteaquam ſemel τὴν θεοτητὴν induimus, age doceamus & illud, felicitatem Chriſtianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud eſſe quam inſaniæ ſtultitiæque genus quoddam. Abſit invidia verbis, rem ipſam potius expendite. Audiſne,

diſne? Primum quod *Moria* de re tam arcana diſputat, id mitigo proverbio, quod nam leonis exuvium induerit. *Nec* ſimpliciter appello ſtulticiam aut inſaniam, ſed ſtulticiæ inſaniæque genus, ut piam ſtulticiam, & felicem intelligas inſaniam, juxta diſtinctionem quam mox ſubjicio. Nec hoc contentus, addo, quoddam, ut appareat, figuram ſubeſſe, non ſimplicem eſſe ſermonem. Nec his contentus, offenſam deprecor, quam verborum ſonus poſſit gignere; & admoneo, ut magis obſervent quid dicatur, quam quibus dicatur verbis. Atque hæc quidem in ipſa ſtatim propoſitione. Jam vero in ipſa tractatione quid eſt omnino, quod non pie, quod non circumſpecte ſit dictum, ac reverentius etiam quam ut conveniat Moriæ? Sed ibi malui pauliſper obliviſci decori, quam non ſatisfacere dignitati rei; malui rhetoricen offendere, quam lædere pietatem. Ac poſtremo peracta probatione, ne quem moveret, quod de re tam ſacra Stulticiam, hoc eſt, jocoſam perſonam, fecerim loquentem; & hanc deprecor culpam hiſce verbis; verum ego jamdudum oblita mei ὑπὲρ τὰ ἰσχαμμένα πηδῶ. Quanquam ſi quid petulantius aut loquacius à me dictum videbitur, cogitate, & Stulticiam & mulierem dixiſſe. Vides ut nuſquam ceſſarim omnem offendiculi anſam præcidere. Verum iſta non perpendunt quorum aures præter propoſitiones, concluſiones, & corollaria nihil admittunt. Quid quod præfatione præmunierim libellum, qua conor omnem præludere calumniam? neque quicquam addubito, quin ea candidis omnibus faciat ſatis. Quid autem facias iſtis, qui vel ob ingenii pertinaciam ſibi ſatisfieri nolint, vel ſtupidiores ſint quam ut ſatisfactionem intelligant? nam quemadmodum Simonides dixit, Theſſalos hebetiores eſſe, quam ut poſsint à ſe decipi, ita quoſdam videas ſtupidiores, quam ut placeri queant. Adhæc, non

mirum

mirum est, invenire quod calumnietur qui nihil aliud quærit nisi quod calumnietur. Quod si quis eodem animo legat divi Hieronymi libros centum locos offendet qui calumniæ pateant: nec deerit in omnium Christianissimo doctore quod ab istis hæreticum possit appellari. ne quid interim dicam de Cypriano, de Lactantio, deque cæteris consimilibus. Denique quis unquam audivit ludicrum argumentum in Theologorum vocari cognitionem? Quod si placet, cur non eadem opera quicquid à poetis hodie scribitur aut luditur, ad hanc excutiunt legem? quot illic reperient obscœna, quot veterem paganismum olentia? Verum hæc quoniam inter seria non habentur, nemo theologorum existimat ad se pertinere. Neque tamen postulem istorum exemplum mihi patrocinari. Ego nec joco scriptum à me velim, quod ullo pacto Christianorum officiat pietati. Modo detur qui quod scriptum est intelligat: modo detur æquus & integer, quique cognoscere studeat, non affectet calumniari. At si quis istorũ habeat rationem, qui primũ nullo sunt ingenio præditi, minore judicio, deinde nihil omnino bonarũ literarum attigerunt, sordida tantum ista, perturbataque doctrina infecti potius quam eruditi: denique infensi omnibus, qui sciunt quod ipsi nesciant, nec aliud secum adferentes propositum, quam calumniandi, quicquid illud sit, quod forte utcunque intellexerint: is nimirũ nihil omnino scripturus est, si vacare velit calumnia. Quid quod istorum nonnullos gloriæ studium ad calumniandum adducit? Nihil enim glorioſius insciti cum scientiæ persuasione conuncta. *Proinde* cum vehementer sitiant famam nec eam possint bonis rationibus assequi, malunt Ephesium illum juvenem imitari, qui incenso fano totius orbis celeberrimo nobilitatus est, quam inglorii vivere. Et cum ipsi nihil lectu dignum possint edere, toti sunt in hoc, ut celebrium virorum lucubratio-

brationes carpant. De aliis loquor, non de me, qui nihil omnino sum. Ac Moriæ libellum ipse ne pili quidem facio, ne quis putet hac re commoveri nos. Quid autem mirum, si tales, quales modo diximus, propositiones aliquot eligant, ex magno decerptas opere, quarum alias faciant scandalosas, alias irreverentiales, alias male sonantes, alias impias & hæresim sapientes? non quod hæc mala reperiant illic, sed quod ipsi secum adferant. Quanto placabilius erat, & Christiano candore dignius, erudi torum hominum industriam favore alere? & si quid forte fortuna fuerit elapsum incogitantius aut connivere, aut comiter interpretari, quam inimice quærere quod reprehendas, & sycophantam agere, non theologũ? Quanto felicius mutua collatione vel docere, vel discere: & ut Hieronymianis utar verbis, in scripturarum campo sine nostro dolore ludere? At in istis mirum quam nihil sit medium. Quosdam autores sic legunt, ut quantumvis manifestum incideritt erratum, vel frivolo prætextu defendant: in quosdam adeo sunt iniqui, ut nihil tam circumspecte dici possit, quod non aliqua ratione calumnientur. Quanto præstiterat, dum hæc agunt, dum vicissim & lacerant, & lacerantur, simul & suum perdentes ocium, & alienum, Græcas aut Hebraicas, aut certe Latinas literas discere? quarum cognitio tantum adfert momenti ad divinarum scientiam literarum, ut mihi sane videatur vehementer impudens, earum rudẽ Theologi nomen sibi vendicare. Proinde, Martine optime, pro mea in te benevolentia non te desinam adhortari, quod antehac sæpius feci, ut studiis tuis saltem Græcarum literarum cognitionem adjungas. Rara quædã est ingenii tui felicitas. Stylus solidus & nervosus, ac fluens & exuberans, animum arguit non sanum modo, verumetiam fœcundum. Suppetit ætas non tantum integra, sed virens adhuc & florida: & vulgatum istum studiorum cursum jam feliciter

liciter absolvisti. Crede mihi si istis tam præclaris initiis grecanicæ literaturæ colophonē addideris, ausim tum mihi, tum aliis omnibus, magnum quiddam de te polliceri, & quod ante hac nemo recentiū theologorum præstiterit. Quod si in hac es opinione, ut amore veræ pietatis putes omnem humanam eruditionem esse contemnendam; & arbitraris, ad hanc sapientiam majore compendio perveniri transfiguratione quadam in Christum; cæteraq; omnia quæ digna cognitu sint plenius in fidei lumine perspici quā in hominum libris: facile tuæ subscripsero sententiæ. Quod si ut nunc habet humanarum rerum status, veram Theologicæ rei cognitionem tibi promittis absque linguarum peritia, præsertim ejus, in qua pleræque sunt traditæ divinæ literæ; tota nimirum erras via. Atq; utinam hanc rem persuadere tibi tam possim quam cupio: nam cupio non minus quam & te diligo & tuis studiis faveo: porro tum diligo effusissime, tum faveo impensissime. Quod si tibi non possum approbare, saltem illud amici precibus dones velim, ut periculum facias. Nihil recusabo supplicii, nisi fateberis amicum ac fidum fuisse consilium. Si quid meretur hic meus in te amor, si quid valet patria communis, si quid tribuis huic. non ausim dicere, doctrinæ, sed certe laboriosæ in bonis literis exercitationi, si quid tribuis ætati, (nam quantum ad annos attinet, ego tibi pater esse possem;) sine me hoc vel gratia, vel autoritate, si minus argumentis, abs te impetrare. Ita demum mihi videbor eloquens, quod tu mihi soles tribuere, si hanc rem persuasero. Quod si assequor, futurum est ut uterque gaudeamus, ego dedisse consilium, tu paruisse. Et qui nunc es omnium charissimus, hoc nomine non paulo futurus es charior, quod te tibi redciderim chariorem; sin minus; vereor, ne natu jam grandior, ac rerum usu doctus, & meum probaturus sis consilium, & tuam damnaturus sententiam: quodque fere solet

ſolet uſu venire, tum intelligas errorem tuum, cum ſerum erit mederi. Poſſem tibi per multos enumerare nominatim, qui cani jam cœperint in his literis repueraſcere quod tandem animadvertiſſent ſine his mancum ac cæcum eſſe litterarum ſtudium. Verum hac de re nimis jam multa: ut ad tuam redeam epiſtolam. Quoniam exiſtimas hac una ratione leniri poſſe theologorum invidiam, & veterem inſtaurati favorem, ſi quaſi παλινῳδίαν, Sophiæ laudem opponam Moriæ encomio: vehementer hortaris & obſecras ut ita faciam. Ego, mi Dorpi, qui neminem contemno niſi me ipſum, quique cupiam, ſi liceat univerſos mortales habere placatos; nec hoc laboris gravarer ſuſcipere, niſi proſpicerem futurum, ut, ſi quid apud paucules iniquos & indoctos ortum eſt invidiæ, non ſolum non extinguatur, verum etiam magis exacerbetur. Proinde ſatius eſſe duco, μὴ κινεῖν τὸ ἐν κήμενον κακὸν, ϗ ταύτης καμαρίνας μὴ ἅπτεσθαι. Rectius, ni fallor tempore langueſcet hæc excetra. Nunc ad alterã epiſtolæ tuæ partẽ venio. Operam meam in Hieronymo reſtituendo magnopere comprobas, & ad conſimiles hortaris labores. Hortaris tu quidem jam currentem; quanquã non tam hortatoribus opus eſt ad hanc rem quã adjutoribus; tantum eſt in negocio difficultatis. Verum nolo poſt hac mihi quicquam credas, niſi hic veracem deprehenderis. Iſti quos tantopere offendit Moria, nec Hieronymi probabunt editionem, nec iſti multo ſunt æquiores Baſilio, Chryſoſtomo, Nazianzeno, quam nobis; niſi quod in nos licentius debacchantur; quanquam aliquoties irritatiores, nec illis indigna luminibus verentur effutire: bonas literas metuunt, & ſuæ timent tyrannidi. Atque ut intelligas me non temere hoc divinare: cum opus eſſet inſtitutum, & fama jam percrebuiſſet, accurrere quidam graves ut habentur, viri, & inſignes, ut ſibi videntur, Theologi per omnia ſacra typographum

typographum obteſtantes, ne quid Græcitatis aut Hebraiſmi pateretur admiſceri: ingens in eis literis eſſe periculum, nec quicquam eſſe fructus; ad ſolam curioſitatem eſſe paratas. Et ante hoc tempus cum apud Britannos agerem, forte fortuna incidit mihi compotatio cum Franciſcano quodam primi nominis Scotiſta, qui plebis judicio multum ſapere, ſuo nihil neſcire videbatur: huic cum expoſuiſſem quid in Hieronymo conarer, vehementer admiratus eſt, eſſe quicquam in hujus libris, quod à Theologis non intelligeretur: homo uſque adeo indoctus, ut demirer ſi tres verſus in omnibus Hieronymi lucubrationibus recte intelligat. Addebat homo ſuavis, ſi quid in Hieronymi præfationibus addubitarem, Britonem omnia luculenter expoſuiſſe. Quæſo, mi Dorpi, quid iſtis facias Theologis, aut quid preceris, niſi forte fidelem medicum, qui cerebro medeatur? Et tamen hujus farinæ ſunt aliquoties, qui in theologorum confeſſu fortiſſime vociferantur. Hi de Chriſtianiſmo pronunciant. Timent & horrent ceu rem periculoſam ac peſtilentem, quam divus Hieronymus, quam Origines etiam ſenex magnis ſudoribus ſibi paravit, quo vere theologus eſſet. At Auguſtinus jam epiſcopus, jam ſenex, in Confeſſionum libris deplorat, quod juvenis ab eis literis abhorruiſſet, quæ ſibi in exponendis ſacris literis magno uſui eſſe potuiſſent. Si periculum eſt, non metuam hoc diſcriminis, quod viri tam ſapientes affectarunt: ſi curioſitas, nolim eſſe ſanctior Hieronymo; de quo quam bene mereantur iſti, qui quod ille fecit, curioſitatem vocant, viderint ipſi. Extat pervetuſtum Pontificii ſenatus decretum, de conſtituendis doctoribus, qui linguas aliquot publice traderent: cum de ſophiſtica, de Ariſtotelis philoſophia perdiſcenda, nuſquam unquam quicquam ſit cautum: niſi quod iſta in decretis vocantur in dubium, utrum fas ſit ea diſcere, nec ne; atque horum ſtudium à multis

multis ac magnis autoribus improbatur. Cur, quod Pontificum autoritas iuſſit, negligimus: de quo dubitatum eſt, immo quod improbatum, id ſolum amplectimur? quanquam idem iſtis evenit in Ariſtotele, quod in divinis literis: adeſt ubique Nemeſis illa, contempti ſermonis ultrix: paſſim & hic hallucinantur, ſomniant, excutiunt, impingunt, meraque portenta proferunt. His egregiis Theologis debemus, quod ex tam multis ſcriptoribus, quos in catalogo recenſet Hieronymus, tam pauci ſuperſint, quia ſcribebant quod magiſtri noſtri non intelligerent. His debemus quod divum Hieronymum ſic habemus depravatum ac mutilum, ut aliis plus prope negotii ſit in reſtituendo, quam ipſi fuerit in ſcribendo. Iam vero quod tertio loco ſcribis de Novo teſtamento, ſane demitor quid tibi acciderit, aut quonam interim perſpicaciſſimos ingenii tui oculos averteris. Nolis quicquam à me mutari, niſi ſi quid forte ſit apud Græcos ſignificantius; & negas in hac, qua vulgo utimur editione, quicquam eſſe vitii. Nefas eſſe putas, rem tot ſeculorum conſenſu, tot ſynodis appprobatam, ullo pacto convellere. Obſecro te, ſi vera ſcribis eruditiſſime Dorpi, cur frequenter aliter citat Hieronymus, aliter Ambroſius, quam nos legimus? Cur Hieronymus multa reprehendit, & corrigit nominatim, quæ tamen in hac habentur editione? Quid facies, cum tam multa conſentiunt, hoc eſt, cum ſecus habent Græcorum codices, cum ad horum exemplar citat Hieronymus, cum idem habent vetuſtiſſima Latinorum exemplaria, cum ipſe ſenſus multo rectius quadrat? num his omnibus contemptis, tuum ſequeris codicem, fortaſſis à ſcriba depravatum? Neque vero quiſquam aſſeverat in divinis literis ullum eſſe mendacium: Quandoquidem & hoc adductum eſt abs te; neque totum hoc, de quo cum Hieronymo digladiatur Auguſtinus, quicquam ad rem pertinet.

At

At illud ipſa res clamitat, & vel cæco, quod ajunt, poteſt eſſe perſpicuum, ſæpe vel ob imperitiam interpretis vel ob oſcitantiam, Græca male reddita eſſe, ſæpe germanam ac veram lectionem ab indoctis librariis fuiſſe depravatã, (id quod quotidie videmus accidere) aliquoties mutatam à ſemidoctis parum attentis. Uter magis favet mendacio, qui hæc corrigit ac reſtituit, an qui citius ferat addi mendam, quam tolli? Quandoquidem ea depravatorum natura eſt, ut menda mendam gignat. Et ſunt fere ejuſmodi, quæ mutamus, ut ad emphaſim pertineant magis, quam ad ſenſum ipſum; quanquam ſæpenumero magna ſenſus pars eſt emphaſis. Verum non raro tota aberratum eſt via. quod quoties accidit, quæſo te, quo confugit Auguſtinus, quo Ambroſius; quo Hillarius, quo Hieronymus, niſi ad Græcorum fontes? Id cum ſit eccleſiaſticis quoque decretis comprobatum, tamen tergiverſaris, & ſtudes refellere vel potius elabi diſtinctiuncula. Scribis, eo ſeculo Græcorum codices emendatiores fuiſſe Latinis: nunc contra eſſe, nec fidendum illorum libris, qui deſciverint ab eccleſia Romana. Vix adducor, ut credam te hoc ex animo ſcribere. Quid ais non legemus eorum libros, qui deſciverunt à fide Chriſtiana? Cur igitur Ariſtoteli tantum autoritatis tribuunt, ethnico, cui nihil unquam fuerit cum fide commercii? Tota Judæorum gens à Chriſto deſcivit nihil igitur ponderis habebunt apud nos Pſalmi & Prophetæ illorum ſermone ſcripti? Jam mihi recenſe capita omnia, in quibus Græci à Latinis Diſſentiunt orthodoxis: nihil reperies quod ex novi Teſtamenti verbis natum ſit, aut quod huc pertineat. Tantum de vocabulo hypoſtaſeos, de proceſſione ſancti ſpiritus, de conſecrandi cæremoniis, de paupertate ſacerdotum, de poteſtate Romani pontificis controverſia. At nihil horum ex falſatis approbant exemplaribus. At quid dices, ubi videris ſic interpreta-

pretatum Originem, ſic Chryſoſtomum, ſic Baſilium, ſic Hieronymum? Num eo quoque ſeculo falſaverat aliquis Græcorum codices? Aut quis unquam deprehendit Græcorum codices vel uno in loco falſatos fuiſſe? poſtremo cur falſare velint, cum hinc non tueantur ſua dogmata? Adde huc, quod ſemper in omni doctrinæ genere Græcorum codices emendatiores fuiſſe, quam noſtros, fatetur & *M.* Tullius, quanquam alioqui Græcis iniquior. Nam diſtinctio literarum, apices, & ipſa ſcripturæ difficultas, in cauſa eſt, quo minus facile queant vitiari; aut ſi quid fuerit vitiatum facilius poſſit reſtitui. Porro quod ſcribis, ab hac editione non eſſe recedendum, tot videlicet conciliis approbata: more vulgarium theologorum facis, qui quicquid ullo modo in publicum uſum irrepſit, eccleſiaſticæ tribuere ſolent autoritati. At mihi vel unam profer ſynodum, in qua ſit hæc editio comprobata. Nam qui comprobabit, quæ, cujus ſit nemo novit, Nam Hieronymi non eſſe, vel ipſæ teſtantur Hieronymi præfationes. Sed eſto comprobarit ſynodus aliqua num ita combrobavit, ut nihil omnino liceat ex Græcorum fontibus emendare? Num mendas etiam omnes comprobavit, quæ variis modis potuerint irrepere? Nam huiuſmodi verbis conceptum fuit decretum à patribus? Hæc editio cujus ſit autoris neſcimus, ſed tamen eam approbamus: nec obſtare volumus, ſi quid ſecus habent Græci codices, quantumvis emendati; ſi quid ſecus legit Chryſoſtomus. aut Baſilius, aut Athanaſius, aut Hieronymus; etiam ſi illud magis quadraverit ad ſenſum Evangelicum: & tamen hos ipſos autores in cæteris magnopere comprobamus. Quin etiam quicquid in poſterum, quocunque modo vel à ſemidoctis & audaculis, vel ab imperitis, ebriis, oſcitantibus librariis fuerit

vitiarum, depravatum, additum, omissum, eadem probamus autoritate: neque cuiquam volumus licere, mutare scripturam semel inductam. Ridiculum decretum, inquis, At hujusmodi necesse est fuisse si nos autoritate synodi deterres ab hac industria. Postremo quid dicturi sumus, ubi viderimus, nec hujus editionis exemplaria consentire? Num & hanc pugnantiam approbavit synodus, præscia videlicet, quid quisquam mutaturus esset? Atque utinam, mi Dorpi, tantum esset ocii Romanis pontificibus, ut hisce de rebus salutares ederent constitutiones, quibus caveretur, de restituendis bonorum autorum monumentis, de parandis & reponendis emendatis exemplaribus. Verum in eo consilio sedere nolim istos falsissimo nomine theologos, qui huc tantum spectant, ut quod ipsi didicerunt, id solum habeatur in precio. Quid autem isti didicerunt, quod non sit ineptissimum, & idem confusissimum? Quibus si contingat tyrannis, futurum est, ut antiquitatis optimis autoribus rejectis, insulsissimas istorum nænias pro oraculis habere cogatur mundus; quæ usque adeo nihil habent bonæ eruditionis, ut eo sane æqualim vel mediocris esse cerdo, quam istius generis optimus, si nihil melioris accesserit doctrinæ. Isti sunt, qui nolint quicquam restitui, ne quid ignorasse videantur. Hi nobis fictã synodorũ authoritatem objiciunt: hi magnum Christianæ fidei discrimen exaggerant: hi periculum ecclesiæ, quam isti scilicet humeris suppositis fulciunt, rectius plaustrum fulturi', & hujusmodi fumos, spargunt apud vulgus indoctum ac superstitiosum: apud quod cum pro Theologis habeantur, nolint ullam opinionis suæ jacturam facere. Verentur ne, cum perperam divinas citant literas, id quod sæpenumero faciunt, Græcæ aut Hebraicæ veritatis autoritas in os jaciatur, & mox appareat

pareat, esse somnium quod velut oraculum adducebatur. Divus Augustinus, vir tantus, ad hæc episcopus, non gravatur vel ab anniculo puero discere. Isti tales malunt omnia sursum ac deorsum miscere, quam committere, ut quicquam videantur ignorare, quod ad absolutam pertineat eruditionem. Quanquam nihil hic video, quod magnopere pertineat ad fidei Christianæ synceritatem: quod si maxime pertineret, hoc certe magis esset elaborandum. Neque vero periculum est, ne protinus omnes desciscant a Christo, si fors auditum fuerit, repertum esse in sacris libris, quod vel scriba depravarit indoctus aut dormitans, vel interpres, nescio quis parum apte verterit. Aliis ex rebus hoc periculum est, quas hoc loco prudens subticeo. Quarto Christianius fuerit, semotis contentionibus, quod quisque possit, in communem usum libenter conferre, idque candide amplecti, simulque & citra fastum discere qd nescias, & citra invidiam docere quod scias. Quod si qui sunt illiteratiores quam ut quicquam recte docere possint, elatiores quam ut quicquam discere velint, hos, quoniam pauculi sunt, valere iinamus, & bonarum, aut certe bonæ spei mentium, potius habeamus rationem. Ostendi quondam meas annotationes rudes adhuc, & edhuc à follibus, quod ajunt, calentes, viris integerrimis, summis Theologis, doctissimis episcopis: hi fatebantur, ex illis qualibuscunque rudimentis sibi plurimum lucis affulsisse ad divinarum literarum cognitionem. Porro quod admones, sciebam, *Laurentium* Vallam ante nos hoc laboris occupasse, quippe cujus annotationes primus curarim evulgandas: & Jacobi Fabri in *Paulinas* epistolas commentarios videram; atque utinam ab his sic esset elaboratum, ut nostra industria nihil foret opus, Equidem Vallam plurima laude dignum arbitror, hominem rhetoricum

toricum magis quam theologum, qui hac diligentia sit usus in sacris literis, ut Græca cum Latinis contulerit; cum non pauci sint Theologi, qui nunquam universum testamentum ordine perlegerint: quanquam ab hoc aliquot locis dissentio, præsertim in his quæ ad rem Theologicam pertinent. Porro Jacobus Faber commentarios illos jam tum habebat in manibus, cum nos hoc operis moliremur: ac parum commode evenit, ut nec in familiarissimis colloquiis alterutri nostrum in mentem venerit, de suo meminisse instituto. Nec ante cognovi quid agitasset ille, priusquam opus formulis excusum prodisset. Et hujus conatum vehementer approbo: quanquam ab hoc quoque locis aliquot dissentimus inviti cum tali amico libenter ὁμόψηφοι futuri per omnia, nisi veri magis quam amici esset habenda ratio, præsertim in sacris literis. Sed mihi nondum satis liquet, cur hos duos objicias. num ut à re velut occupata deterreas? At apparebit, me post tantos etiam viros non sine causa laborem hunc suscepisse. An hoc significas, nec istorum industriam probari Theologis? Equidem quid Laurentio ad veterem illam invidiam accesserit, non video. Fabrum audio probari ab omnibus. Quid, quod nec omnino simile negotium molimur? Laurentius tantum annotavit locos aliquot, idque, ut apparet, in transcursu, levique, quod dici solet, brachio. Faber in Paulinas duntaxat epistolas edidit commentarios, easque suo more vertit: tum si quid discrepabat, obiter annotavit. Nos universum testamentum novum ad Græcorum exemplaria vertimus, additis è regione Græcis, quo cuivis promptum sit conferre. Adjecimus separatim annotationes, in quibus partim argumentis, partim veterum autoritate theologorum docemus, non temere mutatum quod emendavimus, ne vel fide careat

reat noſtra correctio, vel facile depravari poſſit quod emendatum eſt. Atque utinam præſtare potuiſſemus, quod ſedulo ſumus conati. Nam quantum ad eccleſiæ negotium attinet, nihil verebor has meas vigilliolas cuivis epiſcopo, cuivis cardinali, cuivis etiam Romano pontifici dare, modo talis ſit, qualem habemus. Poſtremo non dubito futurum, quin tu quoque ſis edito libro gratulaturus, qui nunc ab edendo dehortaris, modo vel paululum eas deguſtaris literas, ſine quibus hiſce de rebus recte judicari non poſſit. Vide, mi Dorpi, ut eo cem officio geminam inieris gratiam; nimirum alteram apud theologos iſtos, quorum nomine diligentiſſime functus ſis tua legatione: alteram apud me cui tam amica admonitione teſtatiorem feceris amorem tuum. Tu viciſſim boni conſules noſtram æque liberam ſatisfactionem, & ſi ſapis, noſtro conſilio potius accedes, qui tuam unius rem ago, quam iſtorum, qui tuum ingenium eximiis rebus natum, non ob aliud ſtudent in ſuam trahere factionem, quam quo tanti ducis acceſſione ſuas communiant copias. Sequantur illi meliora, ſi poſſint; ſin minus, tu tamen quod eſt optimum ſequere. Quod ſi non potes illos reddere meliores, id quod velim te adniti, ſaltem illud cave, ne te reddant deteriorem. Porro fac ut qua fide cauſam iſtorum apud me egiſti, eadem meam agas apud iſtos. Placabis homines, quoad fieri poteſt, & perſuadebis, me, quod facio, non in eorum facere contumeliam, qui haſce literas neſciunt, ſed in publicam omnium utillitatem; quæ nemini non patebit, ſi velit uti; neminem urgebit, ſi malit carere: tum eo eſſe animo, ut ſiquis oriatur qui rectoria docere poſſit aut velit me primũ fore qui noſtra recindam & abrogem, & illius ſubſcribam ſententiæ Joanni Paludano multam ex me ſalutem dicito; cum quo fac ut hanc de *Moria* li-

tem partiaris, propter commentarios illi dicatos à Lystrio nostro. Doctissimo Nevio, humanissimo D. Nicolao de Beveris, præposito divi Petri, fac me diligenter commendes. Menardum abbatem, quem tam magnificis ornas præconiis, nec dubito quin, qua es fide, verissimis, vel tua causa diligo, veneroque: Neq; negligam in literis meis simul atque inciderit commoditas, ejus honorificam facere mentionem. Bene vale, mortalium charissime Dorpi. *Antverpiæ, Anno.* MDXV.

ERAS-

ERASMVS ROT.

THOMÆ MORO

S D.

QUÆ tibi narrata sunt de concertatiuncula, quæ mihi fuit apud hujus Academiæ Rectorem cum Nicolao Egmondano, nec omnino vera sunt, neque tamen nihil habent veri: sic enim solet rumor, & augere quod gestum est, & variare fabulas: neque vero mihi tam inimicus est, ut patiar illum mendaciis traduci. Rem igitur ut habet accipe: Quandoquidem video vobis isthic tantum esse ocii, ut quid heic ineptiamus vacet cognoscere. Ubi literis expostulassem apud hujus Academiæ rectorem, quod Egmondanus in concione nos perstrinxisset, rescripsit ille: Si placeret ipsum audire coram sua verba sonantem, fortasse rem posse componi. Respondi, me nihil detrectare; tametsi non essem nescius, ab illo μηδὲν ὑγιὲς proditurum. Convenimus, consedit Rector, huic ego dexter assedi, sinister ille. Nec erat inanis ordo: noverat Egmondani mores, ac de me sibi falso persuaserat, eum esse, qui possem irritari: proinde medius consedit, quo pugnam dirimeret, si forte λογομαχία ad ungues ac pugnos efferveseeret. Rem igitur paucis exponit Rector. Ibi composito ad miram, sed ridiculam gravitatem vultu, infit Egmondanus: Ego nihil feci injuriam in sacris concionibus: si Erasmus se putat læsum, proferat; sum illi responsurus. Rogabam, an putaret ullam atrociorem injuriam quam hominem immerentem in publica

concione traducere mendaciis. Ibi continuo commotus homo, & relicta quam cœperat perſona, magis etiam purpuraſcens, (nam rubebat & antea; erat enim tempus pomeridianum.) Et cur, inquit, tu nos traducis tuis ſacris libris? In libris, inquam, meis nuſquam eſt nomen tuum. Nec in concionibus, inquit, meis auditum eſt nomen tuum. Negavi, libros meos eſſe ſacros, in quibus aliquando narrem etiam ſomnia mea, nihilque non nuger: non idem licere in ſacris concionibus. Præterea longe minus, inquam, ſcripſi de te quam res habet. Tu de me publice mentitus es, dicens, faviſſe Luthero, cui nunquam favi in eum ſenſum, in quem tua dicta interpretatur populus & ipſe ſentis. Ibi jam non commotus, ſed furenti ſimilis: Imo, inquit, tu es autor horum omnium, tu es verſipellis ac veterator, & nihil non intorques cauda quadam. Atque his ſimilia multa evomuit verius, quam dixit, quæ illi tum ſuggerebat ſplendida bilis. Senſi, & mihi concitari ſtomachum; jamque vox quædam eruperat, ſermonis non ſatis temperati proœmium, non quidem racha, ſed aliud quiddã, quod pejus oleat quam ſonat. Sed repreſſi me illlico ſatius ducens, & meæ) nam param valebam) & Rectoris parcere valetudini, cui & ipſi cum medicis res erat; poſtremo ſtultum & indecorum ratus, adverſus furentem furere. Itaque ſubridens, verti me ad Rectorem: Poſſem, inquam, teſtari de inſigni contumelia, poſſem regerere convicia appellet me verſipellem, licerer ipſum viciſſim appellare vulpem: appellat me duplicem, poſſem ipſum appellare quadruplicem: ais me cauda contorquere omnia, poſſem dicere illum lingua ſua inficere omnia: ſed hæc nec viris digna ſunt, ac vix etiam mulieribus. Agamus argumentis. Finge me. Hic ille protinus interpellans magno clamore nautico: Non fingo, inquit; nolo fingere. hoc veſtrum eſt; vos poetæ fingitis, ac mentimini omnia. Jam magis

magis ridere libebat quam indignari. Si fingere non vis, inquam, da igitur. Nolo, inquit, dare. Fac, inquam ita esse. Non faciam, inquit. Sit igitur ita, inquam. At non est, inquit. Quid igitur, inquam, vis me dicere? Dic, inquit, Ita est. Vix Rector impetravit, ut sineret me loqui. Vt verum sit, inquam, me in libris meis quædam scripsisse secus quam oporter, non tamen hoc erat tuum, ad animi tui vindictam abuti sacri loci, sacræ concionis autoritate, & populi simplicis credulitate. Poteras vicissim in me scribere, poteras me in jus vocare. Nunc non tam mihi facis injuriam, quam toti huic academiæ, quam toti populo, quam sacræ concioni, quæ longe aliis fabulis dicata est. Hic quum deesset homini quod responderet, alio ut solet deflexit. Ia, inquit, optares ibi similem autoritatem Quam inquam, concionandi? annuit. Atqui inquam, & olim sum concionatus, & arbitror me posse meliora docere, quam audio te aliquando proferentem. Quin igitur, inquit, facis? Quia puto, me, inquam, majus operæ precium facere scribendis libris: tametsi tuam industriam non improbarem, si modo doceres ea quæ faciunt ad bonos mores. Ibi venit homini in mentem, quod scripsissem in literis ad Rectorem, (legerat enim) hæc mihi immerenti, immo bene merenti, indigne fieri, Ubi, inquit, tu bene mereris? Fatentur, inquam hoc plurimi, me non male meritum de bonis literis. Ia, inquit, sic vos eas appellatis; sunt malæ literæ. Et in sacris, inquam, literis multa restitui. Imo, inquit, multa falsasti. Cur igitur, inquam, approbat Romanus pontifex suo diplomate? Ia diplomate? inquit. Quis vidit tuum diploma? subindicans, à me confictum esse. An postulas inquam, ut diploma per singulos circumferam, aut in foro exhibeam? Exhibui Atensi, vidit Dorpius. Ia Dorpius, inquit, additurus & in illum aliquid

quid convicii, ni Rector illum suo vultu, compescuisset. Videbis & tu inquam. Nolo, inquit, videre tua. Cur igitur damnas inquam. Cur in Luthero damnando tantum apud te valet pontificis autoritas, in meis probandis pluma levior est? Hoc sermone omisso, cœpit commemorare, jam velut affectum moturus arte Rhetorica, quantis honoribus affeciissent me Theologi *Lovanienses* priusquam in eos scripsissem. Quid non fecimus, inquit, tibi? Cæterum de virulentis obtrectationibus, quibus me laniarat Egmondanus, etiam priusquam Lovanium commigrarem, nulla mentio. Respondi, non esse mei moris extenuare cujusquam in me beneficium, cæterum me hactenus Theologorum, beneficio non admodum usum fuisse. Ibi nescio quo pacto factus mitior, Verum, inquit; quia non potuimus. Ergo, inquam, ne imputes, quod non præstitistis. Nam quantum potueritis male faciendo, sensi; officii nihil expertus sum; nisi quod me vocastis ad actus, quos vocatis, & convivia quædam solennia; à quibus nemo magis abhorret quam ego: tantum abest, ut existimem, me hoc nomine multum debere vobis. Vos me ultro invitastis ad amicitiam; ego ut nunquam ambii, ita nunquam dedi ansam dirimendæ. Ex hoc sermone venit homini in mentem de facta inter nos amicitia, uno ipso nondum satis placato, cum nemo stolidius læsisset, quam ille. Putant, hoc esse religionis colophonem, ut illis supplices sint, etiam qui non ferendis injuriis sint affecti: tantum abest, ut quenquam ipsi reconcilient, aut juxta doctrinam Euangelicam benefaciant ei qui læserit. Bene mones, inquit, jactas, inter nos factam fuisse concordiam. Quid? an non fuit? inquam. Nonne compotavimus splendide in collegio Falconis? (Constiterat hoc prandium ejus domus moderatori non mediocri pecunia. Et quoniam erat dies Mercurii, tantum piscium erat paratum

paratum uni Egmondano, quantum satis esset quatuor athletis.) nonne proposita pacis, conditio, ut utrinque deleret offensas omnes amnestia? Negavit ille fortiter, quod tot testibus actum erat. Rector interpellans, ita moderatus est litem, ut fateretur, inter omnes Christianos esse aliquam concordiam, cæterum eam pacem non fuisse numeris omnibus absolutam. Ego arridens rogabam, quota compotatione pax Theologica absolveretur; Me simplicem arbitrari; vel sine compotatione confici pacem inter bonos. Hinc rursus aliud illi venit in mentem. Recte admones, inquit; tu nos habes ludibrio, traducis tanquam ebrios. Expostulante me ubi vocassem eum ebrium; Scribis, inquit, me fuisse uvidum à prandio largiore: quid hoc aliud est, quam esse ebriosum? Hoc, inquam, neque te nominato scripsi, & narro ab aliis dictum: nam tui Carmelitæ hoc lemmate te excusabant, ne quis gravius ferret, quod dixeras uvidus à prandio largiore. Eia tui, inquit; indignans opinor, quod tui dixissem. non vestri. Quod si maxime, inquam, edidissem nomen, quid erat flagitii, si quod tu publice ausus es dicere, ego simili libertate retulissem? nunc honoris tui gratia supprimo nomen tuum, & rem atrocem civiliter narro. Dixeras, Fabrum ac me, qui nunc pugnaremus inter nos, olim pugnaturos in profundo tartaro, Eia, inquit, hoc ab aliis audisti. Verum, inquã: at non ab uno sed audes tu negare dictum? Obticuit. qua quidem in re primum sum admiratus novum hominis pudorem. Mox in alium campum expatiatus negavit, se unquam facturum finem vociferandi in Lutherum, donec illum confeciisset. Respondi, per me licere illi, vociferari usque ad ilium diruptionem modo ne in me blateraret: neque me queri, quod in Lutherum clamasset, sed quod in me. quod ipsum si illi usque adeo cordi esset, pergeret; nihil tamen lucri facturus,

nisi

nisi ut esset bonis omnibus ludibrio, quandoquidem in ea concione vidissem passim omnes ridentes. Hic ille: Ia, inquit, illi tui erant. Quam mei sint inquam, nescio; pleroſque ne de facie quidam noveram, Inter cætera crimina objecit & hoc, quod allegarem epistolas illustrium virorum qui mihi nonnihil tribuerent: significans, eas à me confingi, nec ullos esse qui mea probarent, cum ego ferme totum hoc epistolarum genus premam: simulque indicans, nihil operterre probatum haberi, quod ipsius calculo non esset commendatum. Hinc conjicere licet simul & modestiam hominis qui sibi tam parum tribuat, & simplicem pureque Christianum animum, qui nihil mali non suspicetur de proximo. Cum inter cætera dixissem, non debere videri mirum, sicubi querar nonnihil de theologis in libris meis: cum Joannes Standitius Minorita, Theologus, episcopus à sancto Asino, apud regem ac reginam Angliæ, multis proceribus & eruditis adstantibus impudentissime me detulerit tribus nominibus; primum quod tollerem resurrectionem, deinde quod nihili facerem sacramentum matrimonii; præterea quod male sentirem de Eucharistia: cum in omnibus libris meis nihil magis asseram quam resurrectionem: ac matrimonium edita declamatione sic prædicarim, ut Theologi putarint, errorem esse hæreticum, quod matrimonio plus satis tribuerim; postremo cum de Eucharistia nusquam, neque scripserim, neque locutus sim, nisi sicut decet, id est, summa cum reverentia. Ia, inquit, hæc omnia fortasse sunt vera. O vocem impotentis animi, sibique nihil non indulgentis: cur hæc potius in me vera essent, quam si quis dicat, Egmondanum compilasse sacrarum ædium gazophylacium? quam incantasse morituros, uti sibi traderent hæreditatem, frustratis hæredibus; quam ad quæstum prodidisse, quæ audivit in arcanis confessionibus?

feſſionibus? Hæc fortaſſe probabilius in illum competerent, quam quæ volebat ille videri non abhorrentia à veris in me. Huic divo committant parentes liberos ſuos, ut imbibant veræ religionis ſemina. Quid tibi nunc referam ſingula? quicquid quocunque caſu dicebatur, rapiebatur in occaſionem convicii, non aliter quam ſolent pueri rixantes, ac mulierculæ procaces: quicquid dixeram, regerebat in diverſum. Objiciebat epiſtolam ad Lutherum ſcriptam. Illic, inquam, moneo quid debuerit vitare. Immo, inquit, doces eum ſcribere. Etiam hoc videbatur male habiturum hominem, ſi Lutherus aliquanto melius ſcripſiſſet: adeo illum perire cupiebat, non corrigi. Sed illud nullo modo concoquebat, quod adjeciſſem, Non admoneo quid facias, facias, ſed ut quod facis perpetuo facias. Hic cum excuſarem civilitatem Rhetoricam, qua negamus nos admonere, cum maxime admonemus, rurſus incanduit. Pulchre, inquit, dixti; hoc vere rhetorum eſt, omnia fucare, fingere, mentiri. Arridens, faſſus ſum, aliquando mentiri Rhetores, ſed interim mentiri nonnunquam & Magiſtros noſtros. Rurſum cum dicerem, me conſuluiſſe dignitati Theologorum, reſpondit: Nobis hanc curam relinque; nos proſpiciemus. Cum adderem, exurendis Lutheri libris eum è bibliothecis eximi poſſe, ex animis non item: Eia, inquit, ex animis: ibi eum tu poſuiſti. Cum nihil inter nos conveniret: adeo ut ſi dicerem literas bonas, ille continuo vocaret malas: ſi librum caſtigatum, ille falſatum: ſi me dixiſſem alienum à factione, ille protinus caput factionis appellaret a negaturus & intra oleam eſſe duri quicquam, aut extra juglandem eſſe duri quicquam, ſi quid tale affirmaſſem: Rector interſecans rixam jam nimis longam, negavit, hæc eſſe digna Theologis: ſe lubentius auditurum, ſi quid faceret ad concordiã ſarciend: m. Age, inquam, quando negas, eam concordiam unica com

compotatione potuiſſe coire, quid ſupereſt ad conſummandam? Hortante Rectore, dixit: Ut ſarcias famam noſtram abs te læſam. Ubi, inquam? In epiſtolis? Annuit. Illis, inquam, jam evulgatis, mihi non eſt in manu quod petis; quamquam illic nullius famam læſi. Ergo palinodiam, inquit, cane. Quam? Scribe, Lovanii ſynceros & probos eſſe Theologos. Id, inquam, haud unquam negavi. ſed quos ego taxavi, ſi mihi præbebunt probam materiam, magnifice de illis ſcribam. Hic irritatus, Et tu, inquit, ſi nobis præbueris bene loquendi materiam, bene de te loquemur. Tu ſtylum habes, nos linguam habemus. Taxas, inquit, nos, quod tibi oblatremus à tergo; audeo tibi in os dicere. Nec mirum, inquam; tu, quibus, es moribus, auderes etiam conſpuere os boni viri. Negavit, ſe adhuc eſſe tam contumacem. Hoc ſermone interrupto Rector admonuit, ut de Luthero, quod erat caput, ageretur. Age, inquit, ſcripſiſti pro Luthero; nunc ſcribe adverſus illum. Hic inficiatus, me ſcripſiſſe pro illo, ſed pro Theologis potius adverſus illum; cum excuſaſſem multa, ocium, imperitiam, metum; inter alia prætexui ſuſpicionem crudelitatis, ſi ſævirem ſtylo meo in hominem proſtratum ac victum. Immo hoc ipſum, inquit, ſcribe, Lutherum à nobis victum eſſe. Reſpondi, non deeſſe qui hoc vociferarentur, vel me tacente. Præterea magis fore decorum, ſi ipſi ſuam celebrarent victoriam, qui peperiſſent. Poſtremo mihi non conſtare, quod eum viciſſent, cum libri illorum nondum prodiſſent in lucem. Sub hæc deſperans, verſus ad Rectorem, ait, Nonne prædixi, nos nihil acturos. Quamdiu, inquit, detrectat ſcribere adverſus Lutherum, tam diu habebimus eum pro Lutherano. At iſthoc, inquam, nomine tu mihi Lutheranus eris, qui nihil ſcribas adverſus illum, neque tu ſolus tantum, ſed innumeri tecum. Atque ita non dicto, ſed

ſigni-

significato vale, Rectori, non mihi, discessit: quemadmodum qui in gladiatoria schola vulnus præter certaminis leges acceperunt, cæteris quidem dant dextram, ei à quo læsi sunt non dant. Habes fere summam illius præclari colloquii, quod illi tamen visum est admodum blandum, cum hoc ageretur, ut me pelliceret eloquentia sua ad insectandum stylo meo Lutherum. Neq; passus est ille sibi perire hujus conflictationis gloriam. Jactitavit apud compotores suos, quam fortiter obstitisset in os Erasmo. Rector eadem suis denarrans, non sine risu, negavit, se unquam crediturum fuisse, mihi tantum esse temperantiæ. Quanquam non hinc mihi laudem hanc arrogo; qui prorsus insanus fuissem, si cum illo contendissem. Et tamen est unus aut alter hoc sceleratior. Nam hic ut molestus est & pertinax, ita minus habet fuci, semper sui similis. Talem ajunt fuisse puerum, talem magistellum, talem baccalaureum, talem Theologiæ professorem, qualis nunc est Carmelita. Nec Vulcanus quidem hunc recudat, neque refingat Mercurius. Sibi tamen videtur præcipua basis Christianæ religionis, & ordinis Carmelitici decus. Tam jucundus est huic Academiæ, quam sunt fici in oculis. Sed vomicam hanc nemo potest excutere. Bene vale, mi More. Lovanii. Anno M D X X.

Virq

Viro undecunque doctissimo.

MARTINO DORPIO,

Theologo, Lovanii.

Thomas Morus Martino Dorpio

S. P. D.

SI mihi ad te venire tam esset liberum, quam vehementer, mi Dorpi, cupio; tum ista, quæ nunc parum commode committo literis, commodius tecum coram ipse tractarem; tum (quo nihil jucundius potuisset accidere) te ipso interea præsente perfruerer. cujus videndi, cognoscendi, complectendique, mirum pectori meo desiderium insevit Erasmus, utriusque nostrum amantissimus; tum utrique, uti spero, ex æquo charus. Nihil est enim, quod ille majore cum voluptate faciat, quam ut apud præsentes amicos suos, absentes prædicet. Siquidem, quum sit ipse plurimis, idque in diversis orbis terram partibus, doctrinæ suavissimorumque morum gratia charissimus; conatur sedulo, ut, quo in unum se omnes animo sunt, eodem etiam inter se omnes conglutinet. Non cessat ergo apud universos singulatim amicorum quemque referre; &, quo in eunctorum amicitias insinuet, omnes cujusque dotes, quibus amari promereatur, exponere. Quod quum ille assidue facit de omnibus; de nullo tamen sæpius, de nullo faciat effusius, de nullo quam de te charissime Dorpi, libentius: quem ita dudum celebravit in Anglia, ut nemo sit ibi literatorum virorum, cui non Dorpii nomen æque notum celebreque, atque Lovanien sibus ipsis, quibus est (ut esse debet) celeberrimum. Seorsum vero ita te depinxit apud me, ut jam olim pulcherrimam animi tui imaginem, plane

planeque eamdem apud animum meum præſumpſerim, quæ mihi, poſteaquam hue adpulit, ex elegantiſſimis opuſculis tuis eluxit. Itaque quum me primum ſcirem ab invictiſſimo rege noſtro in has partes legatione functurum; crede, mi Dorpi, mihi, non pro minimo itineris tanti pretio ducebam, quod oblata mihi videbatur occaſio; qua tecum quoquo pacto congrederer. Verum iſtam conveniendi tui facultatem, quam præbitam eſſe ſperaveram, negotii nobis demandati ratio præripuit; quæ me Brugis, ubi cum magnificis illuſtriſſimi principis veſtri oratoribus, res ut nobis tractaretur, convenerat, alligavit. Quo fit, ut vehementer doleam, quum hæc legatio mihi multis alioqui nominibus arrideat, qua tamen in re optaveram maxime fortunam mihi affuiſſe propitiam, ea me maxime ab illa deſtitui. Verum (ut ad id tandem veniam quod me coegit in præſens ſcribere) dum heic verſor, incidi forte in quoſdam, qui non alieni à literis videbantur. Apud hos de Eraſmo, & de te item, ſermonem ingero. Illum ex literis ac fama; te vero etiam alias noverant. Narrant mihi rem, ut parum lætam, ita neutiquam credibilem; te videlicet in Eraſmum animo eſſe parum amico, idq; ex literis ad eum tuis liquere, quas (quoniam ad credendum ægre me adduci videbant) poſtero die allaturos ſeſe pollicebantur. Redierunt poſtridie; tum literas ad me ternas adportarunt. Unas abs te ad Eraſmum ſcriptas; quas ille (quod ex ejus reſponſione colligo) non acceperat, ſed earum exemplar (id quod mihi nunc evenit) neſcio quo monſtrante legerat. In his Moriam inſimulas, & ad Sapientiæ laudem invitas. Inſtitutum ejus, de emendando novo Teſtamento ex Græcis codicibus: tam parum probas, tam anguſtis limitibus ut coartet ſuades, ut pæne in univerſum diſſuadeas. Alteræ fuerunt ipſius; quibus tibi breviter, utpote feſſus ex itinere, atque adeo in eodem adhuc

itinere

itinere occupatus, ſatisfacit; copioſius idem ſe facturum profeſſus, quum Baſileam delatus eſſet. Denique, tertiæ literæ tuæ fuerunt; quibus rurſus ad hanc Eraſmi reſpondes epiſtolam. Has ego quum præſentibus illis perlegiſſem; quanquam erant aliqua, non quæ mihi quidem inimicum eſſe te illi perſuaderent, (quid enim poſſet eſſe, tale ut hoc perſuadeat mihi?) ſed animo tamen aliquanto magis turbido quam exſpectaram; tamen, quia hanc opinionem illis ex animo eradi potius, quam confirmari cupiebam, aſſerui, nihil ibi legiſſe me, quod non ab amiciſſimo pectore profectum videatur. At, inquit eorum unus, non æſtimo quæ ſcripſerit; ſed meo judicio neutiquam amice fecit omnino quod ſcripſerit. nam ſi Moria quemquam tam vehementer offendit; quod ego nuſquam, ne Lovanii quidem, quamquam ibi poſt editam Moriam ſæpe multumque verſatus, audivi, præterquam ab uno aut altero, moroſiſſimis atque infantiſſimis ſenibus, & quos ibi pueri quoque rident; quum alioquin & heic & ibi tam grata fuerit omnibus, ut multi multas ejus partes memoriter ediſcant etiam: verum, quod cœpi dicere, ſi Moria quemquam tam vehementer offendit, ut Eraſmus ad palinodiam quoque videretur invitandus; tamen, quum Dorpius non ita pridem accerſitus ad Eraſmum eſſet; idque, ut ipſe ſcribit, ſolus; quid attinebat ſcribere? ſi quid monendum putavit, cur non præſentem præſens admonuit; cur non (ut apud Terentium eſt) coram, quæ facto opus eſſent, imperabat potius, quam, quum exiſſet, clamaret de via; idque Eraſmo tam longe ſemoto, ut, quæ eum aut primum, aut etjam ſolum, audire oportuerat, ea & ſolus aliquamdiu neſciverit, & poſtremo non niſi per alios acceperit? Qua in re vide quam ſincere faciat. Primum, quem nemo accuſat, eum apud omnes defendere ſeſe ſimulat. Deinde, quibus eum rationibus tue-

tur

tur, quum neſcio an quiſquam audiat quæ contra eum objicit, (præter eum ſolum qui ſolus debet,) publice legunt omnes. Hæc quum ille dixiſſet aliique eorum alia, quæ nunc neceſſe non habeo commemorare; ita reſpondi, atque ita à me dimiſi, ut facile intelligerent, nihil ſiniſtri me de te libenter audire; animoque eſſe in te propemodum æque propenſo atque in Eraſmum ipſum, in quem tam propenſo ſum ut eſſe propenſiore non poſſim. Nam quod ſcribere ad eum, quam coram rem tractare, maluiſti; quocumque tu id conſilio feceris; certe non feciſſe malo. & ego, mi Dorpi, mihi pro mea de te opinione perſuadeo; & ille certus animi erga ſe tui, non dubitat. At ſecundas iſtas literas tuas, quæ jam paſſim parum ſecundæ leguntur, nullo omnino conſilio tuo, ſed plane caſu quopiam in publicum emanaſſe crediderim. In quam ſententiam vel eo in primis impellor, quod in his nonnulla ſunt hujuſmodi, ut plane mihi perſuadeam, te, ſi velles emittere, fuiſſe mutaturum, utpote non ſatis idonea, quæ vel ad eum ſcriberentur, vel abs te. Neque enim quædam tam acerbe ad amicum tantum, neque tam neglectim ad hominem tam doctum; immo, ſat ſcio, & pro modeſtiſſimo ingenio tuo clementius, & pro eximia doctrina tua ſcripſiſſes accuratius. Porro, jocis ſcommatibuſque, quibus plus quam modice ſcriptio tota ſcatet, non dubito quin uſurus fueras aut aliquanto parcius, aut certe, mi Dorpi, ſalſius. Nam quod Moriam inſectaris, quod in poetas inveheris, Grammaticos omnes ſubſannas, Annotationes in Scripturam parum probas, Græcarum literarum peritiam non admodum ad rem pertinere cenſes; hæc, inquam, omnia non magni facio, ut in quibus citra cujuſquam offenſam liberum cuivis eſt, ſentire quid velit; & ita abs te ſunt adhuc diſputata, ut non dubitem, quin inter legendum multa cuique ſuccurrant quæ reſpon-

ſponderi ex adverſo debeant. Porro, tantum abeſt, ut in horum quoque nimium abs te dictum exiſtimem, ut in quibuſdam etiam multa deſiderem, quibus optaſſem hoc ſcriptum tuum ad Eraſmum prodiiſſe inſtructius; quo major ei præberetur occaſio, ſua ex adverſo caſtra majoribus operibus communiendi. At iſtud me nonnihil certe commovit, quod Eraſmum in eo libello tuo videris aliquanto ſecus, quam te atque illo eſt dignum, attingere. quidpe quem ita tractas, tanquam, modo contemnas, modo velut è ſublimi derideas: interdum quaſi non admoneas, ſed tanquam patruus, aut triſtis cenſor, objurges: poſtremo verbis ejus aliorſum detortis, Theologos omnes, atque adeo univerſitates (quas vocant) in eum concites. Nec in eam partem accipi hæc mea ſcripta volvo, quaſi adverſus te, quem plane credo nihil horum ulla in eum malignitate feciſſe, ego, cui nimirum ipſi patrono opus ſit, in patrocinium ſuſcipiam illum; quem certe majorem & haberi apud omnes & eſſe ſcio, quam ut in reorum ordinem redigi debeat. Sed quoniam te amo, famæque tuæ bene cupio, ideirco admonere te eorum volui unde anſam deprehendunt hi, (quibus modeſtia, tua, et vere cygneus animi cui candor, non ſatis exploratus eſt,) qui famæ te, & tuæ nimis avidum, & alienæ incidiantem, putant. Vtinam, quemadmodum Æneas ſeſe apud Virgilium, circumſeptus nebula, Carthaginienſibus immiſcuit, ac ſe ſuaque facta in tapetibus depicta ſpectavit: ſic utinam non viſus ipſe videre poſſes, quo vultu poſterior hæc epiſtola tua legatur. Sat ſcio, longe majores mihi gratias habendas duceres, qui te ſincere admoneam, ut mutare poſſis; potes namque mutando efficere, ut hanc omnes, id quod ipſe facio, non emiſſam tibi, ſed elapſam judicent;) quam eis, qui, quæ te coram adulati laudant, eadem clam etiam ipſi detrectant. Quanquam profecto miror, ſi quiſ-

quiſquam uſque adeo adulari in animum induxit, ſuum, ut iſta vel te præſente collaudet, quæ, ut cœpi dicere, utinam per cancellos tranſpicere poſſis quo vultu, qua voce, quo affectu legantur, quum apud Eraſmum non ſemel inculcas, *Theologos noſtros Eraſme, & grammaticos veſtros*; quaſi quum ipſe ſublimis in Theologorum ordine conſideas, illum deorſum inter grammaticulos detrudas. Et ſedes tu quidem inter Theologos merito: nec ſedes modo, ſed præſides quoque. Nec ille tamen è Theologorum ſoliis in grammaticorum ſubſellia depellendus. Quanquam Grammatici nomen, quod tu frequentius, quam facetius, irrides, Eraſmus, opinor, haud aſpernabitur immo (ut eſt modeſtus) quanquam meretur maxime, fortaſſe nec agnoſcet tamen; quidque quum ſciat, Grammaticum idem omnino ſignificare quod Literatus; cujus officium per omnes literarum ſpecies, hoc eſt, per omnes ſeſe diſciplinas effundit. Quo fit, ut, qui Dialecticen imbiberit, Dialecticus; qui Arithmeticen, Arithmeticus vocari poſſit. tum in cæteris artibus ad eundem modum. At Literatus, mea certe ſententia, niſi qui omnes omnino ſcientias excuſſerit, ad pellari nemo debet. Alioquin & infantibus licet grammaticorum nomen attribuas, quicunque ex Alpha-Beta ipſas literarum formas edidicere. Quod ſi tu eos tantum grammaticos eſſe vis, quos ais ferulas ſceptrorum vice geſtantes in antro plagoſo regnare, tum philautos, ac moria ſtultiores, arbitrari, ſe omnes noſſe diſciplinas, quod voculas intelligunt ipſas, & orationum ſtructuram; ego, medius fidius, mi Dorpi, etiam eos, quanquam procul ab diſciplinis eſſe conceſſerim tamen aliquanto propius acceſſiſſe puto, quam Theologos illos, qui & ſtructurum orttionum & voculas ipſas ignorant. ex quo genere & ego aliquot, & tu (ut opinor) plures, quanquam uterque ſedulo diſſimulamus, agnoſco

agnoſcimus. Eraſmus certe neque illis ex grammaticis eſt, qui tantum voculas didicerunt; neque ex his Theologis, quibus præter perplexum quæſtiunculorum labyrinthum nihil omnino cognitum eſt; ſed ex illorum grammaticorum genere, quo Varro atque Ariſtarchus; ex illo theologorum, quo ipſe tu, mi Dorpi; hoc eſt, ex optimo; ut qui nec illas quæſtiunculas ignoret, &, quod tu quoq; abunde feciſti, longe utiliorem bonarum literarum, id eſt, ſacrarum maxime, tum exterarum quoque, peritiam adjunxerit. Sed pergo in epiſtola tua. In qua illud quoque ejuſdem ferme notæ eſt: *Si unquam Decretales, Eraſme, videris.* quaſi Decretales epiſtolas quas tu vidiſſe te ſignificas, ille videlicet nuſquam videre potuerit! Jam illud quale eſt, quod in eum objicis, *Aquam ardeæ perturbatam eſſe, & imperitis item omnia perturbata, quoties in diſceptandi palæſtram deſcenditur.* Et illud præterea: *Non enim potes, Eraſme, dijudicare, inter Dialecticum & Sophiſtam quid interſit: ſi utramque artem ignores.* Et paulo poſt: *Niſi forte tibi ſophiſtæ ſunt omnes, quibus diſputatione videaris inferior, hoc eſt, omnes dialectici.* Itane, quæſo, Dorpi, putas perturbata Eraſmo omnia diſputanti fore; neque aut, quid dialectice ſit, aut, quid ſit omnino ſophiſta, noviſſe? &, eum neſcire ſolum, quæ ferme pueri ſciunt omnes? At rhetoricam, opinor, vel tu propriam ei, ac quodammodo peculiarem, eſſe concedes; quam ſi tribuas, neſcio qui poſſis dialecticen tam prorſus adimere. Siquidem recte ſenſerunt non infimi philoſophorum; qui tantum cenſuerunt inter dialecticam rhetoricamque differre, quantum pugnus diſtat à palma; quod, quæ dialectice colligit aſtrictius, eadem omnia rhetorice copioſius explicat; utque illa mucrone pungit, ita hæc ipſa mole penitus proſternit obruitque. Sed age, nihil ſit dialecticæ cum rhetorica commune. Ergo, quia non in ſcholis diſputat,

tat, quia non in puerorum corona rixatur, quia jam (quod tu quoq; postea facies) quæstiunculas illas valere sinit; nunquam eum putas illas didicisse? Sed existimas, in disputando inferiorem esse dialecticis omnibus. At, heic vide, quam oppidò abs te dissentiam. Ego nec illiteratum quidem quempiam, mediocri ingenio præditum, longo tamen intervallo minore quã sit Erasmicum, huic, inquam, ego non omni dialectico reor inferiorem in disputando fore, modo res, de qua disceptant, utcumque sit nota, quum, quod arti deest, ingenium suppleat. Nam & ipsa dialectices præcepta quid aliud quam quædam iagenii fœtura sunt? ratiocinationum videlicet formæ quædam, quas ratio fore ad rerum disquisitionem utiles animadvertit. Tantum abest, ut Erasmus, cujus & ingenium & doctrinam mirantur omnes, futurus sit in disputando omnibus prorsus dialecticis, hoc est, etiam pueris, inferior. Sed mitto ista omnia, nempe minoris momenti; ut in quibus literarum duntaxat æstimatio ventiletur. At illud certe odiosius est, quod Hieronymi Hussitæ, Cresconiique grammatici, utriusque videlicet hæretici, mentio abs te non satis temperanter injecta est; quippe quos quibusdam ita referre videtis, tamquam conferre velis. Quid, quod nonnulla tam acerbe tractas, tamquam nihil agas aliud, quam, ut in eum primo Lovanienses theologos; deinde, quotquot ubique sunt, omnes; postremo Academias universas exstimules; inque eam rem quibusdam verbis illius, longissime à proposito detortis, abutaris. Nam (ut à postremo incipiam) quum dixisset, non omnes theologos damnare Moriam, sed eos solos has excitare tragœdias, qui dolent, bonas renasci literas; foreque, ut nec Hieronymianam editionem (quam tu Theologis placere scripseras) comprobarent hi, qui Moriam damnaverant; ibi tu protinus arrepta

arrepta lepida jocandi materia, *Nova*, inquis, *gloria, si edas quod pauci probabunt.* Quasi vero relinquantur pauci qui probent, si ex tanto cigniſſimorum theologorum cœtu unus aut alter moroſiſſimi ſenes, nec ullo minus digni, quam quod profitentur nomen, eximantur! Et tu tamen, Dorpi, longius eundem, tam feſtivum jocum proſequeris. ais enim: *Age, non probabunt Theologi.* (ſic ille dixit ſcilicet!) *Qui quæſo probabunt ergo Iuriſconſulti? An medici, an philoſophi denique, ut facem immittant alienæ meſſi? Sed grammaticis eam paras. Sedeant itaque grammatici in ſolio cenſores omnium diſciplinarum, & novam nobis Theologiam parturiant, naſcituram tandem aliquando cum ridiculo mure. Verum nec motus eſt, ne nolint ſtudioſi illorum ſe ſceptris inclinare. ſceptra enim ſunt ferulæ, quibus plagoſo regnant in antro; & philauti, & moria ſultiores, arbitrantur, ſe omnes noſſe diſciplinas, quod voculas intelligunt ipſas, & orationum ſtructuram. Ergo non eſt opus Academiis; ſchola Nolenſis aut Daventriana ſuffecerit. Et certe hæc eſt ſententia magni viri Hieronymi Huſſita, Vniverſitates tam prodeſſe eccleſiæ Dei quam diabolum. Nec grammaticos vel tantillum commovet, quod damnata fuerit ea ſententia in concilio Conſtantienſi, quidpe in quo, certum ſit, neminem fuiſſe non amuſum, aut qui non ignoraverit Græce.* Injurius tibi, Dorpi, ſim, ſi jocum ſæpius interpellem tuum; in quo jam diu mirum quam te ſuaviter oblectaſti. Sed ſi ſatis jocatus es, audi nunc jam, Dorpi. Nemini obſcurum eſſe poteſt, tua ipſius verba legenti, te ad hanc Univerſitatum mentionem ſine ulla prorſus occaſione deſcendiſſe; totumque hunc locum tibi copioſe, ac perquam diſerte ſane, ſed extra controverſiam tamen, eſſe declamatum; nec eſſe ulla reſponſione opus. Neque tamen ambigendum puto, quo in Univerſitates affectu Eraſmus ſit; in quibus & didicit, & docuit; non

ea

ea modo, quæ tu grammatica vocas; sed eum alia multa, multo magis Christianis omnibus utilia; tum eas etiam ipsas (quas tu nunc tam magnifaceis quam posthac parvifacturus es) quæstiunculas. Quis nescit, quam diu Parisiis ille, quantoque in pretio fuit? tum Bononiæ præterea. ut nihil interim de Roma dicam; quam ego tamen vel principem Academiarum esse omnium duco. Jam Oxonia Cantabrigiaque tam clarum habent Erasmum, quam habere debent eum, qui in utraque diu, cum ingente scholasticorum fruge, nec minore sua laude, versatus est. Utraque eum ad se invitat; utraque eum in suorum theologorum numerũ (quoniam eo honore alibi est insignitus) transplantare conatur. Sed tu quanti nostras Universitates facis, haud scio, qui tantum Lovanio Parisiisque tribuis, ut cæteris videare mortalibus, præsertim ex dialectica, nihil omnino relinquere. Ais enim, *Nisi Lovanienses ac Parisienses Theologi essent dialectici, fieri videlicet, ut dialectica toto exsulat orbe, exsulaveritque multis jam seculis.* Ego in utraq; Academia fui abhinc septennium; non diu quidem; sed interim tamen dedi operam, quæ in utraque traduntur, quisque sit utrobique tradendi modus, ut scirem. Et profecto, quamquam utramque suspicio; quantum tamen quivi, vel præsens audiendo, absens inquirendo, cognoscere, nihil hactenus unquam accepi causæ, quamobrem vel in dialectica meos liberos, quibus optime consultum cupio, in alterutra earum edoceri potius, Oxoniæ aut Cantabrigiæ, velim. Non negabo tamen. (neque enim libenter quemquam sua gloria fraudaverim,) nostras permultum Jacobo Fabro Parisiensi debere; quem, ut instauratorem veræ dialecticæ, veræque philosophiæ, præsertim Aristotelicæ, feliciora passim apud nos ingenia, sanioraque judicia, consectantur; ut per eum virum Lutecia gratiam nobis referre quodammodo accepti olim

beneficii videatur, quum per eum apud nos disciplinas restauraret, quas ipsi à nobis initio acceperunt. quod usque adeo in confesso est, ut id Gaguinus quoque, nec detractor Gallicæ laudis, nec buccinator nostræ, in Annales suos retulerit. Atque utinam & Lovanienses & Parisienses, quoq; Scholastici omnes, Fabri commentarios in Aristotelicam dialecticen reciperent: esset ea disciplina (ni fallor) & minus utrisque rixosa, & paulo repurgatior. Miror tamen cur Lovanienses ac Parisienses in dialectices commemoratione con unxeris; qui usque adeo inter se discordant, ut ne nomine quidem conveniant; quum alteri Realium, alteri Nominalium, nomen affectent. Quamquam, si Aristotelem recipiunt, si utrique interpretantur, si non alia de re quam de ejus mente tot inter se rixas excitant; jam quum Parisienses aliter, aliter eum Lovanienses interpretantur, nec aliter modo, sed contra quoque; qui scire possis, utris potius accedendum censeas? Sin ad dialecticen pertinent hujusmodi lites, sed nihil ad Aristotelem tamen; jam non Aristotelicam tantum Logicam, (quod tu ais,) sed aliam præterea, aut alteri aut utrique profitentur. Sin autem, quæ in tanta controversia sunt, nec ad ipsam dialecticam attineant, (nec attinent certe, si ad eum non attinent, modo is dialecticam perfecte tradiderit;) jam hoc egregie fuerit absurdum, ut dicatur dialectica de rebus ad eam rem neutiquam spectantibus tot annos digladiari. Et profecto, Dorpi, propemodum adducor, ut credam, magnam illam opinionum partem, de quibus tam diu tanta contentione, velut pro aris focisque, dimicatur, aut ad Logicam parum pertinere, aut ad eam perdiscendam non admodum conferre. Nam, ut in grammatica suffecerit, eas observationes didicisse, quibus possis, & ipse Latine loqui, & quæ ab aliis Latine scripta sunt, intelligere; non autem anxie innumeras loquendi regulas aucupari, literasque

que inter ac syllabas insenescere: itidem in dialectica satis esse crediderim, dictionum naturam, enuntiationum vires, tum ex his collectionum formulas edoctum, dialecticam protinus, velut instrumentum, ad cæteras disciplinas accommodare. Atque hoc nimirum ipsum spectavit Aristoteles, quum dialecticam suam decem illis summis, sive rerum sive nominum generibus; deinde enuntiationum tractatu; adjunctis postremo collectionum formulis, & quæ necessario demonstrant, & quæ suadent probabiliter, & quæ callide cavillantur, absolvit. Adhæc, tanquam aditum introitumque quemdam Porphyrius, quinque illas universa complectentes, seu res seu voces adpellari malis, adjecit. Porro ejusmodi quæstiones, quibus rudia adhuc, & aptioribus imbuenda, detinentur potius quam promoventur ingenia, neuter eorum proposuit. Porphyrius etiam ex professo abstinuit. At nunc absurda quædam portenta, ad certam bonarum artium nata perniciem, & luculenter ab antiquis distincta, commiscuerunt; & veterum purissimas traditiones suis adjectis sordibus infecerunt omnia. Nam in grammatica (ut omittam Alexandrum, atque id genus alios; qui, quamquam imperite, tamen grammaticam utcumque docuerunt) Albertus quidam, grammaticam se traditurum professus, Logicam nobis quamdam aut Metaphysicam, immo neutram, sed mera somnia, mera deliria, grammaticæ loco substituit. & tamen hæ nugacissimæ nugæ in publicas Academias non tantum receptæ sunt, sed etiam plerisque tam impense placuerunt, ut is propemodum solus aliquid in grammatica valere censeatur quisquis fuerit Albertistæ nomen assequutus. Tantum auctoritatis habet, ad pervertenda bonorum quoque ingeniorum judicia, semel ab ineptis tradita magistris, deinde tempore corroborata, persuasio. Quo fit, ut minus mirer, ad eumdem modum in dialecticæ locum nugas plus

quam ſophiſticas irrepſiſſe. quæ cultoribus ſuis argutiarum nomine tam vehementer arrident, ut mihi nuper, his de rebus obiter loquenti, quidam dialecticus (ut ferebatur) doctiſſimus aſſeruerit, *Ariſtotelem* (referam ipſius verba; neque enim aliter poſſum tam nitidum eloquentiæ florem aſſequi) *niſi groſſo modo ſcripſiſſe. & nunc ſunt* (inquit) *pueri in parvis Logicalibus ſuis tam mirabiliter fundati, quod bene, credo certe, quod ſi Ariſtoteles à ſepulchro ſuo reſurrexeret, & argueret cum eis, illi bene concluderent, cum non ſolum in ſophiſtica, ſed etiam in Logica ſua.* Reliqui hominem oppido quam invitus; niſi quod aliquanto (ut tum res erat) occupatior fui, quam ut vacaret ludere. Sed libet ille parvorum Logicalium, (quem ideo ſic appellatum puto, quod parum habeat logices) operæ prætium eſt videre, in ſuppoſitionibus, quas vocant; in ampliationibus, reſtrictionibus, appellationibus; & ubi non? quam ineptas, quam etiam falſas præceptiunculas habet. ut ex quibus adiguntur inter has atque hujuſmodi enuntiationes diſtinguere: *Leo animali eſt fortior*: &, *Leo eſt fortior animali*. quaſi non idem ſignificent. Et profecto tam ſunt ineptæ, ut utraque propemodum nihil ſignificet; quamquam ſi quicquam, haud dubie idem. Tantumdemque inter ſe differunt: *Vinum bibi bis*: & *Bis vinum bibi*. Hoc eſt ſecundum hos logiſtas multum; ſed revera nihil. Jam, ſi quis non aſſas modo, ſed aduſtas quoque carnes ederit, eum volunt verum dicere, ſi ſic enuntiet: *Ego crudas carnes comedi*. non autem ſi ſic: *Ego comedi crudas carnes*. Tum, ſi quis, parte relicta mihi, partem ſibi pecuniæ meæ ſuſtulerit; mentiar videlicet, ſi dixero: *Spoliavit me denariis*: ſed, ne deſint mihi verba quibus apud judicem querar, licebit dicere: *Denariis ſpoliavit me*. Et, in aliquo caſu (ut ajunt) poſſibili poſito, hæc erit vera; *Papam verberavi*: quum, eodem manente caſu, hæc erit falſa; *Verberavi papam*,

Nem pe,

Nempe, si is, qui nunc papa sit, puer olim à me vapulaverit. Digni hercle, qui talia jam senes docent, ut, quoties pueros docent, toties ipsi vapulent. Quid, quæso, quod hanc falsam ajunt? *Omnis homo est pater qui habet filium*; nisi omnes prorsus homines jam habeant filios. quoniam videlicet huic æquipollet: *Omnis homo est pater*; &, *Omnis homo habet filium*. At hanc interim veram affirmant; *Pater erit Socrates, quando Socrates, non erit pater*: & hanc, *Pater manebit Ioannes, quando Ioannes non manebit pater*. Quod quis sic audire potest, ut sibi non interim credat ænigma proponi? At hæc verbo, SUM & POSSUM, regnant plane; &, quoniam (ut aiunt ampliativa sunt, pomeria sua ultra ipsas naturæ fines longe lateque proferunt. Nam hanc veram astruunt: *Omne, quod erit, est.* sed eam tum callide interpretantur: aiunt enim, *Omne, quod erit, est*, significare, *Omne, quod est quod erit, est*. Atque hoc pacto cavent, ne Antichristus, qui olim erit, jam sit. nam, quamquam omne, quod erit, est; &, quamquam Antichristus erit: tamen non sequitur, *Antichristus est.* propterea scilicet, quod Antichristus non est ens quod erit. Qui nisi hanc plusquam subtilem propositionis hujus expositionem circumspexissent acuti in dialecticis argutiis Theologi; rempublicam Christianam haud dubie jam olim Antichrists invasissent, non sine magno cæterorum omnium periculo. Nam ipsis non video quid possit imminere discriminis. quidpe quum fatentur, has etiam veras esse: *Antichristus est amabilis*; &, *Antichristus est amativus*. Quamquam profecto nec Antichristus, nec supremus ipse judicii dies, rerum naturam magis poterit quam hæc dialectica subvertere: quæ docet, has enuntiationes esse veras: *Vivum fuit mortuum Futurum fuit præteritum.* quibus nimirum fit, ut mortuorum resurrectio non, ut ipsi loquuntur, in fieri, sed in facto esse

videatur. Jam istæ non minus mirandæ ; sed sunt amœnæ quoque, ac plausibiles ; quum sint veræ scilicet : *Virgo fuit meretrix*, & *Meretrix erit virgo* ; & *Meretrix possibiliter est virgo*. Non facile dictu est, dialecticis tam benignis utræ magis, virgineſne, an meretrices, debeant. debent certe utræque plurimum. Poetæ ergo nugas, dialectici seria tractant. Poetæ fingunt ac mentiuntur ; dialectici numquam nisi vera loquuntur ; ne tum quidem, quum hanc esse verissimam affirmant : *Homo mortuus potest celebrare missam*. Quod quamquam non audeo asserentibus eis, ac propemodum etiam jurantibus, non credere ; (neque enim tot doctoribus tam irrefragabilibus fas est refragari:) hactenus tamen (quantum memini) neminem unquam reperi, qui se narraret mortuo celebranti ministrasse. Hancine dialecticam docet Aristoteles : Hanc Hieronymus laudat ? Hanc probat Augustinus ? quam (ut ait Persius).

Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

Miror hercle, homines acutuli quonam pacto senserunt, illas enuntiationes sic intelligendas esse, quomodo nemo in toto orbe præter eos intelligit. Nec sunt artis illa vocabula ; ut sint eis quasi in peculio ; & ab eis, si quis volet uti, sumenda mutuo. communis nimirum sermo est : nisi quod quædam deterius reddunt, quam à cerdonibus eadem acceperunt. A vulgo sumpserunt ; vulgaribus abutuntur. At regula, quam vocant, logices, in eos sensus tales propositiones docet interpretandas. Quæ (malum) regula, in angulo quopiam ab his composita qui vix loqui sciant, universo terrarum orbi novas loquendi leges imponet ; Grammatica recte loqui docet ; nec ea tamen insuetas loquendi regulas comminiscitur : sed, quæ plurimum in loquendo videt observari, eorum loquendi rudos, ne contra morem loquantur, ad-

admonet. Nec aliter quicquam dialectica facit quæ ſana eſt. Nempe hic ſyllogiſmus; *Omne animal currit: Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo currit*; non ideo ſyllogiſmus eſt, quia rite ſecundum dialecticæ normam colligitur, ac formatur in *Barbara*; ſed, quia poſtremam orationem ad præmiſſa conſequi docet ratio; quæ regulam ob id ipſum talem fecit, alioquin aliter eam factura, quaqua verſus ab ipſa rerum natura flecteretur. Ipſi quoque eodem modo hanc propoſitionem, *Meretrix erit virgo*; ne dicant ſic interpretandam, *Meretrix quæ eſt vel fuit*, quia ſic jubet regula: ſed rationem afferant ab ipſa re, quare fieri deberet talis regula. nam, ſi recta eſt ea interpretatio; neceſſe eſt, eam aut ab ipſa re, quæ enuntiatur, aut ex proprietate ſermonis, emergere. Ergo, quum tam multis eorum, qui Latine jam olim loquuti ſunt, neque ingenium defuerit, neque eruditio; nec ſermonis proprii fuerit minor quam iſtis eſt (uti credo) peritia: quomodo evenit, ut ex illis nemo potuerit intelligere, hanc veram eſſe, *Meretrix erit virgo*? aut inter has diſtinguere: *Nummum non habeo*; & *Non habeo nummum*? Quanquam nemo negaverit, tranſpoſitiones vocabulorum diviſum ſæpe ſenſum gignere. neque enim idem eſt: *Bibas priuſquam eas*; & *Eas priuſquam bibas*. Sed hoc affirmo: quando ita ſenſus variatur, omnes in idem mortales aſſentire; trahente videlicet ratione; non dialecticorum jubente potius quam perſuadente regula; quorum officium eſt, ut more noſtro loquentes, quovis nos veris rationibus impellant; ſophiſtarum vero, ut inſidioſis eo præſtigiis adducant quo nos perveniſſe miremur. Nam hoc hebetiſſimum acumen eſt, & ſtultiſſima ſolertia, ſe diſputando pronuntiare victores, & triumphum ſibi decernere, quia nos neſcimus, in quem ſenſum ipſi clanculum pacti ſunt ſermones noſtros contra communem omnium ſenſum accipere. At

hæc quum ſophiſtica dici mereantur, tamen non pro ſophiſticis nugis ducuntur, ſed inter abſtruſiſſimos dialecticæ theſauros numerantur; nec à puerîs tanquam dediſcenda diſcuntur, ſed à ſenibus quoque in ipſa Theologiæ penetralia ſuſcipiuntur. His quidam Theologicas perplexitates infarciunt; ex his propoſitiones tam ridiculas effingunt, ut ridendi materia nuſquam oriri poſſit uberior, niſi quod multo malim, eos, qui ſic ineptiunt, ad ſaniratem converti, quam ipſe ex inſanorum deliriis capere voluptatem Quamquam quid hæc dico tibi, Dorpi? cui non dubito has nænias non minus diſplicere, quam mihi, ſi poſſes mutare. Et fortaſſe poteris, adjutus à tui ſimilibus; modo ne ſtatuas tecum, illorum obſequi ineptiis, quos multo magis par eſt tuo parere judicio. Sed ad epiſtolam tuam revertor; ut oſtendam, nullam ex Eraſmi verbis anſam tibi datam, qua eum (id quod facis) diceres Lovanienſes Theologos, multoque adhuc magis cæteros omnes, imperitiæ damnare. Siquidem, quum ille dixiſſet, ſe valere ſinere, non omnes quidem Theologos, ut qui prius in eadem epiſtola multos dixit eſſe præſtantiſſimos; ſed eos tantum (ſi qui tales ſunt; ut certe ſunt) qui præter ſophiſticas nugas nihil didicerunt: Heic tu ſtatim, *Theologos iſtos puto*, inquis, *Lovanienſes deſignari.* Quid ita, Dorpi? Quaſi vero difficile ſit, hujus farinæ, immo iſtius furfuris, aliquos ubique reperire! Belle profecto ſentis de Lovanienſibus, ſi eos, & ſolos, & omnes, putas ejuſmodi deſcriptione cognobiles; quod ille neque ſentit, neque dicit; Paulo poſt tamen ſic dictum accipis, tanquam non in Lovanienſes modo, ſed in omnes, quotcumque ſunt ubique gentium Theologi, diceretur; quod nec in alios omnes, nec in Lovanienſes ipſos, eſt loquutus. Tu tamen perinde, ac ſi neque illum, neque temet audias, videris in hæc verba non deſcen-

ſtrendere, ſed velut abreptus impetu animi effervescentis erumpere: *Nonne videmus, abjectiſſimos opifices, immo viliſſima mancipia, clariſſimis eſſe prædita ingeniis? Quid ergo ſibi volunt hæc in Theologos omnes detorta vocabula: pingues, rudes, peſtilentes, & qui nihil habent mentis? Nullius eſt artis, probra dicere in quoſvis; ſed neque honeſtum eſt, aut boni viri officium, ſi ſeveram Salvatoris noſtri ſententiam perpendamus. Qui dixerit fratri ſuo, Racha; reus erit conſilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Vbi Hieronymus: Si de otioſo ſermone reddituri ſumus rationem, quanto magis de contumelia? Qui in Deum credenti dicit, Fatue, impius eſt in religionem.* Sunt iſta quidem verba tua, Dorpi; non gravitatis modo, ſed ſanctitatis quoque plena; vereque ſevero theologo digna; quæ utinam in loco dicerentur ſuo. ſunt enim meliora quam ut perire debeant. Quod ſi deſuper è ſuggeſtu librarentur in populum; numquã ita errare poſſent, ut non in aliquem, in quo hærere viderentur, inciderent. At nunc me miſeret, in unum Eraſmum quod declamas omnis; in quem unum, eorum quæ declamas omnium, nihil quidquam competit. Nam quod adfers ex Evangelio: *Qui dixerit fratri ſuo, Fatue; reus erit gehennæ:* nihil ad eum ſpectat, qui, nominato nemine, velit aſſerere, eſſe unum alterumve in magno hominum numero fatuum. alioquin decem gehennæ non ſuffecerint ei qui dixit: *Stultorum infinitus eſt numerus.* Porro, quod quæris, *Quid ſibi volunt hæc in theologos omnes detorta vocabula?* hoc mihi de te, Dorpi, quærendum eſt. Nam, quæ ille dixit in paucos tu ſolus in omnes detorſiſti. Quod te inſtituiſſe facere, vehementer admiror. Siquidem, ut nullius eſt artis, (veluti tu dicis,) probroſa in quoſvis dicere; ita nullius eſt artis, quod tu facis, bene dicta male narrando corrumpere: quidpe, quæ non male ſcripta ſunt in merentes, ea tu conaris, quo male ſcripta videantur,

tur, ad immerentes inflectere; quod in quavis re, quam facile factu sit, ipse facile vides. Profecto, si quis ea, quæ tu scripsisti, ad hunc excutiat modum; nihil tam circumspecte scriptum est. (quamquam omnia circumspectissime,) ut non alicunde possit obnoxium esse calumniæ. Veluti illa ipsa epistola, quæ est abs te, ut novissime, ita accuratissime, scripta in editionem Quodlibetorum dignissimi Viri Adriani Florentini de Trajecto. In qua quum & opus magnifice, & autorem copiose laudaveris; utrumque (ut ego certe puto) tam ex animo, quam vere: tamen si quis incideret interpres paulo malignior, videri possis, altera manu panem, altera lapidem porrexisse. Primo, quod, ut ejus operis editionem curares, nullo tuo in eum librum studio, nec nisi aliorum precibus, atque adeo opplorationibus adduci potuisti, quasi in rem, quam ipse non magni feceris, aliorum adfectibus operam tuam indulseris. Deinde, quod te scribis seria studia tantisper sepositisse, dum Quodlibetica illa corrigeres; perinde ac si illa seriis non essent in studiis numeranda; quum tamen magister Joannes Athen, vir tantæ, & doctrinæ pariter, & judicii, non gravabatur operam in eam rem suam, vel intempesta nocte, frequenter (ut ais) accommodare; tamquam, velut obstetrices excitari de nocte solent, quum mulieres parturiunt, ita hoc opus emendari non potuerit interdiu. Quid, quod, ejusdem Adriani dum æquitatem laudas, æquitarem ei Lesbiam videris attribuere? ad Lesbiam nimirum regulam alludens; quam plumbeam fuisse, meminit Aristoteles, non æquam semper, sed ad rerum inæqualitates flexibilem. Nec me, mi Dorpi, putes hæc eo dicere, quod te putem tale quidquam sensisse, aut sic denique, vel in tanto viro, vel tali opere, famæ commendando lusisse, nam & virum multis modis audio multum eximiæ laudis assequutum;

tum; & opus ipſum cenſeo in ſuo certe genere perfectum. Sed hæc omnia eo dico, ut oſtendam, nihil tam minutum eſſe, in quo locum ſibi non poſſit invenire calumnia; quando tuis etiam ſcriptis, tam accurate, tam circumſpecte limatis, tamen impetrandum eſt, ut cum favore legantur. Quamquam Eraſmus, ne quiſquam prorſus ullam occaſionem poſſit arripere, qua dicat, eum in omnes ea, quæ tu objicis ei, dixiſſe theologos, vel eo caviſſe videtur, quod ait: *Quotidie re ipſa experior, quã nihil habeant mentis, qui præter ſophiſticas nugas nihil addidicerunt.* Non dicit, quod nihil habent mentis omnes Theologi; ſed neque, qui ſophiſticam didicerunt; ſed qui nihil præterea. Quamobrem ſic ſcribis: *Porro, quod hypotheſim facias, Eraſme, noſtros theologos ſolis ſophiſmatum meditationibus eſſe occupatos; tota erras via.* Heic tu, mi Dorpi, tota erras uia, quum hypotheſim facis, Eraſmum talem hypotheſim feciſſe de omnibus Theologis veſtris; quam ille de uno tantum facit, aut altero; neque quidquam dicit, quo ſit neceſſe omnes theologos includi. Quare nec id quidem ad rem facit, quod protinus adjeciſti: *Dic, age, quidnam eos, quamvis ſane Poeſios ignaros, arcebit ab Evangeliis, Paulinis epiſtolis, totaque Biblia evolvenda?* Nihil ſane, Dorpi, modo ipſi non arcerent ſeſe; quod aliqui faciunt, qui vitam univerſam quæſtiunculis impendentes, Bibliam certe, veluti nihil ad rem pertineat, numquam dignantur inſpicere. Atque ille aliquos hujuſmodi putat eſſe; non omnes. Ut intelligas, id quoque te ſine cauſa ulla ſubnectere: *Proferam ego multos hinc, qui rejectis libris, ſola memoriæ vi, cum quovis de textu ſcripturæ certabunt. Cave, credas, Endymionis ſomnum dormire theologos, quo tempore vos literis invigilatis; aut ingenio carere, quicunque non poëtantur, aut rhetoriſſuni.* Nemo, Dorpi, negat, eſſe qui rejectis libris de ſcripturæ tex-

tu

tu certare possint. Immo plus satis ubique reperias eorum, qui, libris non rejectis modo, sed etiam numquam inspectis, cum quovis in scripturis exercitatissimo, sint parati, de quovis scripturæ textu, non memoriæ, sed moriæ vi, certare pertinacissime. Neque negabo tamen, & apud vos, & ubique esse, qui è scripturis multa memoriter teneant. ex quibus eos; qui non in hoc solum collocarunt operam, ut memoriæ mandent, quod illiterati etiam monachi fratresque faciunt; sed vel multo magis, ut intelligant; qui tantam sermonis facultatem paraverunt sibi, ut pernoscendis Hieronymi, Augustini, Ambrosii, cæterorumque id genus lucubrationibus pares esse possint; eos, inquam, ego in theologorum albo, meritissimo jure collandos puto, etiamsi versus nunquam fecerint; tam hercle, quam si disputatiunculis istis non totos centum annos insumpserint, ut ne dicam, si in universum neglexerint. Sed tu quoque, si vera vis fateri, non inficias ibis, ex theologorum, qui vocantur, numero, esse rursus aliquos, qui scripturæ libros ita rejiciant, ut rejectos numquam resumant; qui in sese totos Theologiæ huic disputatrici devoveant, ut non solum non poetentur, neque rhetorissent, verum etiam sanctissimos partes, antiquissimos quoque scripturarum interpretes, propemodum flocci faciant, certe (quod satis constat) eorum in sacras literas enarrationes negligant, unaque ipsum sacrarum literarum studium, postremo, quæcumque sunt optima, piissima, maxime Christiana, verisque Theologis dignissima, ea, inquam, omnia, quod sint (ut ipsi vocant) positiva, contentemnant; neque eorum quidquam dignum putent, ubi ipsi nervos intendant suos; homines ad quæstiunculas nati, res tanto videlicet intervallo majores; ex quibus ipsi tamen maxime quæstiones consectantur ejusmodi, quæ vel ad fidei pietatem, vel ad morum cultum minime

minime omnium pertineant, Ego itaque, ut prius illud theologorum genus veneror ac ſuſpicio; ita hoc poſterius hercle non admodum magni pendo. Adverſus quos tamen, non eſt conſilium, poeſim aut rhetoricam defendere; quidpe qui à poeſi rhetoricaque tam longe propemodum abſunt, quam illi ipſi. abſunt autem ipſi tam longe fere, quam ab ipſa Theologia; à qua longe abſunt, ut ab nulla re abſint, præterquam à communi hominem ſenſu, longius. vel ideo maxime, quod ad inſignem rerum omnium inſcitiam acceſſit omnigenæ ſcientiæ perverſa perſuaſio: qua ſibi adeo blandiuntur, ut omnium ſcripta, ac ipſas etiam ſacras, (ut quidquam audierint quapiam occaſione prolatum, qui locum nunquam viderint, nunquam librum inſpexerint, quid ea verba præcedat, quid ſequatur, neſciunt,) immo id ipſum quod citatur, ſitne an non ſit ibi unde citatur, ignorent, ſe tamen ſolos arbitrantur idoneos, qui protinus, in quemcunque libeat ſenſum, interpretentur. Ex quo genere quum in multos inciderim, unum ſaltem, ex quo cæterorum indoles agnoſci poſſint, non pigebit, velut ſpeciminis loco, referrre. Cœnavi olim apud Italum quendam mercatorem, non minus doctum quam divitem; erit autem ditiſſimus. Forte aderat in cœna religioſus quidam theologus, diſputator egregius; qui recens è Continente venerat, ut quæſtiones aliquot, quas præmeditas advexerat, Londini diſputaret; experturus videlicet in ea diſceptandi palæſtra qui, Angli præſtare poſſent; ſimul nomen ſuum, jam apud ſuos celebre, apud noſtros quoque propagaturus Is quas concluſiones adfixerit; tum, quam belle diſputatio proceſſerit homini; quanquam longum eſſet; non gravarer profecto narrare, ſi tam ad hanc rem pertinens foret, quam feſtivum fuit. Cæterum, in cœna nihil à quoquam dici tam bene munitum, aut libratũ tam circumſpecte potuit, quod non

illa

ille vix prolatum, aliquo ſtatim ſyllogiſmo convelleret quantumvis res, de qua ſermo erat, nihil ad Theologiam pertinens, ad philoſophiam tantundem quantumvis denique ab univerſa ejus profeſſione eſſet alienum; niſi quod initio cœnæ fecerat, ne alienum eſſe quidquam ab ejus profeſſione poſſet. profeſſus eſt enim, ſe in utramque partem de re quacunque diſputaturum. Paulatim cœpit mercator ad quæſtiones magis Theologicas deſcendere. De uſura proponebat, de decimis; quædam de confeſſionibus quæ in aliena parochia fratribus eſſent factæ. In omnibus nihil erat Theologo penſi, utram ſuſtineret partem, ſed utramcunque aliquis aſſeruiſſet, illam oppugnabat; ac viciſſim, quamcunque alius negaverat, hanc ille protinus adſtruebat. Tandem per jocum mercator ſermonem de concubinis injecit: cœpitque defendere, minus mali eſſe, unam quampiam domi habere, quam foris per multas diſcurrere. Ibi rurlus theologus inſtare, oppugnare ferociter; nec quod uſque adeo concubinam videretur odiſſe; ſed ne cum quoquam ei quidquam conveniret; ſive quod hominem fortaſſe varietas oblectabat. Ceterum, aſſerebat, eſſe cocluſionem famoſam cujuſdam limpidiſſimi doctoris, qui fecit illum ſingulariſſimum librum, qui intitulatur, Directorium concubinariorum, idque cum ob malum exemplum, tum ob occaſionem ſæpius peccandi cum ea quæ domi ſit. Reſp. mercator docte, me hercle, & acute; quæ & longū recitare fuerit, & apud te ſupervacuum. At, quum olfeciſſet, theologum non perinde in ſcripturis atque in quæſtiunculis illis exercitatum: cœpit hominem ludere, argumentarique interdum per locos ab auctoritate. Effingebat enim ex tempore ſententiolas quaſdam breves, ſuæ parti quæ viderentur adſtipulari. Quumque ipſe omnes nuſquam ante auditas pro libito fuiſſet commentus; hanc tamen ex epiſtola quapiam divi Pauli,

Pauli illam ex Petri, aliam rursus ex medio citabat Evangelio: idque tam diligenter, ut neque capitulum unquam, dum citat, omitteret; nisi quod, si quis liber in sexdecim capitula distinguebatur, ille bonus theologus interim? Ad cætera certe strenuus, & tanquam herinacius spinis sese suis obvolvit. At personatas illas auctoritates vix hercle huc atque illuc vitabundus evasit, sed evasit tamen. Tantū valet ars & exercitatio differendi. Nam, quum ille, quid in sacris continebatur literis omnino nesciret: neq; dubitaret, quin quod inde citaretur, ibi esset; non deferre vero, cedereque auctoritati scripturæ, nefas duceret; at loco depelli, vincique, turpissimum: tantis circumseptus angustiis, vide, obsecro, qua astutia tamen Proteus ille è mediis retibus elapsus est. Statim, ut aliqua sententia, quæ nusquam erat, tanquam è sacris, literis, adversus eum citabatur: *Bene citas*, (inquit) *domine: sed illum textum ego sic intelligo.* & jam interpretabatur, non sine aliqua distinctione bimembri: quorum alterum pro adversario stare diceret, altero ipse effugeret, Quod si quando mercator instabat molestius, contenditque, ejus textus non illum verum esse sensum, quem theologus asserebat; jurabat homo tam sancte, ut quivis posset credere, Nicolaum de Lyra eundem textum sic interpretari. Profecto, mi Dorpi, in illa una cœna plus quam viginti poculenti textus, totidemque poculenta glossemata, inter pocula, & adeo ex poculis tanquam è serpentis dentibus terriginæ illi fratres & nati sunt, & periere. Quid tu ais ergo, Dorpi? Tu istiusmodi homines, sacrarum inanes literarum, quæstionibus illis Theologicis quantumcunque distentos, theologorum censes insignendos vocabulo? Non opinor. Quanquam hercle, ut vere dicam, animi ambiguum tui hæc tua me verba faciunt: *Non persuadeas, Erasme, tibi, eum demum absolutum esse theologum, qui Bibliæ seriem ad literam*

ram intelligat, nec eum item, qui morales ſenſus, æque atque alter Origenes, novit erigere. Multa reſtant diſcenda, ut intellectu difficiliora. ita & utiliora gregi pro quo mortuus eſt Chriſtus. Alioqui qui ſciemus ut ſacramenta ſint adminiſtranda; quænam ſint eorum formæ; quando abſolvendus peccator, quando ſit rejiciendus; quid præceptum ſit reſtitui, quid ſervari poſſit: & innumera ejuſmodi? Multum, niſi erro, longe minori opera bonam Bibliæ partē ediſceres. priuſquam vel unius perplexitatis nondum diſcas diſſolvere; cujuſmodi plurimi quotidie occurrunt, ubi vel in quatuor verbis diutiſsime hærendum eſt. Niſi tu has etiam voces theologorum nenias, quæcunque ad ſacramenta pertineant; ſine quibus tamen ſancta Dei Eccleſia Catholica profitetur ſalutem hominis periclicari. Crede mihi, Dorpi, niſi hæc tute ſcriberes, nunquam adduci poſſem, hæc te ſentire ut crederem. Scilicet iſtæ neotericorum quæſtiunculæ, (nam de his agitur,) non intellectu tantum difficiliores, ſed gregi quoque, pro quo mortuus eſt Chriſtus, utiliores ſint, quam exactiſſima cognitio ſacrarum literarum omnium. Hui, ex quantula culice quam ingentem elephantem facis? Nam eam rem primum tam difficilem putas, ut Eraſmus minore opera bonam Bibliæ partem poſſet ediſcere, quam vel unius perplexitatis nodum diſcat diſſolvere, cujuſmodi plurimos quotidie in ſcripto quærunt, ubi tamdiu in tenaci, ne dicam ſordido, quatuor verborum luto hærendum eſt, dum poſſes amœniſſimum ac ſaluberrimum totius Bibliæ pratum à capite pœne ad calcem, ſenſim perambulare. Hactenus ergo periculum erat, ne quæſtiunculas iſtas non didiciſſet. nunc, ut video, majus quidpiam timendum eſt, ne tam longe ſupra captum ejus ſint, ut apprehendere ne ſufficiat quidem. Quid ille poſſit, omitto quærere. Verum hoc ſcio, quoſdam noviſſe me, ad cætera plane ſtipites, ingenio certe piſtillo quovis obtuſiore;

obtusiore; qui in ejusmodi tamen argutiis non modo brevi promoverint, sed sodales suos quoque, multo melioris ingenii, nec minoris industriæ, equis (ut aiunt) albis in disputando præcesserint. Ita quovis importune prorumpit audax & inverecunda stultitia quum ingenuam animi indolem & sanum plerumque judicium nugandi remoratur pudor. Est profecto, Dorpi, quod merito gaudere debes, nec tuis viribus acceptum, sed bonorum omnium largitori Deo, referre, cujus eximia in te benignitate profluxit hæc tam rara felicitas, ut in sacris literis omnia tibi tam facilia videantur. Neque enim in hoc libro, quem signacula septem clauserunt, cuncta reperires aperta, nisi ille tibi agnus librum resignasset; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Sed hic ipse liber, Dorpi, qui tam facilis tibi videtur, Hieronymo certe visus est difficillimus. Augustinus putavit impenetrabilem. Neque quisquam est antiquorum omnium, qui se fateri est ausus intelligere; ut cujus intellectum putant, altissimo Dei consilio, vel ob id ipsum profundius abstrusum esse, ut curiosos oculos provocaret, & semotis ac labore eruendis opibus segnia excitaret ingenia, quæ alioquin ad obvios expositosque thesauros ipsa securitate torpescerent. Iam ut omittam interim, quam non sit vulgaris eruditionis opus, quam non cujuslibet ingenii; quæ à moribus interdum primo aspectu abhorreant, ea tam commode ad mores ac tam feliciter adpellunt, ut non aliunde eo tracta, sed ad id ipsum nata videantur. Quam rem nonnulli nunc tam inepte moliuntur, ut; quum hactenus sint progressi, ut rem ab ipsius magis loco detraxerint, quam ad suum perduxerint; quum neque in re consilium sit, neque in verbis venus; fiat nimirum, uti tota illa monilisatio, quam vocant, sine ulla gratia spirituque frigescat. Sed hæc, vt dixi, omittam. At certe ipsum literalem

sensum,

ſenſum tantum continere difficultatis puto, quantum neſcio an quiſquam omnium comprehendere poſſit. Neque enim cuiquám cenſeo literalem horum verborum ſenſum comprehenſum eſſe ; *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis*: niſi ei, qui ea prophetam de ipſo Chriſto vaticinatum intelligat. Quod exceptis, prophetis nec Judæorum quiſquam, quanquam in hos libros univerſam operam ſuam collocabant, intellexit, priuſquam Chriſtus eis hunc literæ ſenſum aperuit. Qui tametſi Apoſtolis ac diſcipulis ſuis interpretatus eſt ſcripturas; (neque enim quod ſciam, quæſtiunculas iſtas cum eis diſputavit unquam :) non auſim tamen affirmare, univerſæ ſcripturæ ſenſus eis ipſum, aut præſentem tradidiſſe, aut per Spiritum ſanctum, poſtquam aſcendit, infudiſſe. Nam, ut multa ſunt ibi, quæ de Chriſto prophetæ cecinerant ; quorum alios omnes ſubterfugit intellectus, quouſque ea omnia ipſius vita paſsio, reſurrectioque declaraverunt : ita mortalium impares eſſe vires puto ad indagandum, utrum adhuc in eiſdem lateant, aut de finali judicio, aut de rebus, nobis incogitabilibus, neque ulli hominum aut hactenus cognita aut ante cognoſcenda myſteria, quam eventus eadem, temporibus ac momentis ſoli prævisis inſcrutabili Dei providentiæ, patefecerit. Sed eſto, Dorpi: ſit ſcriptura facilis; difficiles quæſtiunculæ: nihil impedit tamen, quin illius cognitio harum poſſit eſſe diſciplina fructuoſior. Quanquam enim ſaltare, atque in gyrum ſe colligere quod ſaltatriculi quidam circulatores faciunt, difficilius eſt quam ambulare; & dentibus panem facilius eſt quam teſtacea fragmenta conterere: neminem tamen eſſe puto, qui rectos illos vulgareſque naturæ uſus velit hujuſmodi inanibus oſtentis permutare. Quamobrem, utra res ſit difficilior, non admodum magni facio. at, quod utiliores etiam ſacrarum literarum cognitione quæſtiunculas

ſtiunculas iſtas eſſe vis gregi pro quo mortuus eſt Chriſtus; ferre profecto non poſſum. quas ſi cognoſcendas aſſereres, haud refragarer. ſi veterum lucubrationibus exæquares non tolerarem. nunc vero, quum ancillas iſtas coquinarias ipſi Bibliæ ſacroſanctæ, literarum omnium reginæ, non confers modo ſed præfers etiam; (dabis mihi, mi Dorpi, veniam:) continere me hercle non poſſum, quin illo Terentiano procul eas omnes ambigã: *Abite hinc in malam rem, cum iſtac magnificentia, fugitivæ.* Neq; profecto ſatis admirari queo, quum ea verba lego, quibus eas ita magnifice attollis, tanquam, uti apud poetas in Atlantis humeros cœlum, ita in perplexas hujuſcemodi quæſtiunculas, hoc eſt, arundinem, univerſa prorſus inclinata incumbat Eccleſia: alioqui videlicet periclitatura, ne tota ſemel collaberetur in cineres. Ais enim: *Alioqui qui ſciemus, quomodo ſint ſacramenta adminiſtranda; quænam ſint eorum formæ, quando abſolvendus peccator, quando rejiciendus; quid præceptum ſit reſtitui quid ſervari poſſit?* Itane putas, Dorpi, iſta, quæ tu nuſquam alibi quam apud neotericos Quæſtioniſtas inveniri vis, antiquos omnes, ſcientiſſimos partes nec minus etiam doctos, ignoraſſe omnia? Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, ad Sacramentorum formas ac materias cæcutiebant? Ergo tota eccleſia plus quam mille annis, (nam plus quam mille anni à paſſione Chriſti numerantur ad Petri Lombardi tempora; è cujus ſententiis, velut ex equo Trojano, univerſum iſtud quæſtionum agmen erupit,) tot annos ergo, immo tot ſæcula, univerſa Chriſti Eccleſia, aut Sacramentis caruit, aut iſta non habuit? quando recipiendus peccator, quando rejiciendus, tam diu fuit incognitum? & item, quid præceptum eſſet reſtitui, neſciebant? nam, quid ſervari poſſet, conceſſerim, apud veteres non fuiſſe tam acute quã apud iſtos diſputatum. ſed, ut Zacchæus veritus, ne male parta parce redderet, quadru-

quadruplum ſeſe redditurum profeſſus eſt; ita veteres illi patres. ut vel plus quiſque reſtitueret, hortabantur. non erant illi, fateor, hac in re, quam iſti ſunt tam in definiendo ac diſtinguendo curioſi. Sed ego tamen illorum (ut Terentius ait) æmulari malo negligentiam potius quam iſtorum obſcuram diligentiam; apud quos anxie res diſputatur, & quæritur non tamen quid reſtitui debeat, quam quid ſervari poſſit; non quam procul à peccato ſit abſcedendum, ſed quam prope ad peccatum ſine peccato liceat accedere. & qui conſilium convaſatori dat nimirum tanquam alienæ pecuniæ frugi diſpenſator; obſervat, ut in reddendo citra ſubſiſtat potius vel mille paſſus, quam ultra latum (ut aiunt) unguem promoveat. Ego certe, mi Dorpi, nec te, puto refragante, contenderim; quæcunque ſunt ad ſalutem neceſſaria; id eſt, ſine quibus ſalvi eſſe non poſſumus; ea primum ab ipſis ſacris literis; deinde priſcis earum interpretibus; adhæc communi ab antiquis patribus quaſi per manus tradita conſuetudine poſtremo ſacris Eccleſiæ ſanctionibus, abunde nobis tradita. Quod ſi quid ſupra, quam in his eſt, homines iſti acuti curioſius addiderunt; ut multa concedam commoda eſſe atque utilia; ita plane ejus eſſe generis puto omnia, ut ſine eis vivi poſsit at fortaſſe dices non omnia apud veteres tam inventu prompta, tamque in numerato eſſe, quam apud iſtos recentiores; qui omnia cognata, quaſique ſimilia, in capita quædam, velut in ſuam quodque tribum, deſcripſerunt. In hac re, Dorpi, fortaſſe accedo tibi; fateorque nonnihil eſſe commodi, velut in domeſtica ſuppellectile, ſic in re literaria quoque, ita ſeorſum habere ſingula quæque diſtincta, ut ad quodcunque velis illico manum poſſis abſque errore porrigere. Eſt iſtud quidem, ut dixi, commodum. Verum hoc tanto commodo quidam tam abutuntur incommode, ut propemodum præſti-

præstitisse videatur, hoc ipso etiam commodo caruisse. Neque enim aliud quidquam magis in causa fuisse puto, quare vetustissimus quisq; sacrarum literarum interpres à tam multis tam diu neglectus habeatur, quam quod infelicium ingeniorum corrupta judicia, primum sibi deinde aliis quoque, persuasere, nihil usquam esse melius, quod non in illos summularum alveos congestum sit. ideoque fit, ut illis contenti solis, cetera omnia per incuriam contemnant. In cujus animi quendam etiam ipse jam olim in quadam bibliopolæ taberna incidi. Erat enim senex, qui alterum (ut aiunt) pedem habebat in sepulcro, & certe non multo post utrumque. Jam doctoratus (ut vocant) honore plusquam annos triginta fuerat insignitus. Dico forte apud eum, beatum Augustinum aliquando putasse, dæmones omneis substantias esse corporeas. Ibi ille statim supercilium contrahere, & temeritatem meam rugosa fronte compescere. Tum ego. Non dico inquam hoc ipse, pater; nec Augustinum in eare defendo. homo erat: errare potuit. credo ei quantum cui plurima: sed nemini uni omnia. Jam vero cœpit homo excandescere; vel ob id præcipue, quod tanto patri calumniam tantam intenderem. Nam, *Putas, me* (inquit) *non legisse Augustinum? immo* (inquit) *priusquam tu nascereris.* Me jam suis sæuis dictis protellasset, nisi commode fuisset paratus elenchus. Nam, ut erat in taberna, sumo in manus libellum Augustini de divinatione dæmonum. verto ad locum, atque ostendo. Vbi locum semel atque iterum legit, ac tertia demum lectione (me adjuvante) cœpisset intelligere: tandem admirabundus, *Certe* (inquit) *ego valde miror de hoc, quod Augustinus dicit sic in isto libro; quod certe non dicit sic in Magistro sententiarum; qui est liber magis magistralis quam iste.* Qui sunt ex hac farragine, qui neque veterum quemquam, neque scripturarum quid

quam

quam legunt nisi in sententiis, & earum commentariis. Hi perinde mihi videntur facere, ac si quis auctoribus omnibus, qui Latine scripserunt, omissis constructionum preceptis ab Alexandro petitis; reliquum Latinæ linguæ, ex Perotti Cornucopia, & Calepino, conetur edisscere; quod persuasum habeat, in his omnia Latinæ linguæ vocabula sese reperturum. Et profecto reperiet plurima, eademque electissima. Vtque apud recentiores theologos, patrum dicta auctoritatis loco leguntur incerta: ita heic quoque veteres poetæ atque oratores aliquot, etiam qui nunc nec extant quidem. Sed neque hæc unquam facient Latinum: nec illa, mi Dorpi, theologum, si sola sint etiamsi decem milibus spinosissimarum quæstionum fuerit instructus. Quibus miror quum sit talis, qua in re possit Ecclesiæ esse usui. Disputando fortasse adversus hæreticos. (nam hoc nomine præcipue sese solent venditare.) At hi aut docti sunt aut indocti. Si indocti; (ut est multo maxima pars:) neque acumina ista, quibus iste solus valet, neque verba tam insueta, quibus iste solus assuevit intelligerent. Necesse est ergo, talem disputatorem tantum fructus consequi, quantum, si quis Turcam quempiam, patriæ duntaxat linguæ peritum, composita oratione sermone Gallico (nam eum solum elegantem Galli putant) exhortetur ad fidem. Sin docti sint Hæretici; idque in illis ipsis quæstionibus; (neque enim fere accidit ut alias sint hæretici:) quando jam redarguentur? quis erit disputandi finis? quum ex illis ipsis quæstionibus, quibus oppugnantur, ipsis quoque referiendi ministratur inexhausta materia ut propemodum eis accidere videatur, quod nudis inter acervos lapidum pugnantibus; ut, quo feriat, neutri desit, quo se defendat neuter habeat. Nempe quidam, qui in scholis inter primos leguntur. Et sunt non minus, quam habentur, acuti ut omittam interim, quod quasdam

dam quæstiones de Deo tam ridiculas excogitarunt, ut putes ridere; propositiones tam blasphemas, ut censeas irridere: certe contra fidem tam gnaviter objiciunt, tam segniter objecta dissolvunt, ut prævaricatores agere, & fidem joco tueri, serio oppugnare videantur. Hæretici ergo cum talibus compositi, quales ante dixi theologos, quum sint in eodem docti ludo, quando succumbent; Non cito hercle, opinor: si non unum magis lignorum fasciculum verentur, quam multos syllogismorum fasces pertimescerent. Sed idoneus erit saltem qui concionetur ad populum. Hercules, hoc ipsum est quod ajunt, Bovem ad ceroma. Nam quum nihil didicerit, præter quæstiones, quæ sunt ad aures populi per quam insolentes, minimeque omnium idoneæ, ediscendus est ei nimirum Sermo quispiam ex Sermonibus discipuli, aut VENI MECVM, aut DORMI SECURE. res per se ineptæ: quas dum homo tractat ineptior, utpote nec ad id munus assuetus, ut quotam illam verborum congeriem ex alieno stomacho declamet; necesse est ut concio tota frigescat. Quamobrem plane non video, quæstiones istæ quid faciant ei quem solæ possident; quod eum ad cætera omnia reddunt inutilem. Ut cui si quid ex his proponatur, subtilibus magis quam solidis disputationibus, in quibus se ante millies exercuit; jam domi suæ est, jam cristas erigit, velut gallus qui in suo sterquilinio superbit: at extra illa sepia si paulo producatur longius; illico ignota rerū omnium facies tenebras ac vertiginē offundit. Ne jam dialectica, rerū cæcitate labanti, quantumvis fortis quantumvis acuta, succurrit; quæ, ut, cognita rerum natura varias inde species multasque argumentorum formas elicit; ita rebus ignoratis ipsis, necesse est sine ullo usu obmutescat. Adde, quod illas ipsas quæstiones, quas & pœnitus & solas per tot annos imbibit;

quum

quum sese jam senex scholasticorum contubernio, ubi eadem assidue ventilantur, quampiam occasione subduxerit; jam intra biennium acumina illa universa, nimium videlicet evanida, nullo rerum subnixa pondere, tanquam nebula, fumusque, dispareant. Jamque ei nimirum ipsi usu venit, quod de anima pueri ex Aristotele subinde citari solet, ut ipsius anima fiat denique velut tabula rasa, in qua nihil omnino depingitur. Et mirum in modum versa rerum vice contingit, ut qui prius omnes sapientiæ numeros in argumentosa loquacitate posuerat, jam senex infantissimus omnibus risui foret nisi stultitiæ suæ supercilioſum silentium sapientiæ loco præterexeret; immo potius hoc ipso ridiculus, quod, qui fuerat Stentore modo clamosior, nunc vitio tam longe diverso, taciturnior pisce reddatur, & inter loquentes sedeat, veluti caput sine lingua, atque (ut aiunt) Personæ mutæ truncoque simillimus Hermæ. Denique, ut, quid ego de hac tota re sentio, semel intelligas; Neque Theolos omnes taxo; neque neotericorum quæstiones omnes condemno; sed eas, quæ nihil ad rem pertinent; quæ sunt hujusmodi, ut neque quidquam eruditioni conferant, & multum pietati detrahant: eas non improbandas modo, sed despuendas quoque censeo. Cæteras vero; quæ tractant aut humana graviter, aut divina reverenter, tum utrilque adhibita modestia, qua veritatem sese investigare magis quam altercari probent; modo ne quemquam sibi totum vendicent, ne quemquam nimis diu detineant, & suo se pede metiantur; neque se melioribus conferant, nedum non anteferant; eas, inquam, sic institutas, admodum libenter amplector: hactenus tamen ut eas tales esse fatear, quibus non inutiliter exerceantur ingenia; tales esse pernegem in quas salus universæ procumbat atque innitatur Ecclesiæ. Jam Theologos non eos vitupero, qui has degustarunt; immo laudo etiam,

etiam quod ad altiorem ſacrarum literarum peritiam, ad meliorem priſcorum & ſanctiſſimorum & doctiſſimorum patrum eruditionem, has quoque non abjiciendas acceſſiones adiecerint. Verum hujuſmodi Theologos (ut ex animó dicam) non probo, qui quæſtionibus cujuſque generis non inſeneſcunt modo, ſed immoriuntur quoq; qui ſeu ingenii ſterilitate quadam impediti, ſeu puerili Scholaſticorum incitati plauſu neglectis antiquorum omnium literis, poſthabitis etiam ipſis, quorum ſe doctores profitentur, Euangeliis, nihil omnino præter quæſtiunculas didicerunt, partim per ſe inanes, partim inanes his, qui cæterarum rerum omnium inanes ipſi ſunt; idque jam ſenes; atque ideo deplorati, quod neque ſcripturas commode tractare, incognitis veterum ſcriptis, queunt, neque ad ea cognoſcenda, qua nunc ſunt Latinæ linguæ penuria, pares eſſe poſſunt; redire vero ad grammaticam, atque inter pueros, immo vero à pueris etiam, diſcere, hoc non ſolum diſpudet, ſed etiam ſerum eſt. Iſtos ego, mi Dorpi, tantum abeſt; ut etiam, quomodo apud Romanos mali Magiſtratus publicis ſeſe cogebantur abdicare muneribus, ita iſtos quoque non tam re quam vocabulo Theologos, adigendos cenſeam, ad hunc magiſtratum, quo tam immerito funguntur, ejurandum. Neque mirum eſt tamen, eſſe aliquos in tanto Theologorum numero tales. Nam quis ordo obſepiri tam diligenter poteſt, ut non ambitione, precio, gratia, aut aliis malis artibus, aliquis indignus irrepat? qui quum ſit in editum receptus, quam poteſt plurimos ſui ſimiles in eundē locum ſuo ſuffragio ſublevat. Ita fit, ut nullus ordo ſit, qui non indignis abundet. Nam ut in Senatu Romano fuerunt quorum Majeſtatem nulli reges æquabant; ita rurſus erant quidam adeo tenues atque inglorii, ut miſere inter ſpectacula vulgi compreſſi, eliſi perierint.

Quanquam, ut nec illorum fulgori, istorum humilitas obfuit; nec istorum tenuitatem, senatorium nomen exemit contemptui: ita nec indignos Theologos nomen eripit contumeliis nec eorum contemptus, aut erga singulos, qui vere sunt, honoris adimit quidquam, aut erga universos quidquam reverentiæ ac majestatis imminuit; cujus ego certe tam conservandæ atque ampliandæ sum cupidus, quam quisquis fuit usquam cupidissimus. Nam de Erasmo stultum fuerit idem polliceri; quum nemo nesciat, in sacrum Theologorum ordinem nihil perperam aut dici aut fingi posse, ut non proprie ac peculiariter ipsius agatur negotium.

Habes igitur hac in re animum, mi Dorpi, meum; nec dubito herele, quin etiam (si tu is es quem ego mecum fingo) tuum: quem si probas; etiam Erasmi puta: sin minus; nec meum diutius, quam tu voles, futurum. Neque enim quidquam animo est unquam tam obstinate obfirmatum meo, ut non paratus sim eo jubente mutare, quem sciam nunquam quidquam sine ratione jussurum. Sed hæc hactenus. Ad reliquas Epistolæ tuæ partes ero tanto brevior, quanto in hac fui vel æquo verbosior. Vtrumque etiam merito. Nam ut ea, de quibus ante disserui, Erasmus nunquam vidit; ita, de quibus deinceps sum dicturus, & scripsit ipse, & se diligentius pollicetur scripturum. Tum quædam vero sunt hujusmodi, vt in his divus etiam Hieronymus, non suo solum exemplo, quasi præjudicio, Erasmi partem tueatur; sed totam litem quoque, tanquam edita in scriptis sententia, secundum eum pronunciaverit. Neque enim quidquam est, quo tu, ne quidquam in scriptura mutetur è Græcorum fide codicum, prohibes, quod non olim adsus beatum Hieronymum & objectum sit, & ab eo validissime confutatum. Nisi hoc videri novum vis; quod translationibus, (ut ais,) quæ multæ olim fuerant,

fuerant, ejectis omnibus, ne varietate codicum fideles vacillarent; hanc unam à ſanctis patribus acceptam, ab Hieronymo caſtigatam, atque ad nos uſque tranſmiſſam, comprobavit Eccleſia: non uno aliquo concilio, ſed perpetua conſuetudine ad eam recurrendi, quoties in ullo concilio de fide nodus incidiſſet. Neque enim alioquin fieri potuiſſe, ut cæteræ omnes interierint, atque hæc ad nos ſola pervenerit, niſi id non forte accidiſſet, ſed adhibita à majoribus noſtris induſtria fuiſſet curatum. Primum, mi Dorpi, nemini dubium eſſe puto, quin hæc ipſa editio ante Hieronymi tempora (neque enim alioquin ipſe hanc potiſſimum caſtigaſſet) & recepta ſit ab Eccleſia, & aſſiduo citandi uſu comprobata; quod ego vel ſolum in cauſa fuiſſe puto, quod ad nos uſque ſola duraverit. Cur ergo Hieronymus auſus eſt mutare quidquam? idque non aliis modo & optimis & ſanctiſſimis viris adprobantibus factum, ſed ipſo quoque Auguſtino adhortante ut fieret? Mutavit vero Hieronymus, (ut ipſe fatetur,) ſi quid in ſenſu fuit, quo Latinus codex diſcreparet à Græco. Hoc ille putavit utilius quam ea quæ tu Eraſmo ſuades ut faciat: videlicet, ut ea tantum adnotet, quæ commodius ac ſignificantius interpres vertere potuiſſet; ſenſum vero, ſi quando diſcrepent manere patiatur, nec mendæ manifeſtæ Latinos admoneat. Quod divus Hieronymus non uſque adeo curandum cenſuit, ejus tu præcipuam curam habendam putas. Quod ille judicavit potiſſimum, ab eo tu potiſſimum deterres. Sed heic occurris; ac fateris, id ab Hieronymo recte factum; quod videlicet tunc opus erat, dum adhuc vulgata hæc editio non ſatis eſſet emendata: at nunc repurgatis vitiis, ſupervacaneum iterum purgandi laborem fore. Nam, opus tam nunc eſſet, quam tunc erat; non eſt ratio, cur minus bene mereretur, à quo nunc idem denuo fieret, quod tunc Hieronymus

fecit. Primum, neminem esse omnium puto, (dicam enim audacius,) nec Hieronymum quidem ipsum, qui profiteri ausus sit, esse se tam certum sui, ut in vertendo nihil eum omnino possit subterfugere. Usque adeo non deerit, vel mediocribus interdum, post meliores, etiam in quo versentur utiliter. Ergo quis vertendi finis erit? inquis. Facillimus; si evenerit, ut quisquam tam commode verterit, aut ab alio non optime versum alius ita correxerit, ut his manentibus integris, non inveniant posteri quod immutandum censeant. At periculum est interim, ne variæ translationes dubios faciant animos fidelium, utram credere debeant veriorem; quod ipsum in causa fuisse censes, ut reliquæ omnes de industria rejectæ sint, hac una servata, ne fideles vacillarent. Qua in re usque adeo abs te dissentio, ut, quod tu majorum curæ tribuis, ego temporum assignem incuriæ; qua nimirum non illæ tantum translationes, sed multa etiam alia periere. Alioquin, etiamsi unam in Ecclesiis habendam recepissent, reliquas tamen quid necesse fuit abjicere? ex quibus non erat periculum ne fideles vacillarent: sed, quemadmodum nunc Euangelistarum varia narratione series rerum in luculentiorem pervenit notitiam; ita in diversorum collatione interpretum, studioso lectori daretur occasio, si quem aut verbum fefellit æquivocum, aut orationis amphibolia decepit, aut sermonis proprietas imposuit, ex reliquis conjiciendi quid verum sit. Quod utilissimum esse, & Augustinus sentit, & Origines experimento didicit, & Jacobus Faber Psalterii quintuplicis editione docuit. Atque hæc ideo dixi, ut ostenderem: etiamsi divi Hieronymi labor adhuc maneret integer; non illum tamen reprehendendum esse, quisquis, si quid ab illo quoque prætermissum inveniisset, hoc ipse, velut relictas à messore spicas colligeret. Nunc vero, quis non putet, codices

dices Latinos, nihilominus atque olim, è Græcis esse corrigendos? quum ita sint rursus infecti mendis ut ne vestigia quidem Hieronymianæ emendationis adpareant. Quod usque adeo in confesso est, ut ipse tu, qui maxime negas, fatearis tamen. Nam, quum ideo maxime contendas, corrigendi laborem frustra sumi, quod Hieronimi castigationes asseris magna patrum diligentia servatas esse integras; tamen in proximo fere versu subdidisti: *Respondejam, Erasme, utram probet editionem Ecclesia? Græcamne, qua non utitur? an Latinam, quam solam citat, quoties ex sacra scriptura aliquid definiendum est. vel præterito Hieronymo, si quando aliter legat; quod quidem non raro contingit?* Immo tu nunc respondes, Dorpi: si (ut ipse dicis, & vere dicis) non raro legat aliter Hieronymus, quam vulgaris habet editio; quomodo potest esse verum quod ante dixistixi, eandem editionem ita manere correctam ut ille correxerat? neque enim quenquam arbitror esse crediturum, illum quidquam contra suam ipsius correctionem proposuisse legendum. Tam ergo nunc opus correctione est, quam olim fuit. An tantundem liceat, hoc restat inquirendum. quanquam nec inquirendum hoc nec dubitandum videtur, quin emendati codices tam nunc sint ecclesiæ utiles quam olim fuerunt. Sed Ecclesia nunc, inquis, istam editionem comprobavit. Atqui eadem ecclesia, eodem etiam modo, eandem editionem ante Hieronymi correctiones adprobaverat; id quod jam ante respondi quanquam non pigebit, eandem rationem tuam, quam tu tam invictam censes, denuo excutere; ne, me prætervehi quidquam dissimulanter putes. Videris ergo mihi sic colligere. Augustinus nec Euangelio duxit esse credendum, nisi ecclesiæ compelleret autoritas. At ecclesia comprobavit, in hac translatione verum esse Euangelium. Consequitur ergo; si quid sit in Græcis

codicibus

codicibus diversum, ut verum in illis Evangelium esse non possit. Hæc est. (uti mihi videtur) argumentationis tuæ summa; quæ mihi videtur ejusmodi, quam non sit difficile solvere. Nam primum, Ecclesia sic in Latinis codicibus contineri credit Evangelium, ut fatetur tamen, è Græco translatum. Credit ergo translationi; sed magis tamen archetypo. Credit, Euangelium in Græcis esse verum; in Latinis verum esse credit eatenus. quatenus fidit interpreti; in quo (ut opinor) nunquam tantam habet fiduciam, quin eum labi cognoscat humana fragilitate potuisse. At in conciliis citatur ex Latino codice, non ex Græco. Mirum vero, si Latini ex Latino citent codice! quasi ideo fecerint, ut de industria fidem Græcis archetypis abrogent, Apostoli nonne citabant ex prophetis secundum translationem septuaginta interpretum, omissa interim Hebraici textus veritate, dum Græcis scriberent? nec ideo tamen Hieronymus factum putavit esse præjudicium; quasi Græca translatio, quam Hebraica litera, Apostolorum censeatur autoritate sincerior. Ego certe hoc persuadeo mihi, idque (ut opinor) vere: quidquid ad fidem astruendam faciat, non esse à quovis melius versum, quam ab ipsis Apostolis perscriptum. Ideoque fit, ut, quoties in Latinis codicibus occurrat quidquam, quod aut contra fidem aut mores facere videatur, scripturarum interpretes aut ex aliis alibi verbis, quid illud sibi velit dubium, explicentur, aut ad vivum Euangelium fidei, quod per universam Ecclesiam in corda fidelium infusum est, quod etiam, priusquam scriberetur à quoquam, Apostolis à Christo, ab Apostolis, universo mundo prædicatum est, dubios ejusmodi sermones adplicent, atque ad inflexibilem veritatis regulam examinent: ad quam si non satis adaptare queunt; aut sese non intelligere, aut mendosum esse codicem, non dubitant. cujus morbi

morbi medelam censent aut à diversis interpretationibus, tanquam medicis, implorandam; (quod tibi tam periculosum videbatur;) aut velut à fonte quodam, ab ea lingua repetendam, unde ea scriptura in Latinum profluxit eloquium. Verum tu, mi Dorpi, concedis, olim recte feciſſe eos, qui latinos quanquam ab ecclesia receptos atque adprobatos, codices è Græcis emendaverint. Sed idem tu negas nunc recte fieri: propterea, quod sit verisimile, ipsorum libros Græcorum, aut de industria deprauatos ab ipsis, jam olim ab ecclesia Romana desciscentibus; aut postea saltem per incuriam vitiatos. neque enim esse credibile; si Latinorum, quibus perpetua fidei cura fuit, codices paulatim tamen labefactati sunt; incorruptos adhuc restare Græcorum, apud quos ipsa jam olim fides corrupta sit. Hæc ratio Dorpi, non flexit Hieronymum, quo minus instrumentum vetus ex Hebræo sermone transferret. quanquam, si quid heic valere debet, ibi multo magis debuit; quum nemo nesciat, Judæos ex professo infestiores fuisse hostes Christianis omnibus, (ut quibus in universo repugnabant) quam Græcos *Latinis*, quibuscum communi Christianorum nomine convenerant, licet in quibusdam dissenserant. Et profecto (ut vera dicam) videtur mihi neutiquam credibile, ullam gentem in depravandos libros unquam conspirare voluisse, ut ne dicam, ne potuisse quidem. Quæ enim spes esse potuisset, neminem ab ea re alieno animo fore? aut clam id fore consilium? quod si rescisceretur; (ut erat necesse; quum à Iudæis ad Christum, à Græcis ad Latinos, aliqui nullo non die perfugerent:) nonne prævidebant, fore, quum nihil assequerentur, suæ præterea parti sese præjudicium allaturos, si se faterentur eam fovere causam, quam sibi conscii essent non aliter posse se quam codicum depravatione defendere? Sed de Judæis Hieronymus viderit. Græ-

eos certe ab hac falſitatis ſuſpicione liberat vel iſtud, quod in his, de quibus eis nobiſcum fuit controverſia, eorum libri cum noſtris conſentiunt: nec de litera unquam, ſed de intellectu literæ, quæ ſtio fuit. Quanquam nemini poteſt eſſe dubium, eos, ſi mutare voluiſſent quidquam, non ea primum modo ſed ſimul quoque fuiſſe mutaturos quæ pro nobis contra eos faciunt. Quæ ſi falſaſſent, non fuiſſet cauſa tamen cur in aliis idem facturi putarentur. Nunc vero quid comminiſci quiſquam poſſit, cur alia falſare velint; quum hæc ipſa reliquerunt integra quæ vel ſola falſare voluiſſent? Sed incuria ſaltem vitiatos eſſe, credi poteſt: præſertim, ſi hoc noſtris contigit, quibus, veriſimile eſt, libros fidei. ſicut fidem ipſam, majori ſemper curæ fuiſſe. Poſſem heic opponere, non Hieronymum, ſed Auguſtinum quoque; quorum uterque cenſet, emendatiores eſſe Græcos codices quam Latinos. Sed ego ratione malo quam autoritate contendere. Hoc certe aſſero, neminem eſſe tam cujuſquam libri incurioſum, ut ita tranſcribendū locet, tanquam penſi non ſit habiturus, nihil vitioſumne an emendatum referat: quum alioqui poſſit operæ & impenſis parcere, ſi omnino ne ſcribatur, curet. Perſuadeo ergo mihi Græcos etiam curaſſe, ut diligentia in tranſcribendis ipſoroum libris adhiberetur; quod nemo dubitaverit, qui libros eorum diligenter inſpexerit. Hoc præterea rurſus adfirmo, apiculos, diſtinctones, & accentuum notas, in cauſa eſſe, quo minus facile apud eos ſcribendo erretur. Nec ab hoc adfirmando deterreor, quod tu hoc argumentum in adverſam partem retorſiſti; propterea, quod (ut ais) facilius erratur ubi multa ſunt obſervanda. Verum ego contra cenſeo, ibi minus facile errari, ubi facile erratur; ut ego quoque dialecticorum more ænigma proponam. Verum ſic opio ortamen, immo ſic experior: quemadmodum in planicie, dum feſtinamus intrepide,

intrepide ubi nemo cauſam exſpectat, ſæpe labimur; cum à præcipitio ſalvi ſenſim, nec niſi certo atque explorato greſſu, deſcendimus: haud aliter evenire ſcribendo; ut ad exemplar perplexum ſcriptor eo tranſcribat verius, quo videlicet attentius; quum ex pulcro codice ipſa ſecuritate labatur. Quanquam & noſtros vitiatas eſſe, & eos remanſiſſe ſinceros vel hinc eluceſcit; quod in noſtris eadem nunc vitia deprehendatur, quæ Hieronymus olim cenſuit emendanda; in illis eadem adhuc videbis verba, ex quibus ea Hieronymum conſtat emendaſſe. Ergo quas ille mendas olim ejecit; nunc non licebit ex iiſdem codicibus rurſus ejicere? Et, quum religiones (quas vocant) omnes fas erit ſæpius renaſcentibus vitiis reformare: libros ſemel purgatos, repullulantibus mendis, nefas repurgare ducemus? Jam quod quæris, quid ſit quod Latinos codices non ſinat incorruptos: deinde tibi ipſe reſpondes; *Quid? niſi calcographorum incuria pariter & imperitia?* & illico ſubjungis: *Vide jam utros invenies rariores? qui Græcis imprimendis ſint idonei, an qui Latinis? et ſcies, utros codices cenſere debeas caſtigatiores.* Quid tu his verbis, Dorpi, velis, non intelligo, neque enim te vereri puto ne in adnotationibus in ſcripturas Eraſmus impreſſis utatur libris: cum neque ſcriptorum codicum deſit copia; neque in eam rem impreſſis uti, etiamſi velit, poſſit: quum novum teſtamentum, in quod ejus deſudat labor, nunquam hactenus, quod ſciam, Græce chalcographorum typis excuſum ſit. Quod ſi hoc voluiſti dicere; Quum chalcographi Græcas imprimant literas quam Latinas depravatius, idem in veteribus etiam utriuſque linguæ ſcriptoribus accidere: ſemoveamus iſtos, Dorpi, qui literas ſic Latinas imprimunt ut Græcæ magis quam Latinæ, ſic viciſſim Græcas, ut Arabicæ magis quam Græcæ, videantur: Comparemus in utroque genere, qui utrumque

possunt: cujusmodi Aldus Manutius Romanus erat inprimis: & nunc quoque Ioannes Frobenius Basilienſis. Hos atque hujusmodi chalcographos audeo affirmare, quod ipse quotidie experimentis comperio, verius ac sincerius Græca quam ipsa Latina referre. Quod ipsum, multaque itidem alia ad hanc rem facientia, multō certius ipse legendo quam audiendo intelliges, si te quoque aliquando ad Græcam linguam pernoscendam converteris: id quod valde opto. Nam suasurus fruſtra sim, quod nec Erasmus persuasit; adversus quem, immo temet adversus ipsum, sedulo te defendis, ne cogare videlicet ex Græcarum literarum cognitione proficere. Quamobrem, ut ad eas te literas, pro animo istoc tuo tam adversus eas obstirmato, hortari supersedeo, ita pro meo in te amore optare tibi non desino. Nec spem tamen unquam depono, fore aliquando nec id quidem haud ita multo post, ut, (cessantibus hac de re disputationibus, in quibus assidua tua illa in scholis victoria non patitur te libenter cedere) quod (ut video) jam nemo potest alius, ipse nimirum persuadeas tibi; quum istos imperatores tuos, quibus nunc militas, quorum interim gratiam tam magnæ eruditionis parti præfers, aut maturiore judicio neglexeris, aut certe etiam illis ipsis, utile & tibi & eorum consiliis fore, persuaseris: quo videlicet Græcistas istos suis ipsorum gladiis confodias, majoreque adversus eos autoritate disseras, quam nunc de re tibi tam in totum ignorata disputes. Qua de re tamen quum perinde scribas, ac si supervacaneam putes operam, quæ in Græcas literas impenditur, mihi profecto non persuades, ea te sentire quæ scribis neque enim simile veri fit; te vel ea prudentia, commoditates ejus linguæ non videre; vel, eo in bonas arteis omnes studio, non concupiscere: præsertim quum abs te quoque, dum negligendam disputas, propemodum afferantur causæ quibus

incitari

tari maxime ad eum consequendam possis. Nam si ut tute veriſſime certe ac sapientiſſime dixisti) unaquæque lingua ea præcipue dote præstat atque excellit alias, si contingat ei, ut majorem bonarum disciplinarum thesaurum in suis literis velut arculis contingat: quis hac unà ratione tua nesciat, Græcam esse eam, quæ summopere sit cum universis mortalibus, tum vero seorsum à Christianis amplectenda? utpote à qua & omnes disciplinæ reliquis, & novum Testamentum fere totum nobis, feliciſſime succeſſit. Nisi tu illam, hoc translationum quotidiano proventu, velut assiduo partu, effœtam nunc tandem atque exhaustam putas. At primum ex his ipsis commentatoribus Aristotelis, quos tu in illa oratione commemoras, (quam; sive ut Laurentium vituperes, sive ut laudes Aristotelem: nam utrumque acriter & ex æquo facis; elegantiſſime certe scripsisti,) Alexandro, inquam, Themistio, Ammonio, Simplicio, Philopono, Olympiodoro: quotusquisque ex his, inquam, est, excepto uno Themistio, qui non adhuc sua tantum lingua legatur; nisi quod Alexandri problemata in Latinum venere sermonem? Ex reliquis si quid Latine legitur, (neque enim ignoro, haberi, & Alexandri & Simplicii fragmenta,) id totum tam est parum Latinum, ut à Latinis propemodum minus quam Græca intelligatur. Neque jam aut de poetis aut oratoribus dico quidquam. Sed neque de aliis Philosophis, aut aliis etiam ejusdem Aristotelis commentatoribus, verbum facio ullum. Quanquam vel unus Joannes Grammaticus tantum habet acuminis, tantum eruditionis præsertim Aristotelicæ; ut, si cum eo posses ipsius lingua loqui, reduceret te, satis scio, unus ille Grammaticus, cum Grammaticis omnibus, quibus nunc parum propitius videris, in gratiam. At ex antiquis Christianæ doctrinæ scriptoribus cum multo maximam partem Græce constet scripsisse; perpauci

pro

pro tanto numero versi sunt; quidam vero ita versi, ut potius videantur subversi. Ad Aristotelem ipsum venio; quem & ego, ut supra multos, ita cum multis amo. Quem tu in memorata oratione tua videris non supra multos modo, sed pro multis quoque, atque adeo pro omnibus amplecti. Hic ergo ipse non potent totus tibi sine Græcarum peritia literarum innotescere. Nam; ut omittam illud, quod nihil ejus tam commode versum est, ut non idem tuis ipsius verbis acceptum in pectus influat potentius: & illud item, quod quædam opera ejus adhuc Græca feruntur, quorum titulos nescio an Latini habeant; certe ex his ipsis operibus, quæ nunc habent, sic habent quædē, ut etiam non habeant. E qua sorte ipsum etiam Meteorologicorum opus tam constat esse, quam dolendum est: quum nescio an ullus ex tam multis ejus viri laboribus dignior scitu sit: aut ipsa rerum natura ab ulla sui parte mirabilior, quam ab ea, quæ, ut nobis proxima circumfusaque undique, ita magis ignorata atque incerta est, quam astrorum positio, motusque siderum, quæ tam porro semota sunt. Sed hoc opus tamen spero propediem fore ut à Thoma Linacro nostrate, illustrissimi regis nostri medico, Latinis donetur auribus; utpote cujus jam nunc duos libros absolvit: perfecisset que nimirum opus, atque edidisset universum; nisi Galenus eum exoravisset, ut, quum ipse dux atque imperator medicæ rei sit, vel sepositio interim Aristotele, Latinus ejus opera prius ipse redderetur. Prodibit ergo Aristoteles aliquanto serius; sed prodibit tamen nihil incultior: præterea nec incomitatus. Nam Alexandri Aphrodisæi commentarios in idem opus una vertit; initurus apud Latinos omnes immortalem gratiam; in quorum non vulgarem utilitatem, Philosophi præstantissimi operi egregio præstantissimum interpretem sic adjunxerit, ut ejus labore demum ab Latinis possit intelligi; quod

hactenus

hactenus à nemine, (ut ego certe suspicor,) qui Græce nescierit, intellectum est. Nam, quum ipse jam olim idem Aristotelis opus audirem Græce; eodem mihi prælegente atque interpretante Linacro: libuit interdum experiundi gratia vulgatam etiam translationem inspicere; è cujus lectione mentem illico subiit ejusdem Philosophi de physicis suis dictum. nam, ut illa sic ait edita, ut tum edita non sint; ita hæc quoque sic versa videbantur, ut nullo pacto versa viderentur: usque adeo, ut, quæ Græce callebam probe, eadem ipsa versa non intelligerem. Neque est, quod à Latinis interpretibus sperari possit auxilium; quum Albertus quoque, quem ad æmulationem Alexandri Magni Magnum vocant, quique se periphrasten Aristotelis profitetur, paraphrastes verius in eo opere judicari debeat; ita, quum ejus officium sit, Aristotelis sensum aliis verbis referre, affert prorsus, ut ajunt, ex diametro diversa. At Cajetanus (nam is quoque facit commentarios) describit nobis. Unus terræ pugillus in quot pugillos aquæ liquescit? & aquæ, item pugillus unus in quot pugillos æris dissolvitur? & quo non ulterius ad eumdem modum proceditur? Sed dum has tam immensurabiles mensuras metitur, ad Aristotelis interim sensum ne gry quidem. Infinitum, mi Dorpi, fuerit explicare, quam multa desunt ei cui Græca desunt. Neque tamen ignoro, & alios multos, & te inprimis ipsum, sine Græcis literis, ipsam doctrinæ arcem versus, eo usque provectum, quo multi non possint, etiam Græce docti, sudantes atque anhelantes ascendere. Sed hoc unum tamen ausim affirmare; Si cæteris disciplinis tuis literas præterea Græcas adjeceris quantum nunc alios, etiam Græce petitos, exsuperas; tantum tunc te etiam ipsum superabis. De Moria; quam Erasmus, qui eam olim meo patrocinio commendavit, eandem rursus tuendam suscepit sibi; non est necesse multa disserere: quum res, per se facilis,

facilis reddita sit partito labore faciliot. Itaque, ut non dubito, quin ille sit ea dicturus, immo in illa brevi epistola jam nunc dixit, quæ sufficere apud omnes debent; ita, ego quæ dicam quantulumcunque apud alios valitura sint, apud te (ut opinor) invalida esse non possunt. Et primum miror, quid hæc sibi tua verba velint: *Ecce repente infausta Moria, tanquam Davus, interturbat omnia.* At quo modo nunc repente? quasi nunc primum Moria repente prodierit! quæ jam plus annis septem, septies interim novis excusa formis, in clarissima luce versata, in omnium sinus recepta sit. Aut, quamobrem, quæso, infausta? quæ quum felicibus auspiciis processerit; nonne hoc abunde demonstrat, quod non debuisset toties in tot exemplaria diffundi, nisi tam multos inveniisset, quibus impense placuerit? Nec hos ex fæce vulgi, (neque enim eas merces facile distractas esse mirarer, quæ placerent indoctis, quorum ubique turba scaturit,) sed ex doctissimis. Nam eam non nisi doctis placere, vel hoc indicio est, quod non nisi docti intelligant. Quod ipsum fortasse fuit in causa, ut hi quoque duo aut tres Theologi, quos Moria commovit, irascerentur; quod ab aliis persuasi credunt, plus ab ea dictum, quam dictum sit; alioquin fors non succensuri, si ea ipsa, quæ dicuntur, ipsi intelligerent. Sed tu, mi Dorpi, putas, nullos rideri debuisse Theologos; quamquam tales esse, quales Moria joco descripsit, ipse propemodum serio fateris, quum ais: *Asperæ facetiæ, quibus multum veri admixtum est, acrem sui memoriam relinquunt.* Verum est herele, quod dicis. Non tam acriter has tulissent facetias isti Theologistæ, nisi, quam erant asperæ, tam etiam veræ fuissent. Ergo, cum tales sint, quales ipse fateris esse; probas? Non opinor. Vituperas ergo? Apud te certe, scio, facis; faceresque palam, nisi in animum induxisses tuum, nemini

mini esse adversus; & ita te comparare statuisses, ut te omnes prorsus, cujusque modi sint, docti, indocti, boni, malique, laudent; cui (ut ais) volupe sit, si vel catelli cauda, velut amicitiæ symbolo, blandiantur. Facis tu profecto, mi Dorpi, cautius; sed nec ille tamen deterius, qui in malos aperte ac simpliciter (quod Gerardus facit Noviomagus) invehitur. Quanto minus, qui, quod Erasmus facit, sumpta Moriæ persona, & pudenter magis, & minus licenter jocatur? Cujus quum jocos salesque non feras, & palinodiam cani velis, in satyris Noviomagi, ut scribis, nihil inveneris, quod mutari velles; quum tamen illæ satyræ sint mordaciores ubi sunt leviſſimæ, quam Moria ubi mordet maxime meritoque. Nam id poesios natura poscit; quæ nisi sit acerba, non est Satyra. Itaque operæ precium est videre, quam satyrice in monachos ubique ac fratres invehitur; ut illorum superbiam, luxum, insciti am, compotationes, ingluviem, libidines, hypocrisimque describit: non minus elegantur, quam acerbe: nec minus etiam merito: quum, licet multi illis sint opprobriis indigni, non desint tamen, in quos universa competant, Quamobrem non miror, quod nihil in eis reperisti, quod velles mutari; sicuti nec ego certe. Sed hoc miror, cur abs te non possit impetrare Moria, ut impune jocaretur in Theologos; quum illæ abs te obtineant Satyræ, ut tam aeriter objurgent religiosos, atque in his Theologos etiam. Sed omitto Gerardi Satyras. Si quis tuas, mi Dorpi, excutiat Epistolas; nihilne reperiri possit, quo tu ullum hominum genus aliquo mordaci dicto perstrinxeris? An illud edentulum prorsus esse putas, quo in memorata Epistola tua ad D. Menardum abbatem respergis antistites? qui illum laudas, alios hoc pacto deploras? *Heu me, heu miseros eos, qui non religiosos agunt. caballis stipati Cæsaris triumphos nobis referunt; quos*

satina

ſatius foret humi repere, quam ad inferos equites properare; ni pedites timeant ſerius illuc pervenire. Hæc, mi Dorpi, tam mordax facetia uſque adeo tibi blandita videtur, ut ideo de equis potiſſimum locutus videare, ne tam bonum dictum perderes; alioquin, opinor, vides, non uſque adeo magnum facinus eſſe, ſi abbates equitent, & beſtiis, in quos creati ſunt uſus, utantur. Audivi etiam, nec alios antiſtites equitare ſemper; & illum tuum interdum; ut in illum ipſum pæne jocus tuus recidat à quo eum cupis in alios avertere. Sed ita ſua cuique blanditur ratio, tam bene ſuus cuique crepitus olet, ut, quum ad aliorum jocos frontem contrahimus, & velut aſperos non patimur, noſtros, neque magis feſtivos, & magis mordaces, amplectamur. Sed hæc in religioſos Antiſtites jocatum te negabis: verum deploraſſe te dices potius; præſertim quum ab illa inauſpicata interjectione auſpicaris, *Heu.* Ergo certe, quacumque figura proferatur, jocum puto, quod ita dicitur ut nemo ſine riſu audiat. Quamquam quid refert, joco an ſero mordeas? Immo refert adeo: quum nemo fere ſit, qui jocoſo in ſe dicto non arrideat; ſerium nemo ſit qui ferat. Alioqui, ſi deplorare licitum, jocari vetitum putas: facile Moriæ fuerit, toti orationi jocoſæ interjectionem dolendi præponere; &, mutata figura, Theologos eoſdem quos ante derifit, iiſdem verbis denuo deplorare. neque enim facile diſcernas, utrum deplorandi magis an ridendi ſint. Sed in Antiſtites fortaſſe quivis licere debet, etiam mediocres; at in theologos, utut ſint licere debet nihil. Nam eo fere tendunt, quæ in hac noviſſima ad Eraſmum ſcribis Epiſtola. Ais enim: *Mirari, tantos conciviſſe motus tuam Moriam; quæ plurimis placet, non Theologis modo, ſed Epiſcopis etiam. Atqui ego te demiror, Eraſme, qui pluris facias epiſcoporum in hac re judicium, quam Theologorum; ſiquidem epiſcoporum noſtri ſæculi vitam, mores,*

mores, eruditionem dicam an inſcitiam, noveris: quorum, ut ſunt certe nonnulli tanto digni faſtigio, ita mira eſt paucitas. Heic tu, Dorpi, quum Theologos ægre leviſſimo joco patiaris aſpergi; Epiſcopos apertis opprobriis magna cum autoritate perfundis: ut in quibus non tantum eruditionem requiris, & carpis inſcitiam; ſed vitam quoque ac mores contumelioſe condemnas. Sed Theologos plurimum refert (ut ais) integræ apud populum autoritatis eſſe. Quaſi nihil referat apud populum quales æſtimentur Epiſcopi! qui quem locum teneant in Eccleſia Chriſti, quam longe ſupra Theologos tuos, non eſt ignotum tibi, qui pontifices liquidiſſime noviſti in Apoſtolorum ſucceſſiſſe locum. Neque cautius proſpexiſſe te putet tibi, quod nonnullos fateris Epiſcopos tanto dignos eſſe faſtigio; quum nec ipſe Moriam credas indignorum vitia dignis imputare Theologis. quæ tamen vel hoc te vincit, quod nihil impedit, per eam multos dignos eſſe Theologos. At Epiſcoporum per te bonorum non modo paucitas eſt, ſed etiam mira paucitas: Sed donemus hoc tibi, nihil eſſe mali, pontifices vel ridere dicteriis, vel maledictis inceſſere; modo ne ſacroſanctos Theologorum magiſtratus attingas. Quid ad hoc dices, quod illos ipſos Theologos, non nomine quidem, ſed deſcriptione tam evidente, ut non ullo nomine deſignari potuiſſent expreſſius, ita mordes, ut pæne laceres, in proœmio quod in Pyrgopoliniceen Plauti fabulam lepidiſſime conſcripſiſti. Verum interim Plauti me nomen admonuit eorum, quæ tu ſparſim per Epiſtolam tuam in poetas ex beati Auguſtini verbis congeris. quæ res longiorem diſquiſitionem flagitat, quam ut à me in hac diſputetur Epiſtola. Sed hoc tamen abs te quæro. Utrum tibi illis verbis hoc voluiſſe videtur Auguſtinus, Chriſtianis videlicet non eſſe legendum Terentium? Quod ſi ab eo perdiſcendo non deterret, nihil adverſus

poeta-

poetarum lectiones facit ille locus. Sin Auguſtinum id egiſſe putas, ut à poeſios ſtudio Chriſtianos averteret; rurſus abs te percontor, ipſene Terentium adhuc docendum cenſeas. Quod ſi cenſes: quid attinet id tam citare diligenter, cui non putas eſſe parendum? Sin docendum neges, ab Auguſtino videlicet perſuaſus: miror profecto, quo pacto acciderit, ut tandem nunc primum tam ſero perſuaſerit ille, quem te non dubito tam diu ante legiſſe, nec interea tamen abſtinuiſſe à Plauto legendo, docendo, exhibendo, agendoque publice, poeta nihil quam Terentius eſt caſtiore, immo nec tam caſto quidem. Quid? non militem glorioſum facetiſſimo prologo locupletaſti? Aululariæ non proœmium modo, ſed, qui comœdiæ defuerat, finem adjeciſti? qui mihi, ſeu ſermonis elegantia ſpectetur, ſeu ſales vere Plautini, nulla parte totius comœdiæ videtur inferior. Cujus rei vel iſti ipſi verſus erunt indicio; quibus (ut dixi) Theologos iſtos amuſos, quos nunc tueris, ita belle deſcribis, ut nemo derideat ſalſius, nemo inſectetur vehementius. Nam quid his carminibus (referam enim) vel magis facetum poſſit eſſe, vel magis elegans?

Primum omnium, qui ſint amuſi, & literis
Non proletariis male inaugarati, eos
Ablegat hinc in maximam malam crucem.
Siquidem ſtomachabundi, oblatratores, facere
Pergant etiamdum, quod numquam non facli-
tant;
Clamoribus ampulloſis infremere, &
Venena livoris effunditare ſui.
Et obloqui, & obgannire, & dentibus omnia
Arrodere carnivoracibus; &, ſicut canes
Solent, quibuſlibet allatrare ſibi obviis:
Eos homines, (ſiquidem ſint & ipſi homines,)
Quum illiterati ſint, quum ſint agraris.

Mihi

Mihi ſedulo juſſit Plautus hinc abigere.
Sin forte ſint præſto; niſi comprimant ſibi eos,
Nihilque graxint, nimatu'ſt, fore ulmeos;
Vbi hoſpitio excipientur Acherontico.

En, mi Dorpi, quam neque poetis abſtinendum putaſti, & amuſos illos Theologos quam bene ſuis coloribus depinxiſti! Quid ſi te neges tunc fuiſſe Theologum, ſiquidem ſcripta ſunt abhinc ſeptennium: certe vix ſeſquiannus elapſus eſt, quod eadem recollecta edidiſti; jam certe Theologus quadriennio poſt habitam luculentiſſimam orationem tuam de aſſumptione Deiparæ virginis. Quid ergo refert, an Theologus effeceris; an prius facta Theologus edendo comprobaveris? Ergo, mi Dorpi, dum è dentatis Gerardi Satyris, quibus religioſorum ſpurciſſima deſcribit vitia, nihil mutandum cenſes: dum ipſe religioſorum antiſtitum ſic miſereris ut rideas; ſic rides ut mordeas: exterorum Epiſcoporum, præterquam mire paucorum, inſcitiam, vitam, ac mores, acerbe vituperas: dum Theologos iſtos ipſos, in quorum moriam jocari nefas ducis, ipſe amuſos vocas, oblatratores, ſtomachabundos, literis non proletariis male inaugaratos, ampulloſis infrementes clamoribus, venena livida effudentes; obloquentes, obgannientes, dentibus omnia carnivoracibus arrodentes; in obvios quoſque ſicut canes ſolent, allatrantes; illiteratos, agrarios; poſtremo vix homines in maximam malam crucem cenſes ablegandos: dum hæc, mi Dorpi, facis; quomodo tibi non venerunt in mentem tua tam bene conſulta, quibus Eraſmum nunc tam amice ac tam prudenter admones? Ubi tunc illud Hieronymi? *Extremæ dementiæ, nihil aliud, quam odium, ſe fatigando quærere.* Ubi tunc illud Cornelii Taciti? *Aſperæ facetiæ, quibus multum veri admixtum aſt, acrem ſui memoriam relinquere.* Quo tunc

tunc fugerat illud Epicteti? *Ne putes, omnibus iucunda auditu, quæ tibi sunt iucunda dictu.* Profecto, mi Dorpi cariſſime, ſic eſt à natura comparatum, ut modum ſemper ab aliis exigamus, libertatem omnes indulgeamus nobis. Novi ego, qui Reuchlinum (Deus bone, quem virum?) non ſatis æquo animo ferrent; quod in æmulos ſuos, videlicet imperitiſſimos doctiſſimus, in ſtupidiſſimos vir prudentiſſimus, in vaniſſimos nebulones homo integerrimus; ab iiſdem tam immani laceſſitus injuria, ut, ſi manu ſe vindicaſſet, ignoſcendum ei videretur: novi tamen, inquam, qui non ferrent, (quamquam ejus etiam ſtudioſi,) quod ſtylo contra illos libere, nec magis libere tamen, quam vere, affectus ſuos effunderet. Novi itidem, eos ipſos, qui non ferebant, pauſo poſt, in rebus, & minoris momenti, neque ad ſe tam proprie pertinentibus multo etiam atrocius excandeſcere. Tanto nimirum proclivius eſt, alienis adfectibus quemquam temperare, quam ſuis. Ergo non licuit (inquis) mihi vel ſatyras Gerardi probare, vel in rheologos amuſos, adde, antiſtites atque epiſcopos quoque, vel joco vel ſerio dicere, modo vera, neque nominato quoquam? Immo vero, mi Dorpi, uſquea deo licuiſſe tibi cenſeo, quod feciſti, facere, ut mihi nihil unquam in vita melius feciſſe videaris: modo ea ne deſit æquitas, qua, tibi quod laudi ducis, idem in alio ne vitio verteris. Iſtud ergo totum de Moria mea, mi Dorpi, ſententia, & ſine cauſa mones: quum nihil ſit quod moneri debeat: &, ſi quid eſſet, poſt tot annos etiam ſero mones. Nam, quod in calce prioris epiſtolæ tuæ poſuiſti; reconciliatum iri Theologis iſtis Eraſmum, quos Moria commovit, ſi Moriæ laudibus Sapientiæ laudem opponeret: mediocrem mihi riſum mediusfidius excitavit. Sapiunt ſcilicet, ſic hoc Moriæ encomio moriam ſic putant eſſe laudatam,

ut

ut laudari cupiant eadem figura ſapientiam: Quod ſi cenſent: quid iraſcuntur? quum ſint ipſi quoque à tam laudata moria tam abunde laudati. Præterea non video, quo pacto veris ſapientiæ laudibus iſtorum in ſe invidiam Eraſmus lenire poſſit, quin potius, velit, nolit, multo acerbiorem rederet, quidpe quum eos tam ex ſapientiæ contubernio cogeretur ejicere, quam nunc coactus eſt inter penitiſſimos moriæ myſtas aſciſere. Hæc ſcribenti mihi ſupervenerunt literæ, quibus ad ſe meus me Princeps revocat. hæ me adhuc ſcripturientem coegerunt, ut ſiſterem aliquando, atque iſtam finirem vel invitus epiſtolam. Quæ quum tam longa ſit, ut brevior fortaſſe fuerit.

Scriptus & in tergo, nec dum finitus, Oreſtes:

neſcio tamen, quo tecum colloquendi ſtudio adhuc cupiebat increſcere. Verum, ut non ingrata eſt hæc epiſtolæ complicandæ neceſſitas, quod vereor, ne, qua nunc eſt longitudine, tibi poſſit eſſe moleſtiæ: ita non lætor, ademptam mihi facultatem, qua hæc eadem liceat ſub incudem revocare, atque hunc rudem & informem fœtum meum ſæpius lambendo refingere. Quod facere profecto decreveram, ut ad te, doctiſſime Dorpi, cultior aliquanto veniret; cui me meaque omnia probata eſſe cupio. Quorum ruditati non ideo ſolum veniam dabis, quod properus iſte diſceſſus effecit, ne mihi vel relegere liceret; ſed ob id quoque, quod iſta ſcribenti mihi non modo libraria nulla, ſed nec liber fere ullus fuit. Quamquam, ne nunc quidem ingrata tibi qualiacumque fore, in tua humanitate prima ſpes eſt: ſecunda in mei ipſius induſtria, qua me ſedulo caviſſe confido, ne quidquam in his eſſet, quod tuas aures merito poſſet offendere; niſi mihi,

hi, ut homo ſum, meorum amor impoſuit. Quod ſi uſquam incidat; culpam admonitus agnoſcam ingenue, nec tuebor, meam. nempe, ut, quos amo, ſi quid eorum interſit, non gravatim admoneo; ſic ab amicis ipſe admoneri, valde mediusfidius gaudeo. Neque hoc me fugit tamen, Eraſmo quædam ex ſtomacho te non obieciſſe tuo, ſed ab aliis accepta potius protuliſſe; ut tu viciſſim intelligas, me multa his in literis, illis potius reſpondiſſe, quam tibi. Quem ego non ſolum, ut amantiſſimum, diligo; ut doctiſſimum, ſuſpicio: verum etiam, ut optimum virum, revereor. Vale, cariſſime Dorpi. vereque tibi perſuade, neminem eſſe tui magis vel in Hollandia tua ſtudioſum, quam ſit Morus apud toto diverſos orbe Britannos; ut cui non minus carus es, quam ipſi es Eraſmo: nam carior eſſe non potes, ne mihi quidem. Iterum vale. Brugis, viceſimoprimo Octobris.

FINIS.

DES
ERASMI ROTERODAMI
Purgatio adversus
Epistolam non sobriam
MARTINI LUTERI.

OXONII,
Typis *W. Hall*, Impensis *F. Oxlad.* sen.
& *F. Oxlad.* Jun. Anno Dom. 1663.

D E S.
ERASMUS ROTERODAMUS
Adversus Calumniosissimam Epistolam
MARTINI LUTERI.

EN recanduit in me præter expectationem *Martini Lutheri* θυμὸς ἀγήνωρ. emisit enim Epistolam quæ tota spirat parricidiale quoddam odium, quum ego post eum conflictum, qui mihi fuit pro *Diatriba* adversus illius *Servum Arbitrium*, nusquam in scriptis meis odiosius vel ipsum vel doctrinam ejus attigerim, nimirum semper hoc agens ac sperans fore, quod sperant ni fallor omnes Christiana mente præditi, uti summus ille rerum humanarũ moderator, hos Ecclesiæ tumultus aliquando verteret in bonum exitum. Tantum autem abest ut ipsum calamo lacessiverim, ut quorundam privatis Epistolis admonear, aliorũ libellis æditis exprobretur mihi, quod *Luteranis* in quibusdam patrocinier atque excusem. Famosos dialogos, picturam scepticipitem, similiaque irritamenta semper improbavi, quin & *Ioannem Cochleum* à tam acri contentione revocare conatus sum. Videtur res esse levis momenti, quæ isti camino tantum adiecit olei, aut ut melius dicam, quæ admoto sulphure scintillas cinere opertas excitavit. *Georgius* quidam *Wincelius* olim insigniter addictus *Lutero*, post nescio quibus de causis ab eo desciuit. Is semel atque iterum ad me scripsit, non dissimulans se male cogitare de *Lutero*. Cujus tamen literis non respondi, partim quia non vacabat, partim quia scribebat è locis procul semotis & obscuris, cum hoc quod ipse mihi sic erat ignotus ut ne-

mo magis. Quod si fuisset scribendi opportunitas, admonuissem hominem, ut aut ne lacesseret *Lutetum*, aut certe stomacho ne indulgeret quem satis exulceratum ipsius literæ præ se ferebant. Hic *Wincelius* ut apparet, nunc nescio quid libellorum evulgavit, adversus quædam *Luteri* placita. De quibus quoniam non vidi non est quod pronunciem. Accessit quidam *Nicolaus Amsdorffius*, qui plaustrum suapte sponte pronum commode perculit, admonens ut contempto *Wincelio* Erasmus impeteretur, ac suis tandem depingeretur *coloribus*, qui sunt, ut ait, *insscitia & malitia*. Summam enim meæ doctrinæ hanc esse, utar verbis illius: *Doctrina Luteri hæresis est, quia damnata à Cæsare & Papa, sua verò est orthodoxa, quia episcopi et cardinales, principes et reges mittunt et donant ei aurea pocula &c. Si aliud est in suis libris, moriar.* Atque hoc hominis de me judicium *Martinus* non solum approbat, verumetiam miratur, quum sit & absurdum, & manifestæ vanitatis. Neque enim consistit, eidem homini tribuere *insscitiam & malitiam*. Siquidem ubi peccatur per ignorantiam, error est non malicia. Dein nusquam in scriptis meis appello *Luteri* doctrinam hæresim. Quod si facerem, haud quaquam primus aut solus facerem. Nec usquam utor hac ratiocinandi forma, mea doctrina sana est, quia principes mittunt munera. Sed hoc argumento consolor amicos, qui dolent me undique linguis ac libellis furiosis lanciari. Horum odiis oppono bonorum favorem, inter quos multi sunt & dignitate præcellentes, & pietate venerandi, & eruditione celebres. Horum judicium interdum allego, & adversus eos, qui me clamant privata audacia admovisse manus *novo testamento*. Hic nihil est quod ad *Luteri* doctrinam pertinet, neque quisquam principum misit mihi aurea pocula, quidam me honorarunt muneribus sed ultro nec ambientem nec expectantem. Quid accipiat *Luterus*,

mea nihil refert. Quum igitur nusquam sit in scriptis meis quod hic asseverat, tamen seipsum devovet, si quicquam aliud reperiatur in scriptis meis: Moriar, inquit. Ego non tantum illi precabor mali, sed potius ut in eo moriatur vanitas, & vivat veritas. *Tale* est hujus *fabulæ proœmium*, cui pulchre quadrat Epistola *Luteri*, tota undique scatens impotentibus ne dicam *furiosis* conviciis, ac malitiosis *mendaciis*. Maledictis non admodum offendor. Quid enim mirum si in me sic indulget stomacho, quum in *reges* & principes simili petulantia debacchetur quoties collibuit. Itaque non regeram contumelias, sed pro mea qualicunque portiuncula imitabor *dominum* ac præceptorem meum, qui quum audisset, *Samaritanus, dæmoniacus*, ac præsidio *Beelzebub* ejiciens dæmonia, ad *Samaritani* convicium obticuit. Ineptum est enim cuiquam objicere patriam, quam nemo sibi deligit, aut aliud quod ab homine præstari non potest: reliqua duo convicia non retorquet in maledicos, sed argumentis depellit, quoniam sic expediebat *Evangelio*. Ignorare, oblivisci, dormitare, falli, labi, *humanæ naturæ vitia* sunt, in quibus quoniã nos nihil aliud quã *homines esse* meminimus, facile *veniam petimusque damusq; vicissim*. Sed quod *Martinus* objicit adeò non est humanum, ut sit plusquam *dæmoniacum*. Conatur enim hoc orbi persuadere, *Erasmum* non solum nihil credere de rebus divinis, verum etiam illud jam olim dolis, insidiis, totisq; viribus agere, ut universam religionem *Christianam* labefactatam tandem det præcipitem proq; hac *paganismum* in mundum revocet. Non vereor autem ne tam atrox & impotens convicium, nihil enim aliud est, in me hereat apud eos, qui vel legerunt meas lucubrationes, vel domestica consuetudine propius inspexerunt mores & ingenium meum. Illis satisfaciendum est, qui quum nec me norint nec meos libros evolverint, sic *Lutero* sunt addicti, ut *oraculum*

existiment quicquid dixerit. Utinam in vita tam obtemperassem divinis præceptis, quàm de his quæ sunt fidei liberam & quietam habeo conscientiam apud deum. Quod ad mores attinet, quotidie cum suspiriis ac dolore cordis interpello domini misericordiam, quem tamen nolim mihi unquam fieri propitium, si diabolici facinoris unquam vel leviſſima cogitatio pupugit animum meum, non dicam ut universam *Christi* gloriam obscurarem, sed ut ipse à fide Catholica resilirem. Atq; utinam hujus corpusculi jactura queam hoc Ecclesiæ dissidium consopire. Quam lubens & gaudens eam mortem susciperem. Interim admissorum quidem veniam nocturnis diurnisque precibus à *domino* postulo, fidem autem oro, non ut det, sed ut datam confirmet augeatque. Hæc coram *deo* loquor ex animo, sumat extemplo de me pœnas si quid mentior. Cæterum nunquam adducar, ut credam, *Luterum* hoc de me suspicari, quod aliis persuadere conatur, sed impotens odium, regnandi libido, & instigantium faces huc hominem transversum perpellunt. Id fiet perspicuum, si recitavero voces quasdam è quibus ille videri vult hanc de me persuasionem suscepisse.

Primum indignatur *Catechismo meo*, in quo quoniam commemoro varios veterum *hæreticorum errores*, causatur me nihil aliud agere, quàm ut *catechumenis* fidei dogmata reddam suspecta, dum protinus in principio omissis solidis fundamentis, tantum illis objicio *hæreses* & *scandala opinionum* quibus *Ecclesia* in initio vexata est, ut pene definiam nhil unquam fuisse certi in religione *Christiana*. Et addit, *istu vero exemplis et periculosis quæstionibus animus imperitus statim in principio obrutus, quid aliud cogitabit aut faciet, quàm ut sese à religione Christiana tanquam peste, vel clam surripiat, vel si ausus fuerit palàm detestetur*. Hunc quidem in modum orsus est ille. Principio quæ sint illa solida fundamenta quæ

cau-

cauſatur à me prætermiſſa non ſatis intelligo. Ego ſtatim ab initio talia jacio fundamenta, ſic placuiſſe deo, ut mundū peccato *Adæ* & *Evæ* ab originali ſtatu collapſum, per filium ſuum *Ieſum Chriſtum* miſericorditer reſtitueret. Ad hanc autem gratiam omnibus pariter acceſſum eſſe per ſyncetam fidem in *Chriſtum*. Porrò fidem eſſe donum *dei*, quod nemo ſibi dat, ſed à *deo* petendum eſt. Fidei vero materiam facio ſcripturam canonicam utriuſque teſtamenti, cujus velut à deo profectæ autoritatem plurimis argumentis doceo multo certiſſimā eſſe atq; inviolabilē, excluſa mundi philoſophia, & humanis rationibus atque experimentis. Hæc ferè ſumma eſt primæ *catecheſeos*, in qua nullum verbum ambiguum, ſed conſtans & vivida aſſeveratio, quæ quum ſit perpetua toto libello, tamen uno in loco ſic loquitur *catechiſta*. Cæterum hic ubi *deus* eſt omnia in omnibus, nullus eſſe poteſt error, nulla nubes, nulla ambiguitas, *ipſe* eſt *initium*, *ipſe progreſſus*, *ipſe conſummatio*.

Obſecro te *lector* integræ mentis, an hæc non ſunt ſolida fidei *Chriſtianæ* fundamenta, quibus uſus eſt *Paulus* & omnes *orthodoxi patres*? Si *Lutherus* habet ſolidiora, nullus obſtat, quo minus proferat in utilitatem eccleſiæ. Et haud ſcio an ædiderit aliquod *ſymbolum* germanice. cujus rei prorſus ignarus ſimpliciter laudatiſſimi viri precibus hoc operæ ſumpſi. In ſecunda *catecheſi* recitatur *ſymbolum*, & ad majorem rei perſpicuitatem *univerſum* in *tres partes* dividitur, juxta *tres perſonas divinas*, quarum obiter explicatur, & naturæ unitas & proprietatum differentia. Mox ſecundaria diviſione ſinguli *articuli* veluti brevibus ſcholiis expediuntur, ut ſumma totius argumenti digeſta & cognita, reliqua *catechumenus* & intelligat facilius, & meminerit fidelius. Dein locis conſtitutis per eadem veſtigia recurrit oratio, ac de ſingulis fuſius, & accuratius diſputat. Hoc docendi genus velut ad profectum ma-

xime accommodum præter *Aristotelem*, alii complures eruditi sequuti sunt, non *ethnici* modo verumetiam inter *orthodoxos* præcipui. Jam num quæso meum exemplum est in tradenda veritate meminisse opinionum, quæ à veritate aberrarunt? & *hæreseon* quibus initio vexata fuit *Ecclesia*? Utrum hoc est veritatem obruere, an illustrare potius & confirmare, & auditorum animos præmunire? Si hic produxero *Aristotelem*, cui hoc perpetuum est, varias opiniones proponere ac refellere, aut *Quintilianum*, qui vehementer ad eloquentiam conducere putat, ut præceptor in oratorum scriptis, non tantum ostendat quæ recte dicta sunt, verumetiam quæ perperam: clamabit *ethnicos, ethnicos*. Sed quid dicet de sacris *Ecclesiæ* doctoribus, quorum nullus non idem facit, sive priscos inspicias, sive recentiores. Num *Divus Augustinus Catechumenos* erudiens, silet de variis *hæreticorum* blaspemiis? An non idem facit *Beatus Thomas Aquinas, et Ioannes Gerson* in suis *symbolis*. Quod si periculum est, ne quis resiliat à religione *Christiana*, si cognitum fuerit *Ecclesiam* variis *hæreticorum* erroribus fuisse vexatam, pernicioſam operam sumpserunt, apud *Græcos* sanctus *Epiphanius* & *Philaster*, apud *Latinos Augustinus* catalogum omnium *hæreson* orbi proponentes. Quanquam quis est omnino seu veterum doctorum, cujus libri non undiq; scateant *hæreseon* & *hæreticorum* mentione? Dico *Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Cyrillum, Ioannem Damascenum*, & ex *Latinis Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum*. Ab horum libris essent submovendi juvenes, ne offensi resiliant à religione *Christiana* tanquam à peste. Atqui sanctissimi simul & eruditissimi viri judicarunt hoc ad *Christi Ecclesiæque* gloriam ac stabilitatem in primis pertinere, si mundus sciret inter quos turbines ac procellas huc usque constiterit invicta veritas, nimirum protectore *Christo*. Verum facio rudem *Catechume-*

num

num ista proponentem. Scilicet fingo personas, quo disputatio sit dilucidior, ac res velut oculis subjiciatur. Nec hoc meum exemplum est. Fecit idem *Beatus Athanasius, Cyrillus, Hieronymus* & *Augustinus*. Quanquam hoc opus non tam scripsi *Catechumenis* quam *Catechistis*. Etenim si scripsissem *Idiotis*, *Germanice* scripsissem non *Latine*. Nunc enim nulli sunt rudes *Catechumeni*, si modo parentes, susceptores, ac pastores suo fungantur officio. Proponuntur aliquot scrupuli, qui rudem auditorem monere poterant. Proferuntur *sectarum* deliramenta, sed à *catechista* non indiligenter submoventur, verisq; ac validis argumentis rejiciuntur, nec id frigide aut verbis ambiguis, ut quisquam merito dolum suspicari queat, sed verbis dilucidis, vividoque spiritu, quem agnoscas non è naribus, sed è corde proficisci. Proinde manifesta vanitatis est, quod assumit *Luterus*, me omisisse solida fundamenta, quum exordiar à solidissimis *Christianæ* doctrinæ fundamentis. Falsum, aut si mavult, hyperbolicum est & illud, quod ait me tantum *Catechumenis* objicere *hæreses* & *scandalosas opiniones*, quum hæc obiter tantum admisceam. Falsissimum autem, quod addit, me propemodum definire, nihil unquam fuisse in religione *Christiana* certi. Imò hoc constanter & studiose ago toto dialogo, ut persuadeam *Christianam* philosophiam, unam ac solam esse, quæ sit inviolatæ certitudinis.

Hoc fundamento non è ruderibus, sed è meris mendaciis congesto, maledicentiæ structuram imponit, idque suo more. Solet enim subinde in his veluti locis amœnioribus pascere animum suum, nec interim animadvertit quicquid conviciorum in me congerit, in probatissimos *Ecclesiæ* doctores recidere. *Et hoc callidum*, inquit, *consilium non putat ab ullo homine posse intelligi, quasi non habeamus in scripturis eusmodi larvarum diaboli infinita exempla*. En *Apostolicã* eloquentiam. Magis erat mirandum istam diaboli-

cam ſuſpicionem cuiquam homini veniſſe in mentem. *Atq; huc profertur ſerpens è geneſi, qui* Evam *primum in dubitationẽ flexit, mox præcipitavit in exitũ. Quomodo vocavit in dubium? Percontando: Quur* deus *præcepit vobis ne veſceremini ex quovis ligno paradiſi?* Quod ſi ſerpentem imitatur, quiſquis percontatur, ad Larvas diaboli pertinent omnes *eccleſiæ doctores*, tum priſci, tum neoterici, adhæc omnes *theologorum ſcholæ* in quibus non ſolum proponuntur quæſtiones de negocio fidei, verumetiam argumentis quàm fieri poteſt validiſſimis impugnantur *Chriſtianæ* religionis dogmata. Nec ab illis *diatribis* arcentur rudes. Circumſtant qui volunt. Dicet non rem, ſed animum me diſtinguere à cæteris *doctoribus*. Illi quærunt, ut veritatem non labefactent, ſed ſtabiliant, adverſus impiorum inſultus, Quid *Eraſmus? Irrepit ſerpentina calliditate, tentans ſimplicium animos, ut in paganiſmum præcipitet.* Hoc animo ſi fuiſſem, nihil prius feciſſem, quàm ut in *ſectarum* conſortium me conjicerem. Ad perdendum enim *religionem Chriſtianam*, nulla res accommodatior quàm hæc *ſectarum* licentia, quæ ſibi permittunt quoties libuit, ſua novare *dogmata*, quando id faciunt impune. Sed unde liquet me hoc animo proponere quæſtionem, ut auditorem vocem in dubium? An quia ſerpentis exemplo, nego verum eſſe quod in *ſymbolum* tradidit *eccleſia*, quemadmodum ille dixit: *Non moriemini.* Quod ſi *catechiſta* ad propoſitam quæſtionem non ambigue non frigide, ſed exerte conſtanter, & aſſeveranter reſpondet, quod eſt doctrinæ *catholicæ*, utris ſum ſimilior, ſerpenti an probatiſſimis *eccleſiæ doctoribus*? Quid diceret, ſi induxiſſem diabolum cum homine diſputantem, quemadmodum *ipſe* fecit in ſua *miſſa angulari*, cui tam valida tribuit argumenta ut fateatur à ſe non potuiſſe refelli. Sed nihil retorqueo, quũ jure poſſim omnia. ac perinde quaſi jam perſuaſerit me nihil de *ſymboli* articulis credere, feſtivum intertexuit

texuit dictum, *nisi Erasmus & hanc quoque fabulam esse putet*, ne qua sermonis pars vacaret morsu.

Sed quæ tandem sunt istæ serpentinæ quæstiones in *Catechismo* meo? *Quur*, inquit, *tot sectæ et errores in hac una veritatis, ut creditur, religione fuerunt? Quur tã diversa symbola?* Has quæstiones ex se fingit *Luterus* autoritate qua fungitur. Nihil enim tale quærit *catechumenus*, sed *catechista* facit, quod ab omnibus *ecclesiæ doctoribus* & factum est olim, & hodie fit, proponit inflexibilem fidei regulã, at obiter ostendit, quot modis ab hac derivarint, *philosophorum* & *hæreticorum* ingenia. *Sed ita ostendit, ut detestetur.* Festivum vero, quod de suo addit, ut creditur, quasi dubitem an vera sit hæc fidei regula. Hoc scilicet non est artificium serpentis, sed sancti spiritus oraculum, qui per os *Martini* loquitur. Ejusdẽ syncëritatis est, quod has quæstiones ea specie confingit, quasi *catechumenus* miretur eam religionem posse veram esse, in qua tot fuerint *errores*, & de qua tam varia extent *symbola*. Nusquam ita loquor in religione *Christiana* fuisse *hæreses*, sed eam ajo variis philosophorum *erroribus* fuisse exercitam, sed hactenus perstitisse in sua invincibili syncëritate. Hoc ipsum *Augustinus* cum cæteris *orthodoxis* commemorat ad probandum solam fidei veritatem divinitus datam, esse inexpugnabilem. Et *Erasmus* idem commemorans, universam ecclesiæ doctrinam vocat in dubium, & persuadere nititur eam nihil aliud esse quàm *fabulam*. Si periculum est scire, multa esse *symbola*, quur præter *symbolum Apostolorum*, in templis publicè recitantur & canuntur *symbola Athanasii* & *Nicenum*? Quur inter opera *Beati Hieronymi* tot feruntur *symbola* diversis titulis? Si dixissem *symbola* inter se pugnare præsertim quæ nobis *synodorum* autoritate tradita sunt, causari poterat utcunque me infirmis aliquem iniecisse scrupulum. Nunc quum ostendam, in brevissimo illo *symbolo* quod *Apostolorum* dicitur, nihil deesse, nec in aliis quicquam redundare, sed quod in illo stri-

ctim est comprehensum, in his fusius expressiusque declarari, idque factum esse adversus *hæreses* subinde pullulantes: obsecro quid novi feci? An non omnes qui tractarunt hoc argumentum conferunt *symbola* cum *symbolis*, indicantes quæ sint in aliis dicta expressius? Ut laudatissimum docendi genus est, ex collatione locorum *divinæ scripturæ* sensum rimari, ita laudandi sunt, qui primi *symboli* breviloquentiam aliorum *symbolorum* collatione explanant.

Sed profertur alia horribilis quæstio, quur in *symbolo Apostolorum pater* appelletur *deus*, *filius dominus*, *spiritus sanctus*. Addit *epiphonema tragicum*. *Quis rogo solicitat his quæstionibus rudes animas, quas erudiendas susc epit, nisi ipse diabolus?* Sentit opinor de eo *diabolo* qui olim tam validis machinis impetiit animum ipsius de *missa*. Verum non cogitat quod *catechista* prius *catechumenum* diligenter edocuerit, *patrem, filium & spiritum* esse *unum deum*, nec ullam in natura esse differentiam, ut quæ prorsus una sit atque eadem numero in tribus personis. Admonuit & illud, in prisco *symbolo* non repeti, credo in *spiritũ sanctum*, quo magis *dei* nomen ex æquo pertineat ad *omnes*, ut ita pronunciemus, *Credo in deum*, atq; hic respiratiuncula interposita, sequatur, *patrem omnipotentem*, & in *Iesum*, & *in spiritum sanctum*. Itaq; subjecto personarum distinctio velut explicat nomẽ *dei*, quod omnes personas complectitur. *Catechumenus* igitur edoctus de mysterio *trinitatis*, tantùm quærit de consuetudine scripturarum, propter eos, qui sermonis distinctionem, quam indicaram forte non reciperent. Proinde ne qui coniunctim legendum putant, *Credo in deum patrem*, cum *Iudæis* & *Arianis* suspicarentur *dei* nomen in solum *patrem* competere, submoveo scrupulum ostensa scripturarum consuetudine: de qua post incidet dicendi locus. An sic docet diabolus? Et an rudis est, qui totum *sacræ triadis mysterium* edoctus est, & credidit?

Verum

Verum inerudescit *tragœdia*. *Quis* inquit, *ausit sic loqui de symbolo fidei: habes hujus salutiferæ fabulæ, protasin, epitasin & catastrophen, nisi ipsum os & organum satanæ.* Ut *hic nihil* crepat nisi *satanas, diabolos, laruas, lamias, megæras*, aliasque voces plusquam *tragicas*. Fortassis ex abundantia cordis os loquitur, certè hæc esse solent *venturæ insaniæ* præsagia. Quum *symboli* personas exposuisset *catechista*, *patrem conditorem*, *filium redemptorem*, *spiritum sanctum conciliatorem*, *& ecclesiam mysticum Christi corpus*, *dein ordine initium*, *progressum & consummationem ecclesiæ commonstrasset*, addit, *habes hujus salutiferæ fabulæ protasin*, *epitasin & catastrophen*, *habes actus omnes et scenas cœlestis illius choragi ineffabili dispensatione digestas*. Quæ verba *Luterus* truncatim retulit, & in his quæ retulit aliquid addens, aliquid detrahens, aliquid immutans. Addidit enim ecce cum stomacho videlicet, detraxit pronomen hujus, quo videar de quavis *fabula* loqui, & pro *salutiferæ* posuit, *salubris*. Atqui quum summam redemptionis exposuissem, ideo addidi hujus, ne de quavis *fabula* posset intelligi, addidi *salutiferæ*, ne quis imaginaretur esse aliquid simile *poetarum fabulis*. Denique ne obscurum esset, meum *sermonem* esse *metaphoricum*, adieci, *habes actus omnes* &c. Quæ verba *Luterus* suo prætermisit artificio. Sed offendunt prophanæ voces ad res divinas accommodatæ. Quasi similibus *tropis* non scateant & *divinorum* voluminum, & *orthodoxorum literæ*. *Deus* comparatus *fœneratori*, *Christi* posterior adventus comparatur *furi nocturno*, *Evangelii præcones* comparantur *infideli dispensatori*. Ineffabilis copula divinæ naturæ cum humana in *Christo*, item *Christi* cum *ecclesia* comparatur connubio *sponsi* & *sponsæ*. Æternæ vitæ premium appellatur *brabeum*, quod verbum è *circo* translatum est, appellatur *stipendium*, quæ *vox castrensis* est. *Paulus* luctam cum carne pugilum verbis exprimit.

primit. Studium perfectæ pietatis confert in ſtadio currentibus. Sed quid eſt tam prophanum, unde *Paulus* non mutuetur *voces tranſlaticias*, quo ſignificantius exprimat quod ſentit, *à certaminibus publicis, à theatris, à militia, à triumphis ethnicorum*, & ego dicor *os ſatanæ* quod unam *metaphoram*, quæ videbatur appoſitiſſima ad exprimendum quod ſentiebam, accommodarim ad rem ſacrã. *Fabula* Græcis δρᾶμα dicitur argumentum conſtans ex variis *perſonis*, quarum una quæque ſuis fungitur partibus, *tota actione* ſic ordine *digeſta*, ut à ſatis tranquillo *exordio* increſcat, ac tandem in *lætum finem* exeat. *Patrem* tacite *metaphora* ſimilem *chorago* facit, qui totius *diſpenſationis* eſt *autor*. Filius aſſumpta carnis infirmitate *divinam naturam diſſimulans* venit *quodammodo perſonatus*, abſit invidia dicto. *Spiritus ſanctus* moderatur *eccleſiam*, donec in *reſurrectione juſtorum deus* omnem lachrymam abſtergat ab oculis *ſanctorum*. *Homo* bene conditus, veluti *protaſis* eſt, *crux epitaſis*, *reſurrectio cataſtrophe*. Dicet, iſta non intelligunt *Idiotæ*. Nec *idiotis* ſcripſi, quod tota ſpecies argumenti latis declarat, nec iſta quiſquam poſſet *germanice* aut *gallice* vertere. Verum anceps eſt verbum *fabula*. Eſt ſi nihil addas. Significat enim interdum fictam narrationem, interdum veram ac familiarem, veluti cum dicimus literatas *fabulas* nonnunquam ut ante dixi *argumentum* conſtans *diverſarum actione perſonarum*. Cæterum hoc à me curatum eſt, ne cui poſſit eſſe ambiguum. At eſt verbum *prophanum*. Prophanius verbum eſt πυκτεύω quo tamen *Paulus* rem non prophanam expreſſit. Nónne audimus in laudẽ *virginis matris* cani publicitus in *templis*: Ante thorum hujus *virginis* frequentate nobis dulcia cantica *dramatis*. Et tamẽ idem vocabulũ *dramatis* legimus in veſtibulis *fabularum Ariſtophanis*, quæ non *prophanæ* modo ſunt, verũ etiam magna ex parte *obſcænæ*. An ideo nullum eſt offendiculum quia

Græcam

Græcam vocem, *drama* pauciores intelligunt quã latinam *fabulas*? Adde quod hic nullæ voces adduntur, quæ vel ſubmoveant ambiguitatem, vel aperiant *metaphoram*, quod utrumq; à me factum eſt diligenter.

Hic tranſſilio conviciorum viridarum, in quo ſuaviter paſcit animum illum nulla maledicentia ſatutabilem Objicitur alius locus ex argumento *in paraphraſim epiſtolæ ad Romanos*, ubi, quemadmodum ait. *Paulum ſic laudo & extollo, ut nulla rhetorica ſimplex & imprudens lector queat potentius avocari & retundi à legendo & diſcendo Paulo, adeo confuſum, impeditum, pugnantem ſibi, varium, horridum pingit, ut eam epiſtolam credere cogat eſſe alicujus hominis furioſi, tantum abeſt ut utilis eſſe videatur.* Sic ille. Quæ quum ſcribit, videtur ſibi mire δεινὸς. Verum hæc δεινώσις, ſobriis videtur eſſe *mera inſania*. Ipſe vocabit *hyperbolas*, ſed hæ *hyperbolæ* meræ ſunt *meniacia*. Siquidem in eo argumento, quum multa diſſeruiſſem de utilitate ejus *epiſtolæ*, cui non ſine cauſa principem locum dedit *eccleſiæ* conſenſus, oſtendo & difficultatem, partim ut *excitem* lectoris attentionem, partim ut *declarem* mihi in hoc argumento, quod fortaſſis operæ levioris videretur, haud mediocriter fudatum eſſe. Difficultatis autem *tres* adfero *cauſas*, quarum *prima* eſt dictionis incommoditas ob *hyperbata*, *anantapodota*, & *hebraiſmum*. *Secunda* eſt *rerum* quas tractat *ſublimitas*, quæ vix ullis verbis humanis poſſunt explicari. *Tertia*, eſt crebra *perſonarum mutatio*, quod *Apoſtolus* inter diſſerendum nunc hos nunc illos reſpicit, & ipſe docendi gratia varias perſonas in ſe recipit. Neque quicquam hic dico quod non ex *priſcis* hauſerim *doctoribus* præſertim *Origene*. Verum in meo ſermone nuſquam eſt ille, confuſus, impeditus, pugnans ſecum, varius & horridus, & furioſo ſimilis, ſed iſta verborum portenta nobis gignit *Luteri* generoſus ſtomachus. Quem hoc urit, quod

quod ausus sim difficultatis meminisse, quum ipsius dogma sit in scriptura nihil esse difficultatis, sed omnia exposita atque obvia, tantum si quis norit *grammaticam*, nec careat *sensu communi*. Atqui par erat ut hic mihi se præberet æquiorem, qui hoc argumentum scripsi, priusquam ipse sua mundo prodidisset *oracula*. Si erravi, simpliciter erravi, sequutus magni nominis autores, *Originem* quem illic cito nominatim, *Hieronymum*, qui præfans in *epistolam* ad *Ephesios* testatur eam magnis difficultatibus ac profundis quæstionibus involutam esse. Quamobrem? an ut deterreat à legendo? imo ut acuat lectoris intentionem, suumque commendet studium. Sed quis est aut fuit unquam, qui scripsit in *epistolas Pauli*, quin subinde luctetur in locorum difficultatibus? Verum ut omnes isti fuerint talpæ, certe meus error veniam merebatur, cui præbuit ansam ille divinitus afflatus *Apostolorum princeps Petrus*, qui fatetur à *Paulo* quædam scripta difficilia intellectu. Utri potius habenda fides, *Petro* qui profitetur difficultatem, an *Martino* qui negat quicquam esse obscuritatis?

Pergit ille, & *inter cæteros* inquit, *morsus plane Sycophanticos illud non potuit salvo jecore retinere, quod Petrus Christum appellet virum, deum taceat.* Quid? an *Sycophantæ* sunt & *Paulum* mordent qui fatentur in scriptis illius esse quædam difficilia? Papæ quam multos habeo hujus consortes criminis, & in his *Apostolum Petrum*. Quin ipse potius mea verba profert *sycophantice*, quasi *Petrus* nusquam *Christum* appellarit *deum*; hoc est nusquam sic prædicarit, ut ex ejus verbis intelligatur *Christi divinitas*. Laudo illic, *Pauli* œconomiam, quod ut prudens *mysteriorum*, dispensator non ubivis promat quælibet, sed apud perfectos loquatur sapientiam in occulto, apud alios nihil norit nisi *Iesum Christum*, & hunc crucifixum, infirmos alat lacte, adultos

adultos ſolido cibo, moxque ſubjicio. Hoc conſilio *Petrus Apoſtolus* apud rudem concionem verba facturus de *Chriſto, virum eum nominat, deum tacet.* Quum aio, hoc conſilio, declaro ſimilem *Petri* prudentiam, quum aio, apud rudem concionem, ſignifico illum non tacuiſſe apud initiatos *Chryſtianæ fidei myſterium.* Unicus autem in actis locus eſt, in quo *Petrus Chriſtum* appellat *virum.* Aliquanto poſt recurrens ad hanc calumniam, ſic incandeſcit, ut pronuntiet *Eraſmum* damnandum *hæreſeos*, quod ſcripſerit, *Petrus* appellat *virum, deum tacet.* Damnentur igitur mecum tot egregia *eccleſiæ* lumina, qui & hunc locum & alios aliquot diligenter annotarunt in divinis libris, quorum eſt *Divus Chryſoſtomus in Actorum* cap. 2. Nec id tacuit *Beda Ambroſium* ut apparet ſequutus, cujus hæc ſunt verba in *gloſſa* ordinaria: *Nec tamen autoritate prius eum filium dei nominat, ſed virum probatum à deo, virum juſtum, virum à mortuis ſuſcitatum.* Subindicat ſimile eſſe exordium, *Petri Apoſtoli Chriſtum* annunciantis in domo *Cornelii Centurionis Actorum* cap. 10. Rurſum in *caput* ejuſdem operis 17. *annotat* quod *Paulus* apud *Athenien. Chriſtum* magis *hominem* quam *deum* nuncupat. *Chryſoſtomus* & illud annotat, quod non exprimit *myſterium* divinæ naturæ, ſed tantum in genere *deum* appellet, de *filio dei* & *ſpiritu ſancto* nulla mentio. Quur maluit *Petrus* prima illa concione *Chriſtum* nominare *virum* quam *deum*? Ne *Iudæi* qui *patrem* tantum noverant, de *filio* & *ſpiritu ſancto* nihil audierant, quique per legem erant edocti unicum eſſe *deum*, reſilirent, ſi audirent hominem dici *deum.* præſertim mortuum, crucifixum & ſepultum, ſed malait illos ex ipſis factis paulatim in eam ducere cogitationem, ut ſentirent *in eo homine fuiſſe quiddam majus homine.* Gentes autem quoniam credebant plures eſſe *Deos*, confirmari potuiſſent in ſuo errore ſi rudibus ac nondum myſte-

mysterii capacibus Paulus prædicasset *Christum deum*. Hæc quum à probatissimis *ecclesiæ doctoribus* diligenter annotentur, idque in laudem *Apostolorum*, quorum os & linguam moderabatur spiritus sanctus, unde ego subito sum *Arianus*, qui idem annoto quod illi? *Sed offendunt* inquit, *hæc verba Christianas aures, ut posita sunt. Petrus Christum virum appellat, deum tacet.* Verum sic à *Lutero* posita sunt non à me. Addit, *præsertim in autore suspecto.* Hic vix risum teneo. *Martinus* tot judiciis condemnatus, tot libellis proscissus, tot ictus fulminibus me vocat autorem suspectum. At quibus fui suspectus? Aliquot *monachis*, qui *Lutherum* non habent suspectum, sed judicant *hæresiarcham* omnium qui ab orbe condito fuerunt pestilentissimum. Hos nunc *Christianos* appellat, & horum autoritate me premit. Quid autem illi sua calumnia sunt assequuti, nisi quod se doctis ac bonis omnibus propinarunt deridendos. Porro quod addit, *hæc verba ut sonant, & ut posita sunt, Arianis fortiter significare, mihi non placere, Christum deum dici, sed melius eum appellare virum*, si de suis verbis loquitur, quid ea sonent quidve significent ipse viderit. Si de meis ut à me posita sunt luculentum ac forte mendacium est. Omitto cætera convitia, quæ magis recidunt in *sacros ecclesiæ doctores*, quam in me. Libentius ad saniora respondeo. *Poterant* inquit, *hæc verba omitti, aut religiosius proponi.* Alterum ex his haud dubie facturus eram, si vel leviter suspicatus fuissem exoriturros, qui ad hanc festucam impingerint. A *Iudæis* nihil metuebam. *Arianorum hæresim* sic radicitus existimabam extinctam, ut nulla occasione posset repullulascere. Postremo hoc ipsum quod admoneo veterum exempla sequutus, videbatur ad excludendam *Arianorum hæresim* valere. Siquidem quum adhuc illa pestis sæviret in *ecclesia*, ob id *orthodoxi* toties admonent *Christum* in *scripturis* raro dici,

dici deum, ut hanc anſam *Arianorum* fautoribus eriperent. At reddunt cauſas, quur ſupprimatur *dei* cognomen: Ego idem non facio, *verum*, in *Luteri* verbis, in meis facio. Relegat locum qui velit, & ita eſſe comperiet. Sed hanc cauſam quam à probatiſſimis *eccleſiæ doctoribus* didici *Martinus* à me fictam confingit, *Nec ſufficit* inquit, *fingere, quod proter vulgus Petrus Chriſtum appellaverit virum.* Rurſus depravat mea verba. *Hodie apud vulgus Chriſtianorum Chriſtus exerte vocatur deus & homo, ſed illic unicum locum indico in Actis Apoſtolorum*, in quo *Petrus* rudi promiſcuæque multitudini *Chriſtum* annuneiat. *Qui virum* inquit, *nominat, deum non tacuit, niſi quod non potuit eo loco iſtas quatuor literas d. e. u. m.* Id quoniam putat argute dictum repetit, atque in extremo Mihi inquit, *Chriſtum Petrus non tacuit deum, cujus amore tam multa patitur vir Apoſtolicus. atque has etiam* (opinor) *ſcribit calumnias.* Sed quid opus iſtis *de* verbis cavillationibus? Quum ita loquor, *virum nominat, deum tacet*, quid aliud intelligit *ſobrius lector*, quàm *viri* cognomen exprimit, *dei* cognomen non exprimit. Sic & *Chriſtus deum* tacuit, & *Meſſiam* ad tempus prædicari vetuit. Nuſquam enim *Chriſtus* ſeſe *deum* nominat. Et hoc erat ad perſuadendum efficacius, ut *factis* potius quàm *uſurpatione nominis* ſeſe declaret deum. Quod ſi *deum* non tacet quiſquis ea tradit de *Chriſto*, quæ declarant in homine latere deum, nuſquam dixi ſic taceri deum: ſed illas quatuor literas quas irridet *Martinus*, ad tempus ſuppreſſas indico. Et erat ad certam perſuaſionem efficax ratio, ut prius hominem diſceremus, ac deinde *per gradus* deduceremur in cognitionem *naturæ* divinæ. Hanc perſuadendi viam ipſe dominus nobis oſtendit, *Apoſtoli* ſunt imitati, *doctores eccleſiæ* collaudarunt. Ubi vero ſevere exigo iſtas quatuor literas *deum*? An ille exigit, qui

qui adversus *Arianos* admonet in *Apostolorum* literis *Christum* frequentius appellari *dominum*, quam *deum*, & causam quur id fiat indicat, ingenue testificans & *domini* nomen competere in *patrem* & *dei* nomen in *filium*, quum uterque idem sit *deus* ac *dominus*. Hoc quum toties admoneant *veteres*, pietatis laudem auferunt, *Erasmus* interprete *Lutero* insidias struit imperitis & suspectam reddit *Christ. religionem*. Demiror si *Martinus* febri caruit quum hæc deliramenta inauspicatis illineret chartis.

Intenditur *paroxysmus* & in odium mei laudatur *Pius Carpensis*. Atqui quum locum illum *monachi* quidam *Hispanienses* truncatim nec intellectum objecissent, turpiter errantes, ad eundem lapidem impegit *Pius*, qui mea non legerat, sed è schedis per conductos aliquot juvenes annotatis struxit suas calumnias. Et nunc ad eundem lapidem impingit *Martinus*. Ostendo enim illic, priscos fuisse religiosiores ac timidiores in loquendo de rebus divinis quam nos sumus, quum eas animo vitaque religiosius venerarentur, quam nos facimus. Huic sententiæ subjicio exemplum, Audemus inquam *spiritum sanctum* appellare *deum*, quod veteres ausi non sunt, sed iidem non veremur illum subinde nostris sceleribus *ex animi nostri templo deturbare*, perinde quasi crederemus *spiritum sanctum* nihil aliud esse quam inane nomen &c. Non damno quod nos audemus *spiritum sanctum* appellare *deum*, sed quod cum cognitione ac profitendi fiducia non simul accreverit pietas vitæ. Et hic est locus quem si quis legat observari jubet *diabolum incarnatum*. Cæterum ne lectorem morer supervacaneis, legat eum locum quo *monachorum Hispaniensium & Pii* calumnias de *triade* refello, & fatebitur *Lutetum*, non dicam *diabolum incarnatum*, furentium istæ voces sunt, sed hominem odio limphatum.

Pergit, *nihilominus* inquit *valde serio confitetur triadem*,

triadem, & nihil minus feciſſe videri vult, quam negaſſe trinitatem divinitatis Quid ais hominum petulantiſſime, an *Eraſmus* unquam negavit *trinitatem* divinitatis, quam plus ſexcentis locis in meis ſcriptis profiteor ac tueor: Recitabo, licet nauſea plena, quæ ſequuntur, ut lector perſpiciat hominem mentis non ſobriæ loqui. *Niſi quod inquit curioſitatem recentiorum (quam poſtea pro diligentia commode interpreturi exiget) narrat multa ex ſcripturis accepiſſe, & auſos eſſe quæ veteres non eſſent auſi, quaſi hominum autoritate nitatur religio Chriſtiana (hoc enim intendit perſuadere) hoc eſt aliud nihil, quam pro fabulis haberi univerſas religiones.* Sic ille παραφορεῖ. In præfationem *Hilarium* exactiorem in ſcripturis diligentiam, voco curioſitatem, ſed addo *piam*. Sic habet locus: Etiamſi poſt *orthodoxorum* pia curioſitas idoneis argumentis comperit è *ſacris literis*, in *ſpiritum ſanctum* competere, quicquid *filio* tribuebatur, excepta *perſonarum proprietate*. Ac paulo poſt. Quod nobis inquam è *divinis literis*, patrum *orthodoxorum* tradidit autoritas. An abſurde loquitur, qui piam *orthodoxorum* curioſitatem interpretatur exactiorem diligentiam? Quid quod pro idoneis argumentis comperit: iſte depravat, *accepiſſe & auſos eſſe*. Mox è ſuis depravatis, pronunciat mihil *hoc eſſe ſtudio, ut perſuadeam religionem Chriſtianam niti autoritate hominum, quod nihil aliud ſit quam hoc agere, ut univerſæ religiones pro fabulis habeantur*. Quas univerſas religiones appellet neſcio, niſi forte ſentit de lege *Moſaica* & *Evangelio*. Equidem hactenus arbitratus ſum *unicam* eſſe *religionem*. An qui habent ſenſus exercitatos quod ex *ſacris literis* colligunt docentque imperitiores, nihil aliud eſt quam fabula? Sed *Martinus* nihil admittit niſi nudam & meram *ſcripturam*. Sed unde nobis tam multa eruit è *ſcripturis*, quæ tot ſeculis ignoravit *eccleſia*, quum *ſcriptura* ſemper fuerit

rit eadem? An negabit illos *Papiam* loquor, *Ignatium*, *Ireneum*, *Origenem* & horum ſimiles è *ſcripturis parum* attente conſideratis aut ignoraſſe quædam quæ nos ſcimus, aut *errores* aliquos hauſiſſe, quos nos improbamus, aut dubitaſſe de quibuſdã, de quibus nunc dubitare fas non eſt? Quot ſeculis *eccleſia* præſertim *Græcorum* profeſſa eſt *ſpiritum ſanctum* à *patre* procedere, nec auſa eſt addere *filium*? At nos libere profitemur, *ſpiritum ab utroque* prodire, nec tamen *patrem* & *filium* hic eſſe *duo* præcipua ſed *unicum*. Priſci credebant *duplicem* eſſe *reſurrectionem*, *animarum* & *corporum*. Nos credimus *animas* ſimul ut emicuerint è corporibus, aut eſſe *in gloria* aut eſſe *in cruciatu*. Hujus generis alia ſunt innumera, quod omnes theologorum ſcholæ fatentur. Quibus autem debemus quod pro certis habere cœperi *eccleſia*, de quibus prius ambigebatur? an non viri ingenio feliciore præditis, & in ſcrutandis ſcripturæ arcanis diligentioribus. An ob id protinus univerſæ *religiones* habentur pro fabulis? Cui non oboriatur vomitus ad iſta tam delira? *Cum abſente loquitur*, ait mimus, *cum ebrio qui litigat*. Sed longe pernicioſior eſt philautiæ & odii temulentia quam vini. Neque quicquam ad iſta furioſa reſponderim ita me deus juvet, niſi me moveret infirmorum ſcandalum.

Pius Carpenſis quum *Lutherum* tot locis inſimulat *hæreſeos* & appellat inſanum, nihil eſt. At idem quum ex verbis truncatim ac perperam ad ipſum delatis, atque ob id non intellectis me inſimulat erroris *Ariani*, recte judicat, ac vir eſt ſanus & acutus. Nec tantum clamo *calumnia*, *calumnia*, *ſycophanta* *ſycophanta*, ſed craſſis & evidentibus argumentis retundo calumnias. *Inauditam ſuperbiam appellat quod atrocem ac manifeſtariam calumniam à me depulerim, nec habeo omnes pro ſtipitibus ac truncis, ſed truncis omnibus præfero homines furioſe calumnioſos.* Ego inquit, *Eraſmo non credam etiam ſi apertis ver-*

be-

is confiteatur *Christum esse deum*, sed dicam illud hrysippi sophisma: *Si mentiris, etiam quod verum ieis, mentiris.* Si *Chrysippus* tale sophisma propo-uit, profecto non erat sobrius & egebat *elleboro*. *Martinus* fortasse somniat de *sylogismo*, quem Graeci ψευδόμενον appellant. *Cretenses* semper men-aces, dixit *Epimenides Cretensis* &c. Ac perinde lo-uitur *Martinus*, quasi hactenus nusquam in libris eis *Christum* aut *spiritum sanctum* appellarim *deum*, uum omnes meæ lucubrationes hoc dilucide, ex-te, ac vivide profiteantur. An ideo toties hæc in-ulco, ut fallam universos mentiens vera dicendo *Davum* referens è *comœdia*. *Ipsa febris non posset qui febrilius.*

Et quia definere nescit, ubi semel cœpit, arro-it illud verbum audemus, quod eo sim usus in bo-am partem, quum hoc toties legat apud Paulum, o fiducia, Velut Rom. X. Esaias autem audet & di-it. Item Ephesios VI. ut in ipso audeam pro ut opor-et me loqui. Denique tot seculis in *missa* canit *ecclesia* coram populo, & pro populo. Divina insti-utione formati audemus dicere, *Pater noster &c.* roinde audendi verbum non torquet *Erasmus*, d *Lutherus* nihil non torquet ad calumniam.

Nondum se remisit *paroxysmus*, *Manifestum in-uit, mendacium est, veteres non ausos esse spiritum nctum appellare deum, nisi veteres pro sua pulchra ura intelligat democritum aut Epicurum, aut de-m intelligat materialiter, id est, istas quatuor li-ras*, D. E. V. M. Concinne vero hic meminit *mocriti* & *Epicuri*, quum agatur de *divinitate piritus Sancti*. Si *Martinus* fatetur fuisse priscos ali-not, qui has quatuor literas religioso quodam tre-ore non audebant tribuere *spiritui sancto*, mecum cit. Neque enim ego aliud dixi, quàm priscos ali-not tam fuisse religiosos in pronunciando de rebus inis, ut à vocabulis abstinerent, quæ non ex-

presse

pr esse haberentur, in *sacris voluminibus*, donec autoritas è divinis literis persuaderet pium esse sermonem. Quod si contendit hoc esse falsum, aperiat nobis causam, quur in *vetusto symbolo*: quod in *missa* canitur, *filius* appelletur *deus de deo, deus verus de deo vero*. Spiritui multa tribuantur ex quibus evidenter colligas illius divinitatem, *dei* cognomen aperte non tribuatur. Aut expediat nobis quare beatus *Hilarius* in tot voluminibus in quibu tractat de *trinitate*, quum tot locis asserat *Christ dei vocabulum*, tot locis religiose profiteatur quid credat de *spiritu sancto*, nusquam aperte tribua illi cognomen *dei*, hoc est, illas quatuor litera in quas ludit *Martinus*. Quid in causa? An p rum magnifice sentiebat de *spiritu sancto*. Non a bitror. Sed religione quadam expectabat evidente *eccleſiæ autoritatem*, quibus verbis de *spiritu* pro teri oporteret. Olim enim qui non audebant *Chr stum* appellare *verum deum*, iidem multo minus a debant tribuere *spiritui sancto*.

Hic nobis profertur *homusios* & *ingenitus*. A *homusii* verbo non *Ariani* tantum, sed & *orthodo* quidam putabant abstinendum, nec aliam ob ea sam, nisi quod ea vox, hoc est quatuor illæ syllab in sacris literis nusquam invenirentur, atq adeo ne in priscorum quidem literis, quum tam de eadem *patris* ac *filii* natura *catholice* sentire Sed horum religiosus metus cessit autoritati *Sy dorum*: attamen post quis ausus est profiteri *spiritu sanctum* patri *homusion* esse, quum pariter eadem trium natura? Equidem nihil aliud alium arbitr in causa fuisse, nisi religiosum metum loque de rebus divinis. Neque enim *filius* magis est ὁμο ούσιος *patri*, quam *spiritus sanctus* utrique. *Ari* religiosi videri poterant, nisi de re dissensissent *catholicis*. Ἀγλωσσία semper ambiguum & infid sum verbum merito fuit suspectum, tandem &

jecti

ſectum. Quis enim nunc *innaſcibilis* cognomen ceu proprium tribui *patri*? Si ἀγέννητος ſonat idem quod non natus, nec *ſpiritus* naſcitur, ſed procedit, *Si ἀγένητος* dicitur qui nunquam cepit eſſe, nomen eſt omnibus perſonis ex æquo commune. Omitto quod hic *Arianos* patres meos appellet, quaſi jam ſuis contumelioſis deliramentis docuerit me ſentire cum *Arianis*. Cujus ſanitatis & illud eſt, quod *ait me hoc malitioſa verſutia ſignificare nimis nihili eſſe, niſi quod iſtæ quatuor literæ* D. E. V. S *non ponuntur omni loco ubi ego poſſem exigere*. arbitror Oreſtem olim dixiſſe ſaniora etiam extra lucida intervalla.

Verum ne perſequar omnia, perinde quaſi jam liquido docuerit me prorſus *Arianum* eſſe, nec admiſurum ut *Chriſtus* dicatur verus Deus, niſi hæ duæ voces, verus *deus*, exprimantur in *ſacris literis*, nec ullo pacto paſſurum ut *ſpiritus ſanctus* dicatur *Deus*, niſi his quatuor literis appelletur in *ſcriptura canonica*, fictitiis comparationibus rem expolire conatur. *Sic poſſet* inquit, *diabolus ad Chriſtum ipſum dicere. etiam vera dicas, tamen quia non dicis talibus verbis qualibus ego velim nihil dicis. Velim autem nullis verbis dici, Sicut Marcolphus ſuſpendi voluit ab arbore à ſe electa, nullum tamen voluit eligere. Hoc genus facetiis tuetur gloriam Chriſti, qui ſolus novit de rebus fidei verbis propriis loqui.* Num hæc tam delira videntur eſſe mentis ſobriæ? Mirum vero quam liceter inducat perſonam *diaboli*. Et tamen profitetur ſe *ſuper his plura dicturum, ſi dominus otium & ſpatium vitæ dederit. Statuit enim poſt ſe relinquere teſtimonium de Eraſmo fidele & certum, cujus hoc ſpecimen & guſtum eſſe voluit*. Horrendum profecto judicium hominis, qui ſe profitetur & angelos & mundum judicare. At ſi ſuum teſtimonium velit habere pondus, præbibendum eſt veratrum, ut ſaniora ſcribat quam hæc ſunt. Quid quod interim *Lutetus* ſui

videtur

videtur oblitus, *ipsius* enim *dogma est, nihil asserendum, quod non sit expressum in Canonicis literis.* Nam ipse fateor me in multis acquiescere judicio *ecclesiæ.* Hic igitur pugnat cum suo ipsius dogmate.

Poterat hic desinere, sed ingredi tur campum declamandi adversus voces ambiguas, quas putat fugiendas non tanquam scopulum, ut ille dicebat, sed quod est πρᾶγμα διάβολον, tanquam diabolum. Quasi *sacri libri*, cumque his *orthodoxorum* monumenta non sint plena verbis ambiguis. Quod si ambiguum est, quicquid translatitium est, nulla sunt humana verba, quibus proprie loquamur de *rebus divinis.* Non jam loquor de *typis* quibus omnia tribuuntur *deo*, dum dicitur *leo, lapis, agnus, vitis &c.* sed quum illi tribuitur *odium, amor, ira, furor penitentia, misericordia.*

Verum illud horribilius est blasphemiæ, quod in epistola quadam ut ait, *appello coitum dei cum virgine.* Non indicat *quæ* sit *epistola*, quum innumeras emiserim, tamen illud ausim dejerare, ea verba *nusquam* esse in *epistolis meis*, nec usquam in *scriptis meis*: aut si sunt multo aliter posita, quam refert *Lutetus.* Quid enim ille citat bona fide, posteaquam semel induxit animum calumniari? Hic miris modis exaggerat *coitum* esse verbum abominandæ obscœnitatis. *Stuprum significat coitum illicitũ*, & tamen est verbum verecundum, quemadmodum & *incestus.* Cognoscere mulierem *verecunde* dicitur, futuere (sit honos auribus) obscœne dicitur: ita cacare verbum est invere cundum exonerare alvum verecundum, quum meje re non sit obscœnum. Quum igitur non omnis vox quæ rem turpem declarat sit obscœna, ut incestus nec quæ significat rem aut actionem, quæ licet re vera turpis non sit, tamen pudore quodam humano regenda est, supereſt, ut *usus* hominum *distinguat* verbum *obscœnum à verecundo*: veluti si quis apud *Brabantos* lingua vulgata nuptias dicat aut amare

obscœ

obscœne loqueretur. At usus popularis varius est, cujus tamen fateor habendam rationem ei qui loquitur populo. At qui scribit eruditis non tenetur hac superstitione, cui fas est, quibuslibet uti verbis, quæ reperiuntur vel in *scripturis canonicis*, *vel* in probatis & castis *autoribus*, modo sint accommoda ad exprimēdum quod intelligi volumus. Alioqui vulua apud multos ineptos est verbum obscœnum, & tamen hoc auditur in *templis*, nec *Divus Ambrosius* his verbis loqui veritus est de *Christo* & *matre* ejus. Hic est qui solus aperuit matris suæ vulvam ut immaculatus exiret. Nec eruditos hodie terret ineptorum consuetudo quo minus hujusmodi verbis utantur. Coeundi autem verbum non est proprium ad congressum maris & fœminæ, sed verecundiæ causa huc translatum est, quemadmodum congredi & convenire quo *Matthæus* utitur συνελθεῖν. Concubitus propius exprimit carnalem copulam maris & fœminæ, & tamen hoc verbo utitur *Ecclesia Catholica* recitans *Paulum* loquentem de *Isaac* & *Rebecca*. Ex uno concubitu habens. Duplici autem nomine verecundius est nomen coitus, tum quia verecunde translatum, Nam interdum translata propriis sunt obscœniora: tum quia frequentissime in castos usus usurpatum. Veluti quum dicimus. Male sarta gratia nequicquam coit. Item prima coitio acerrima est, & coita fœdera. Concubitus autem tantum ad declarandum congressum maris & fœminæ usurpatur. συνεῖναι & συνουσία talia nomina sunt apud *Græcos*, qualia apud latinos sunt coire & coitus. Sed apud eosdem βίαιον & ἀναγκαῖον ejusmodi sunt cujusmodi apud nos, quod coactus & invitus nomino, fatuere. Ab his quæ per se obscœna sunt, in totum est abstinendum, nec talia res periuntur in *sacris literis*. Hujus generis nec coitus est nec concubitus quæ frequenter obvia sunt & in divinis & in sanctorum patrum voluminibus. De

concubitu viderint alii, certe talibus verbis quale est coitus & coire, puto fas esse per *metaphoram* abuti. Si quis ad hunc loquatur modum, inter *Mariam* & *Ioseph* nunquam interceſſiſſe coitum, opinor verecunde loquuturum. Atqui verbum per ſe obſcœnum, etiam in removendo obſcœnum eſt. Quod ſi coire verbum eſſet tam obſcœnum, quàm hic vult videri *Lutherus*, non toties repeteretur in *veteris teſtamenti* voluminibus. Et ſi quod verbum ſit prophanius, aut minus verecundam, id ſolet aliis verbis adjectis mitigari: quod quum à me nuſquam non fiat, tamen iſte rixator diſſimulat, & tantum tria illa verba, quæ jam ipſius ſunt non mea, repetit, inculcat, & exaggerat, *deum* coit cum *virgine*. atque hoc fundamento jacto *expatiatur in maledicentiæ campum*: *Sic deum coiſſe cum virgine quemadmodum cum Semele Iupiter, aut cum Rhea Mars concubuit, ſermo eſt plane impius & blaſphemus*. Verum hic *Luteri* eſt, non *Eraſmi*. Et ſi illi tam eſſet cordi ſermonis caſtitas de rebus *myſticis*, nunquam ea verba per ullam occaſionem pronunciaſſet. Mirum eſt autem eum non addidiſſe de incubonibus, qui dicuntur inire fœminas. Pie ac verecunde dictum eſt, ab *orthodoxis*: *deum patrem* denuo *filium* ſuum genuiſſe ex *Maria* virgine quam ut ſponſam deus adamavit, inter *deum* & *virginem* internuncium ac veluti *paranymphum* fuiſſe *Gabrielem Angelum*, qui virginis aſſenſum exciperet, ſine quo non eſt legitimum conjugium: quo excepto virtus altiſſimi, velut arcano complexu virginem obumbrarit, ac per ſpiritum ſanctum, qui ſeminis vice fuerit, cœleſti partu gravidam fecerit, qui utriuſque parentis naturam referret, divinam patris, humanam matris. Hæc inquam non ſolum pie dicuntur de incarnatione *Chriſti*, verumetiam conſentanea ſunt, iis quæ commemorat *Beatus Lucas*. Nunc *Lutero* homini *Chriſtiano* omnia ſunt obſcœna, ſponſus, ſponſa, pronubus, ſemen, actus.

Sed

Sed quibus verbis *Paulus* de *Christo* & *Ecclesia* loquens libentius utitur, quàm *sponsi*, & *sponsæ*? Et *Ioannes Baptista*: Qui habet inquit sponsam, sponsus est. Atque ipse etiam dominus: Non possunt filii sponsi jejunare &c. Nec verentur pii *doctores*, nuptias in quibus dominus aquam vertit in vinum, de *Christo* & *Ecclesia* interpretari. Jam si Græci Gabrielem verecunde & pie vocant *paranymphum*, quur ego videor obscœnus, qui eum appello latine *pronubum*? Quin & sponsaliorum meminit *Græcus* quidam, cujus verba recitantur in catena aurea. An *pronubus* quoque verbum obscœnum est? An non *Ioannes Damascenus* cujus verba referuntur in sententiis *Theologicis* libro 3, distinctione 3. docet *spiritum sanctum* superveniſſe in *virginem*, qui eam sacri conceptus compotem redderet. An non idem explanatius dicit *Ambrosius*: Non enim inquit, virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero *spiritus sanctus* infudit. An non ex hymno *Prudentiano* caste canit *chorus Ecclesiasticus*: ex virili semine, sed mystico spiramine &c. Quid quod *Thomas Aquinas* enarrans *epistolæ ad Rom. cap.* 5. loquitur hunc in modum: In generatione inquit *Christi* fuit corpulenta substantia quam traxit de virgine, loco autem rationis seminalis fuit virtus activa *spiritus sancti*. Possem ex autoribus innumera hujus generis exemple colligere. Hi omnes *Christiani* loquuti sunt, solus *Erasmus Epicurus loquitur blasphemias, non ferendas*, quia scripsit in incarnatione *Christi* fuisse quoddam *mysticum conjugium* & sacrum complexum inter *deum patrem* & *virginem*, quem iste depravat in fabulosum ac adulterinum concubitum *Iovis* & *Semeles*, Martis & *Rheæ*. Fatetur me *Christiane* interpretari quod scripsi, sed inquit, *quur non est loquutus ad formam Christianam*? Imò quur ipse mea dicta depravat in formam obscœnam? interdum aperte

mentiens. Quod genus illud de quo mox dicemus: *Me scripsisse Ioannem Evangelistam crepare meros mundos. Offendit* inquit, *nos Christianos.* Ac toties hic audimus: *nos Christianos*, quasi *Erasmus* cum suis sit *Epicurus Ethnicus.* Putat ignoscendum, si quod verbum per imprudentiam exciderit, sed divinitatem quandam sibi vindicans judicat de animo meo fortiter & confidenter. Sciebam *Christianas Luteri* aures offendendas, & ob hoc ipsum hoc ita scripsi ut offenderem? Uno in loco paraphraseos in *Lucam* unionem divinæ naturæ cum humana in unam personam *Iesu Christi*, voco coitum, quod duæ naturæ coierint in unam *hypostasin*, Græci vocant ἕνωσιν. quoniam autem unio nec satis latina vox est in eo quidem sensu, & si esset, tamen anceps est, quod margaritas appellemus uniones, magis arrisit coitus vocabulum, quod tamen ipsum mitigo quum addo sanctus. locius sic habet. sanctus hic divinæ naturæ cum humana coitus, non violabit pudicitiam tuam sed consecrabit. Mox veteres *orthodoxos* sequutus explano similitudinem conjugii mystici inter *deum* patrem & *virginem*, his verbis. Decrevit pater cœlestis novo modo rursus filium suum ex te gignere. Nec erit opus ad divinum conceptum ullo viri mortalis semine, sed spiritus sanctus cœlitus illabetur in te, inque tuo utero velut in officina cœlesti sacri fœtus opificium peraget: ac pro mariti corporali complexu, obumbrabit tibi altissimus, sic immensam virtutem suam ad humanæ naturæ modum attemperans, ut congressum sustinere possit. Ubi libido intercedit in coitu, ibi quod nascitur immundum nascetur, & peccato obnoxium. Cæterum quod ex te nascitur, quoniam ex sanctissimo complexu nascetur altissimi, quoniam ex opificio *sancti spiritus* qui sanctificat omnia, quoniam ex purissima *virgine* quam unam in hoc *deus* delegit immunem ab omni labe vitiorum, mox sanctum er

ut conceptum fuerit &c. In hoc sermone *ubi habetur quod objicit* Martinus, *deus coit cum virgine?*

Jam novus orbis νομοθέτης præscribit nobis leges, verbum ambiguum non secus ac diabolum & mortem esse vitandum, & si quod exciderit in pejorem partem accipiendum esse. Hoc dictum si recipimus, quum S. Gregorius dicit, omnis *Christi* actio nostra est *instructio*, interpretari debemus *Christum* exercuisse histrionicam, quod actio sit histrionum, & histrionem Latini actorem appellent. Et quoties in arcanis literis legimus amicam, interpretabimur de meretrice, quoties amatorem, de eo qui meretricio tenetur amore. Quoties autem in *Cantico Salomonis* audimus amicæ nomen? Et *Proverbiorum* 7. Prudentiam vocat amicam. Item *Sap.* 8. Amator factus sum formæ illius, in pejorem partem interpretabimur. Quoties osculum legimus, interpretabimur de suaviis amatoriis. Sed desino persequi, quæ sunt innumerabilia. Magnifice profitetur se, si detur locus ambiguis, omnia posse in bonã partẽ interpretari quæcunque unquam omnes *hæretici* dixerunt, denique quicquid ipse diabolus dixit, aut dicere & facere possit in æternum. His tragicis *hyperbolis* delectatur *Evangelicus* doctor, quæ profecto magnam dementiæ speciem habent. Quanquam hac saltem in re satis illi credimus, etiam si nulla sint ambigua, modo liceat ipsi, truncatim referre, quæque in suo loco benedicta sunt depravare, & affingere quæ voluerit.

Tandem ad calumniæ partes allegantur & *Cesarum Ethnicorum leges, quæ jubent ambigue dictum adversus eum interpretari, qui obscure dicit, quod clarius dicere poterat.* Sentit opinor locum qui est in *pandectis* de *verborum obligationibus*, ubi ex *Vlpiano* referuntur hæc, In *stipulationibus* quum quæritur quid actum sit, verba contra *stipulatorem* interpretanda sunt. Eum qui ita dicat, *mihi* decem & *Titio* decem,

eadam decem, non alia decem dicere credendum est. Quanquam hunc locum arbitror non carere mendo. In his enim verbis : Stipulor mihi decem, & Titio decem, nulla est ambiguitas, quin sentiat de bis decem. Secus si his verbis esset stipulatus, *Mihi* decem & *Titio* : aut *mihi* & *Titio* decem. Sed quin eadem opera *Martinus* citavit locum ex eodem *Vlpiano* Titulo de *Iudiciis* : Si quis intentione ambigua vel oratione usus sit, id quod utilius ei est, accipiendum est. Præterea illum ex eodem *Vlpiano*, prætorias stipulationes legem accipere ex mente *prætoris*. Rursus illum, qui concedit *privilegia* largienti, ut si quæ in scripto insint ambigua, ipse interpretetur. Quin & illud tradit *Vlpianus*, si quis in nomine servi quem stipularetur dari, erravisset, modo de corpore constaret, valere *stipulationem*. Hæc aliaque multa dissimulat quæ sunt in principum legibus, & unicum modo dictum nobis objicit, de privatis contractibus, in quibus non iniquum est, eum qui in suo ipsius negotio sic loquitur, ut quid sentiat incertum sit, aliquo damno mulctari. Quid hoc ad illum, qui docendi studio in publicum emittit volumina? An huic hanc legem præscribet, ut si quod verbum ambiguum exciderit, continuo *Babylon* & *Chaos* commiscear sacra prophanaque omnia, & illud verbum quàm possumus in pessimam partem interpretemur, damnantes omnia quæ sexcentis aliis locis eadem de re dilucide & expedite scripsit? Quanto dignius est æquitate *Christiana*, ut quemadmodum in *scripturis divinis*, si quid ambigue obscuréve dictum occurrat, ex aliorum collatione locorum explicamus, ita in libris tractantium *sacram scripturam*, si quid occurrerit ambigui sensus, vel ipsi in meliorum partem interpretemur, vel aliis ex locis scripti sensum eruamus. Quid porrò si *Luteri* legem quam in nos statuit, in ipsum retorqueamus? Ne veter aliunde quod objiciam, quid sentit quum semel

mel atque iterum in hac Epistola dicit, me abhorrere ab omnibus religionibus præsertim *Christiana*? An non hoc obscure dictum est, an non scandalose? Quid enim aliud intelligat lector, quàm *Erasmum* exemplo *Luciani* damnare religionem *Lacedæmoniorum, Scytharum, Thracum, Atheniensium &c.* & unam ex harum numero esse religionem *Christianam*, quum non sit nisi una religio, quæ verum veri *dei* cultum docet.

Verum quum hic tam *multa* deblateret, ne dicam scurretur, *de rege amphibolo, de regina amphibologia*, nullum adhuc locum è meis scriptis produxit, vel obscurum vel ambiguum. Sit ambigue dictum; Nos audemus *spiritum sanctum* appellare *deum*: exterum in mea præfatione non est ambigue dictum: quod enim sequitur declarat audemus verbum esse fiduciæ non temeritatatis, & si esset temeritatis, non esset in professione, sed in eo quod quem profitemur ore *deum*, moribus impiis è suo templo deturbemus. Si stipulator ille sic esset loquutus, stipulor *Sticho* decem & *Titio*, & in eadem syngrapha adjecisset, ut summa viginti sextertiorum inter eos æqualiter dividatur, nullus causaretur esse ancipitem stipulationem. Idem valeret opinor si ex aliis syngraphis constaret animus stipulatoris. At *Lutetus tyrannus hyperbolus* non vult mihi prodesse, quod in eodem sermonis tenore declaro quid sentiam, nec quod aliis ducentis locis mentem meam sole clarius explanem. Videatur hic sermo ambiguus: *Petrus Christum* nominat *virum, deum tacet*, verum hoc *Luteri* dictum est non meum. At qui videt me laudare *Pauli* prudentiam, qui fimis & infirmis, pro suo cuique captu dispensare norit mysteria *doctrinæ Evangelicæ*, & quæ eadem prudentia *Petrum* indico in *Actis Christum* apud multitudinem, nondum ejus mysterii capacem, appellasse *virum*, non *deum*, huic non potest esse obscurum qui l

ſentiam. Quanquam autem mihi perſuaſum eſt, *coitum* non eſſe verbum per ſe obſcœnum, quo toties utuntur *divinæ literæ*, nollem tamen ſic loqui de *deo* & *ſacratiſsima virgine*, quemadmodum fingit *Lutherus*, *deus pater coiit cum virgine*. Sed ſi quis in explicanda ſimilitudine, dicat ibi fuiſſe quaſi *myſticum* quendam *coitum dei*, *cum virgine*, malicioſæ mentis eſt, ſtatim interpretari *deum* ſic coiiſſe cum virgine, quemadmodum *Iupiter* adulterino concubitu compreſſit *Semelen*, aut *Mars Rheam*. In tali ſermone nulla eſt ambiguitas, & ſi qua eſſet, ipſa perſonarum dignitas ſubmovet omnem ſiniſtram ſuſpicionem, Verum de his mox.

Supereſt unus locus omnium atrociſſimus, ſed idem omnium mendaciſſimus. In appendice quadam, quam extempore adieci Novo teſtamento, quum forte vacaret una atque altera pagina, *ait me propoſuiſſe quæſtionem, quare Chriſtus de cœlis deſcenderit, tantus magiſter, quum multa ſint etiam apud Ethnicos ſimilia, forte etiam perfectiora.* Protinus mihi vide *lector*, quanta hominis in proponenda vanitas & impudentia. De doctrina *Chriſti* loquens, quæro quid illa habeat novum aut eximium ultra *veteris teſtamenti* volumina, quum vix quicquam ſit proditum *Evangelicis literis*, quod non multis ante ſeculis proditum ſit in *lege & prophetis*. Atque hic ſynceriſſimus *doctor*, qui non loquitur niſi mera oracula, ita depravat ſermonem meum, quaſi doctrinam *Evangelicam* contulerim cum ſcriptis *Ethnicorum*. Nec hoc contentus, de ſuo ſpiritu addit, *tantus magiſter*, ut ſermo faſtidium & ironiam ſapiat. Atqui hic *Lutheri* ſtomachus eſt, non meus, nihil enim tale eſt in ea appendice. Ne his quidem contentus, de ſuo addit, forte etiam perfectiora, quum ibi *Chriſti* philoſophiam prorſus non conferam cum *ethnicorum* ſapientia, tantum obiter addo in philoſophorum literis inveniri qualdam ſcintillas

las *Evangelicæ* veritatis. Quid expectas ab eo ſynceri, qui ſtatim in proponendo tot contexuit mendacia, atque obiter convicium furioſum intertexuit: *puto enim* inquit, *eum hoc credere Eraſmiciſſime*, ſignificans me ne hoc quidem credere Chriſtum aſſumpſiſſe carnem Verum quid? Num impie quæriter an *Chriſtus* docuerit aliquid ultra *legem* & *prophetas*, ſed quemadmodum nihil geſſit in terris, quod non fuerit typis legis adumbratum, ac prophetarum oraculis prædictum, ita nihil docuerit, quod in *veteris teſtamenti* libris non eſſet traditum, licet minus evidenter. An non hoc, quod hic inquirendum propono, quæritur à *Chriſtianiſſimis doctoribus* atque etiam in *theologorum ſcholis* diſputatur? An non pie tractat *Tertullianus*, omnia perfectionis *Evangelicæ* dogmata, in *prophetarum* libris expreſſa eſſe? An non præter alios *Euſebius* in *præparatione Evangelica* laborat in hoc, ut oſtendat in *Ethnicorum* libris plurima inveniri, quæ cum *canonicis literis* conſentiunt? Quid igitur hic eſt, quod obſcuret gloriam *Chriſti*, aut illius doctrinam voceat in dubium? Mea ſententia vehementer confirmat Chriſti doctrinam, quod cum prophetis conſentiat & à naturæ ſenſu non abhorreat. Sic enim facilius & à *Iudæis* & à *gentibus* recipi poterat. Impudens itaque calumnia eſt, quod ait me *Chriſto nihil aliud tribuere, quàm quod unus de numero ſanctorum, cæteris perfectius & abſolutius ea præſtaret, quæ illi præſtiterant.* Sed unde hic repente ſancti, quum in proponendo tantum nominarit *Ethnicos*? An cum his ſanctis confero *Chriſtum*? *Chriſtus* inquit, *deſcendit de cœlis, ut redimeret genus humanum à peccato & morte.* An hoc negavit *Eraſmus*? Sed hic de novitate doctrinæ tantum propoſui quæſtionem. Et verum eſt *Chriſtum*, & ob hanc cauſam miſſum in terras, ut nos plenius doceret voluntatem patris, & exemplum virtutis

omnibus undique numeris absolutum traderet. Non illic agebatur de toto *Christo* cum prophetis conferendo sed tantum de Doctrina & exemplo vitæ. Quur autem hoc proposuerim, significat quæstionis exitus, videlicet ut ardentiore studio doctrinam *Evangelicam* amplecteremur. Fortasse volebat *Christum* in hoc præferri sanctis, quod *deus* esset *homo*, quæ morte sua redemit humanum genus. Hoc quanquam illic non agebatur, tamen obiter à me prædicatur, velut in limine quæstionis quum aio: Nullum autem mysterium magis ad nos pertinet quàm ineffabile consilium, quo *deus per filium suum* restituit humanum genus &c. Quum appello *dei filium* nónne *deum* profiteor? quum aio, restituit humanum genus, nonne profiteor *redemptorem*? Ac paulo post, quum aio, ut ipse *dei filius* factus homo doctrina suam viam salutis nobis ostenderet, an non profiteor *deum* & *hominem*, declarans me de doctrina & vitæ exemplis hic quærere, quid in his habuerit præ cæteris eximium: nec id aliam ob causam propono, nisi ut doceam illum etiam juxta naturam humanam multis modis omnibus sanctis superiorem, & adeo superiorem ut nulla sit collatio. Deinde quum addo: Quanquam hoc ipsum virtutis, quod emicuit in sanctis *Christi* munus est, an non illi tribuo, quod dignum est illius sublimitate? Hæc sic habere comperiet, quisquis eam appendicem legere non gravabitur. Quid igitur mentis habuit, qui perinde quasi re pulchre comprobata, debacchatur tota pagina, sic exordiens: *Hic miser iste, novator omnium, sic enim dominum gloriæ pungit, Christus, amisit gloriam redemptoris &c.* Appello *Christum* innovatorem omnium, subindicans & in illius vita doctrinaque oportere esse aliquid novum atque eximium. An hoc est pungere dominum gloriæ? Pungit igitur seipsum quum in *Apocalypsi* dicit: Ecce ego nova facio omnia. Pungit eum *Paulus* quum

air:

ait: omnes in *Christo* esse novam creaturam. quomodo porrò amisit gloriam redemptoris, quum illic dicam restituisse mundum, & sic hoc non dixissem, de doctrina, non de morte differens, an ideo amisisset gloriam redemptoris? Quàm vero novit *Martinus* religiosè loqui *de rebus divinis*, qui hic *Christum miserum* vocat. Scio *Ironiam* esse, sed ille figuras rejicit, & quanquam me facit *Epicurum*, non auderem ejusmodi verbis in *Christum* ludere. Hic scilicet est locus, qui primum alienavit *Martini* animum ab *Erasmo*. Quanto *Erasmus* humanior, qui nunquam alienavit animum à *Martino*. Hinc primum suspicari cœpit me esse *Democritum & Epicurum*, & versutum *irrisorem Christi*, quum tota hæc appendix spiret *Christi* gloriam. Similis absurditatis ac dementiæ sunt quæ persequitur, de odio meo in *Christum*, de *Coëpicureis meis*, de figuratis & insidiosis verbis, quibus furiosissime debacchor in *Christianos*, de bilingui & odibili picendi genere, de funditus tollenda *religione Christiana* reliqua piget recensere. Dicas *morbum loqui non hominem*. Gaudeo extare lucubrationes meas, quæ ut confido, lectori fidem facient, me tantum abesse ab hoc affectu, quem mihi impingit *Martinus*, quàm ipse abest a sobria mente, *Christianaque modestia*.

Jam illi displicet & Methodus mea cum suis circulis, quam ut ego non affecto videri admodum doctam, ita falsissimum est, quod ait *Luterus*, *illam nihil aliud esse, quàm irrisionem Christi & omnium ab eo gestorum: nec aliud ex ea lectorem haurire posse, quàm fastidium & odium discenda tam confusæ et perplexæ, & fortasse fabulosæ religionis*. Atqui si methodus illa passim inculcaret *Luteri* dogmata, papè quàm esset erudita, quàm *Christiana*. Neque vero mirum *Lutero* videri ibi irrisum *Christum*, quum illi videatur pupugisse *dominum* gloriæ, qui illum appellat innovatorem omnium. Quod illi scriptura tribuit

ad

ad summam laudem, hoc *Luterus* interpretatur ad ignominiam, nimirum καρδιογνώστης, ut vult haberi, quum interim deliret in manifestis.

Nondum finis. *Quis* inquit, *tam fastidiose & odiose, non dicam hostiliter loqui ausit de Ioanne Apostolo & Evangelista, qui post Christum summæ autoritatis apud Christianos est, meros crepat mundos, nisi qui eum virum putet esse aliquem bardum ac bucconem &c.* Nec indicat locum ubi hoc legatur in scriptis meis, & ausim meo periculo dejerare nusquam esse. Neque enim conjectare possum quo sensu verba illa à me dici potuerint. Meros crepat mundos. Suspicor tamen hoc mendacium illi è duobus locis conflatum esse, quemadmodum in somnis è diversis imaginibus temere vagantibus monstrosæ quædam visorum species conflantur. In argumento quodam asserens *primam epistolam Ioanni* ut germanam, ex ipso sermonis charactere, quod certis quibusdam verbis subinde utatur, mundus, lux, charitas &c. deinde quod ita contexat orationis membra, ut ex eo quod proxime præcessit sumat alterius partis initium: Exemplum adfero: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, si quis diligit mundum &c. & addo. Quantum hic est mundorum. Hæ voces exciderant in prima æditione, quibus quum nihil aliud sentirem, quàm crebro repeti nomen mundi, tamen admonitus ab amico, proxima statim æditione, mutavi linguam, sententiam tenui, scripsique quoties hic iteratur mundus. Hanc scripturam reperies lector in paraphraseon æditione Anni M. D. XXXIII. similiter posterioribus *novi testamenti* æditionibus. Rursus in appendice, quæ adjecta est *Paraphrasi* in *Evangelium Ioannis*, hunc in modum de illo loquor: qui quemadmodum peculiarius adamatus fuit, ab illo, qui est amor æternus, ita nihil aliud loquitur, nihil aliud

aliud ſpirat, quam meros amores &c.. Ex his duobus locis ſuſpicor *Luterum* parum memorem quid legiſſet, aut quid audiſſet confinxiſſe *meros mundos crepat*. Et tamen hoc mentis ſomnio deluſus quam procaciter me conſpuit, flagellat & lapidat, toties mihi in faciem ingerens, *meros crepat mundos*. Atqui dum tam inclementer ſævit in *meros mundos*, qui nuſquam ſunt in ſcriptis meis, videbitur fortaſſis alicui non ita multum abeſſe ab imagine *Ajacis*, ſævientis in porcos, quorum alium putabat eſſe *Vlyſſem*, alium *Agamemnona*. & vociferatur hujus generis infinita eſſe in ſcriptis meis, imo me totum nihil aliud eſſe in *Theologia*, quum hoc ipſum quod exempli loco profert nuſquam ſit in ſcriptis meis, nec unquam fuerit in animo. Et hic exaggeratur *Ioannis* dignitas atque autoritas, quem poſt *Chriſtum* vult eſſe primam inter *Chriſtianos*, quum ſoli *Chriſto* nota ſit *Apoſtolorum* dignitas; autoritas par ſit *Apoſtolorum* omnium: & ſi quid intereſt, prima tribuitur *Petro* ordinis *Apoſtolici* principi qui in *Actis* primus agit præconem *Chriſti*, cæteris *Apoſtolis* aſtantibus, proxima *Mattheo* & *Paulo*. Et hic appellor os & organum ſatanæ, etiam capite plectendus, ſi ſanus judicio & ſtudio ſic loqueret At ſi *lex Remia valeret*, plectendus eſſet capite, qui falſo capitale crimen intendit. Me liberat inſania cui multam habeo gratiam. Verum hæc quo magis attollet ac repetit, tanto magis ſe præbet ridiculum cum umbra pugnans.

Hæc ſunt illa horribilia verba, obliqua, ambigua, inſidioſa, obſcœna Satanica, quibus Eraſmus omnium inſcius ſtupidus atque etiam vere delirus, ſed tamen mira calliditate jam pridem ſtudet univerſam Chriſtianam religionem funditus ſubvertere. Ac mihi quod antehac audivi nunquam, etiam *ſectam* adjungit, non *ſophiſtarum* opinor,

neque

neque *Papiſtarum*, neque *ſacramentariorum*, ſed *Epicuriorum* ac *Democritorum*, quid de rebus divinis adeo nihil credunt, ut derideant omnia. Equidem facile crediderim ſub nomine *Chriſtiano* tales nonnullos latere, verum illud ſcio, nullum eſſe qui hunc affectum è meis ſcriptis hauſerit; & ſi quem huic impietati obnoxium noſſem, nolim cum eo cibum capere, niſi magna eſſet ſpes reſipiſcentiæ. Contra ſentio me natura propenſum in eos, qui ſyncere diligunt dominum *Ieſum*, ea animo dolens me non eſſe per omnia talium ſimilem, quanquam *huc omne ſtudium meum intendo, ut meipſo melior evadam.* Et ſi quid mihi per imprudentiã in ſcriptis excidit, quod infirmo cuipiam poſſit eſſe offendiculo, non magni negotii fuerit ea corrigere, quemadmodum multa jam mutavi, quibus pro mea ſimplicitate, non expectabam ut quiſquam offenderetur. *Mox* ubi ſenſi, non ſum gravatus amoliri ſcrupulum. Atque utinam *Martinus* aut tam facile poſſet, aut tam prompte vellet in ſuis libris ea corrigere, quæ tantis tumultibus miſcent *eccleſiam Chriſti*. Facile reditur in gratiam ubi de vocibus modo controverſia eſt, de re convenit. Nec inficior fuiſſe, qui ante ipſum quibuſdam verbis meis offenſi ſunt, ſed horum offenſio, hinc fere nata eſt, quod *Latine Græceque* neſcirent. Quidam cœlibem dici putabant qui caſte viveret. Sed edocti de vocis elegantia placati ſunt. Quoſdam offendit fabulæ nomen, ſed edocti receperunt ſatisfactionem. Argumento eſt, quod hoc à *Beda* notatum cenſuræ facultatis prætermiſerunt. At *Martinus* nullam recipit excuſationem, ſed bis damnandum putat, qui medetur offenſis. Cæterum iſtum tot linguarum peritum offendi non oportuit. Illos excuſat linguarum & antiquitatis imperitia, Nec quiſquam tamen eorum hinc pronunciavit *Eraſmum* ἄθεον, *Epicurum Democritum*, os ſatanæ, irriſorem & oſorem *Chriſti* totiuſque religionis ejus. Quorum præjudiciis

præjudiciis ſi me gravat, meminiſſe debet, eos ipſos eſſe, qui *Lutetum* pro *hæreſiarcha*, peſtilentiſſimo deteſtantur, nec alio nomine mihi ſunt iniquiores, quam quod aiunt multa eſſe in ſcriptis meis, quæ prima ſpecie *Martini* dogmatibus videantur affinia. Nunc iſti in cæteris omnibus inſaniunt, in hoc uno ſapiunt, quod aliquot *Eraſmi* verbis offenduntur. Et vide quam ſibi non conſtent hominum judicia *Martinus* clamat me nihil ſcire, nequaquam intelligere illa ſubtilia quæ ſcribit in *papiſtas*, vix etiam hæc craſſa, neque quicquam omnino docere. At hi mihi objiciunt quod illa ipſa ſubtilia *Luterus* magna ex parte hauſerit è meis libris. Fateor me quæ ſcribo, pleraque hauſiſſe è libris veterum *orthodoxorum*. Cæterum ſi tollas è libris iſtius, hyperbolas, convicia, facetias, tautologias, ecſtragodiſmos, aſſeverationes, adhæc quæ illi conveniunt cum *Ioanne Hus* & *Ioanne Wiclevo* aliiſque nonnullis, fortaſſe non multum reſtabit, quo velut proprio glorietur. His craſſis meum ocium oblectare malo, quam iſtis ſubtilibus turbare totius eccleſiæ tranquillitatem, ac civitates cum civitatibus, plebem cum principibus, & epiſcopis, ipſos principes inter ſe committere. Tametſi non ſum uſque adeo plumbeus, ut non intelligam *Martini* paradoxa, quæ nobis memoriter occidunt textrices & calcearii: de iis loquor quæ *latine* prodidit. Iam ſi nihil eſſet in ejus libris falſum aut erroneum, tamen iſta *tam effrenis in omnes maledicentia*, inficit lectorum animos, præſertim idiotarum, nec aliud gignit quam *ſchismata*. Vult me cogi in ordinem, ut de rebus ſacris ad præſcriptam loquar regulam, ſed unde ipſe novum hoc docendi genus mutuatus eſt? Num à *Chriſto*? Num ab *Apoſtolis*? num à probatis *eccleſiæ doctoribus*? Ne quaquam. Vnde igitur? Hoc aliis judicandum relinquendo. Quid quod qui mordicus hærent illius dogmatibus, improbant tamen

men has intemperias vel ob id, quod obstant quo minus hæc fabula sortiatur fœlicem exitum. Ego *Epicurus*, si incidissem in tempora *apostolorum* & audissem eos tanta tamq; perpetua maledicentia prædicantes *Evangelium*, vereor nec mansurus fuerim Epicurus atq; interim me regem facit, non ferendam tyrannidē exercentem in universos homines sed absq; satellitio, quippe qui *nec principem habeam sub cujus clypeo tutus latitem, in quoscunque libeat veneno tincta tela dijaculans*, nec civitatem, nec scholam, nec discipulos, qui pro me stringant calamum. Quod si sibi bene conscius est, suoque persuasit animo, sanctum & pium esse quod docet, oportuit ad beati *Pauli* exemplum, qui vult *Evangelistam* esse διδακτικὸν, non πλακτὴν aut λογομάχον advigilare, ne quod offendiculum daret *Evangelio*, quod cupit per universum orbem propagari. Nunc non animadvertit, quot homines ab ipsius doctrina resiliant, aut abstineant offensi perpetua conviciandi petulantia, præsertim si ad male dicendi rabiem accedat effrons vanitas ac malicioſa depravatio.

Objicit mihi quod in hoc ut ait, *laboriosissimo seculo*, rectius dixisset furiosissimo, *ludam ac ut ipsius verbo utar, morioner. Moriam lusi tranquillo seculo*, quam facile si ita videatur noxæ dedidero. *Colloquia me invito atque etiam irato prodierunt.* Quibus adjeci quædam in gratiam typographi, levi sane brachio, ut qui *uno die interdum tria absolverim colloquia*. Quanquam non ubique jocor in colloquiis, & si jocor, non jocor ocioſe. At *Martinus* in rebus etiam atrocissimis ludit verbis & figuris, velut oblectans animum suum, hoc genere deliciarum inexplebilem. Fateor me quodam genii affectu *propensiorem ad jocandum*, tum in scriptis, tum in familiaribus colloquiis. Nec ea res mihi semper cedit feliciter, dum aliorum animos ex ingeni mei simplicitate

citate metior. Verum quando *nullus hominum vacet omni nævo*, malo quibusdam videri ineptior, quam truculentus πλήκτης ac procrustes quispiam, ubiq; tragicum spirans. Rhetorum est, primum docere argumentis, deinde si res postulet solicitare affectus. Atroces autem illos quos πάθη vocant non temere movere. verum nusquam non esse δεινὸν, nusquam non intonare voces plusquam tragicas dementiæ verius est quam eloquentiæ.

Quærit unde pullulent in *ecclesia* tot *sectarum* formæ, inter quas commemorat *sacramentarios*, quasi ipse de *sacramentis* doceat eadem quæ tradit *ecclesia catholica*, commemorat *Donatistas*, *Arianos*, *Anabaptistas*, *Epicuros &c.* debebat addere *Suermeros Sabbatarios*, circumcisos & vere perfrictæ frontis homines. Exoriuntur enim qui scalpro perfricant frontem donec eliciant sanguinem, ac mox locum inungunt oleo, itaque *Christo* initiantur. *Vnde hæc* inquit *Zizania in agro domini? Vnde: Nisi ex quatuor ambiguis verbis Erasmi, quanquam ea re vera ambigua non sunt, quod admonuerit Apostolos non statim apud quosvis Christum appellasse deum, quod admonuerit Evangelicum sermonem tropis ac figuris obliquum esse, quod dixit Paulum omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciat, eumque chamæleonti compararit. Quod epistolam ad Romanos scripserit multos difficultatibus involutam esse, aque hic labyrinthorum meminerit: quod scripserit Ioannem Evangelistam meros crepare mundos, quum hæ voces ne in somnis quidem mihi in mentem venerint, quod de incarnatione domini loquens, à conjugio duxit similitudinem. Hinc nimirum tantus hæreseon proventus.* Atqui isthuc hactenus nullus objecit *Erasmo* præter unum *Luterum*. Sed nonnulli calumniati sunt, quod ipse *Lutero* seminaria præbuerim. Verum hos protinus clamabit impudenter mentiri, *Erasmum* non

esse

esse *Luteranum*, sed *totum* esse *Erasmum*. Ut istuc largiamur, propius tamen hoc mendacium accedit ad veri speciem, quam si quis dicat *Anabaptistas Donatistas, Arianos, & Epicuros* hoc est *paganos* è meis tribus ambiguis verbis repullulasse. Quod si est, demiror hominum ingratitudinem. Nullus horum ad hunc usque diem, aut salutavit me, aut gratias egit quum innumeri sint discipuli à quibus *Luterus* audit venerandus pater, & *Evangeliæ* veritatis instaurator: Contra non pauci sint *orthodoxi*, qui se profitentur mihi debere, quod *Christum* & nosse & amare ceperint.

Censet meos libros è scholis suorum ejiciendos, quasi ego unquam ambierim in istorum scholas recipi. Fortasse sentit scholas *theologorum*, ac nescio quid subodoratus videtur hoc futurum. Me vero non fugit istuc jam olim agi clamoribus quorundam *monachorum*, sed hoc lemmate, ut negent *Luteri* doctrinam opprimi posse, nisi prius abolitis *Erasmi Lucubrationibus*. His opinor nunc applaudet & in horum sententiam pedibus ac manibus ibit, odio mei! quod utinam tantum valeat, ut cum *Papa, papistis Theologis* ac *monachis* omnibus redeat in gratiam, *Christique ecclesiam suæ* reddat tranquillitati. Tanto orbis lucro, facile meorum librorum jacturam pensavero, quando meipsum nemo potest aut poterit à *Christo* divellere, ni si volens discessero. At posteaquam afflatus est prophetico spiritu divinat & illud, *Festinare judicium meum, ac brevi fore, ut quasi sorex memet meo ipsius indicio prodam ac perdam*. Sentit autem de *paganismo* & odio *Christianæ religionis*, quod homo versutus hactenus celarim, ut ipse putat, imo non putat, sed se putare fingit. Ego hactenus de *Christo* & *religione Christiana* ea sensi quæ digna sunt eo qui spem omnem fixit in Christo, doque operam, ut indies sentiam melius, certe ut magis amem. Quod si quid *erro* cum *papistis*

piſtis, confido me fore in numero eorum, quorum errori, ut ait *Luterus*, *deus* miſericorditer ignovit, eo quod ſeducti ſimpliciter errarunt. Mihi ſatis eſt ſi cum *Hieronymo Chryſoſtomo* & *Bernardo* recipiar in divinæ miſericordiæ gremium. Verum negat eſſe ſpem veniæ, poſteaquam ab ipſa prolata eſt lux veritatis, Quaſi non & ante *Luterum* ſimilia docuerint, *Hus* & *Wicleuus*. Quod ſi *Deus* ipſum tam diu verſatum in tam profunda caligine tandem miſericorditer ad tam admirabile lumen evocavit, decebat ut eadem lenitate uteretur in nos luteos homines adhuc in priſtinæ *eccleſiæ* tenebris palpantes. Quanquam ut ſerio loquar, *Si de moribus & ceremoniis agitur, optarim multa eſſe correcta ſed autoritati ſynodi: ſi de dogmatibus, poſſem & ego quibuſdam accedere, ſi audirem publicam eccleſiæ vocem.* Meum animum nondum tranquillant aſſeverationes *Luteri*, quantumlibet fortes adeo inter legendum multa occurrunt quæ poſſent aſſeverationem infirmare. Qui agit contra conſcientiam ædificat gehennam. In tanto orbis incendio, proſpiciat ſibi qui velit, *mihi curæ erit hanc animulam Chriſto ſervatori tradere.* Quod ſi *Martinus* illud ſibi propoſuit, perſuadere mundo *Eraſmum* hoc agere callidis artibus & inſidioſis cuniculis, ut omnes *Chriſtianos* adducat in odium veræ religionis, fruſtra nititur. Citius enim perſuaſerit omnibus, ſe aut odio Lymphatum eſſe, aut mentis morbo teneri, aut à ſiniſtro quopiam agitari genio. Illud potius perſuadeat, quod verum eſſe *Iudaico more* dejerat. *Vivit inquit dominus, magnam ei faciunt injuriam & defendendus eſt mihi contra hoſtes ejus qui eum Luteranum accuſant, quum ſit me nimis certo ac fideli teſte nullo modo Luteranus, ſed Eraſmus tantum. Relinquendus eſt inquit papiſtis, qui tali Apoſtolo digni ſunt.* Quos appellet *papiſtas* neſcio. *Orthodoxis* libenter adhæreo, ſive ille me relinquat, ſive non relinquat. Nec illud ingratum fuerit quod

quod minitatur, se contemptum *Erasmum* cum cæteris quibus non est dignatus respondere, perhennibus tenebris ac perpetuæ oblivioni traditurum. Cum quibus? Cum *Eccio*, cum *Emsero*, cum *Ioanne Gocleo* &c. qui forsitan ut ait, inclaruissent, si eos fuisset dignatus responso. Poterat addere cum *Iodoco Clithoveo*, cum *Iacobo Latomo*, cum *Ioane Phisceroepiscopo Roffensi*, aliisque multis, quorum nomina jam sepulta sunt, ac letheis aquis consecrata. Quanquam me quidem jam olim dignatus est hoc honore in Servo arbitrio. Dicet, non respondi sed pupugi tantum leviter, ut hominis oscitantiam excitarem. Quum totus ille liber nihil aliud crepet, quam *Erasmum Epicurum, Democritum, Scepticum, osorem Christi* irrisorem *Christianæ* pietatis, corruptorem scripturarum, Spermologum, temulentum: pro his deliciis quoniam illi non egi gratias, sed ausus sum quæ objecit refellere subito factus sum vipera & gigno viperaspides. Sed uter est vipera, qui talia afflat venena, an qui repellit? qui infigit letales morsus, an qui medetur? Quum autem sic esset debacchatus in proximum, tamen pupugit tantum. Ac post æditum hoc opus conatus est scriptis ad me literis mihi persuadere, se candido & amico esse in me animo, sive crederem, sive non crederem. Si sic vellicat amicum dormitantem, quas plagas infligeret, si vellet hostem occidere? Sed hunc in modum sibi blanditur δυσχόλαξ, sibique persuadet, homines non intelligere fucum quo jactat se quibusdam nolle respondere. Atqui si suæ confidit doctrinæ, si dignum judicat, quam omnes amplectantur, expediebat ut quibusdam serio responderet, non scommatibus & conviciis, sed scripturis & argumentis. Nunc volitant per orbem libri, qui illi ut audio in os impingunt, loca non pauca, in quibus ipse secum pugnat, in quibus manifeste corrupit sacram scripturam, falsa interpretatione

tione detorquens ad ſua dogmata, qui rationes illius argumentis inſolubilibus ſubvertunt, & putat ſpecioſam victoriam quod non dignetur eos reſponſo. Atqui magis conveniebat atque etiam expediebat eos dignari reſponſo, quam ludibriis & contumeliis inceſſere. An dicet, non eſt ocium? Verum multum ocii ſibi paraſſet, ſi prætermiſſis conviciis tantum ſcripturis egiſſet & neceſſariis, argumentis. Quod ſi invidet illis nominis claritatem quid refert utrum nobilitet eos argumentando an maledicendo? Nunc quum tantum male dicit, & illis parit honeſtam famam apud plurimos, & gloriæ ſuæ non mediocrem inurit labem, præſertim apud cordatos & integros, quibus ubique placet moderatio, ſynceritas, ac civilitas. Hoc dignius erat *Evangelii* præcone, qualis videri vult, quam his temporibus exulceratiſſimis, animos hominum ad ſeditiones ac bella concitare. Longe aliud ſonat tuba *Evangelica*, aliud concha *Panis*, aut cornu *Alectus*. Sed vivit *Dominus*, qui non deſeret in ipſo ſpem habentes.

Purgationis Deſiderii Eraſmi Roterodami adverſus Martini Luteri Epiſtolam

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Moriæ Encomium.

1941
V 791

Εἰς τὴν τοῦ Ἐράσμου Μωρίαν.

Μωρία, ἡ μωρῶς, τὰ μὲν Φρονιμώτατ' Ἐράσμε
Σὴν λάσιν ἀνθρώποις σωφροσύνην φανερῶν.